BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8 M
23 — G
10

P. Uso del
Don Pio →
geli Chierico
Regolare di S. Paolo
Barnabita.

Q. IX. 12.

Digitized by Google

FRANCISCI MARIÆ CAMPIONI

ORDINIS SS. TRINITATIS

Redemptionis Captivorum, Cleri Examinatoris Apostolici, &c.

INSTRUCTIO

PRO SE PRÆPARANTIBUS

Ad audiendas Confessiones,

DIVISA IN DUAS PARTES.

REVERENDISSIMO PATRI

GREGORIO DE LA FORGE

In Sacrâ Theologiâ Doctori,

CHRISTIANISSIMORUM REGUM

à Concionibus, Eleemosynis, & Consiliis,

totius ejusdem Ordinis Majori Ministro,

ac Generali Apostolico.

PARS PRIMA.



ROMÆ, Typis Antonii de Rubeis, MDCCIII.

SUPERIORUM PERMISSU.

REVERENDISSIME PATER.

DIversis diù motibus, fatisque jactatus ORDO SS. TRINITATIS Redemptionis Captivorum, sub uno tandèm

Capite coaluit. Immenſæ tibi laudes, immenſæ Tibi gratiarum actiones, qui Trinus omnia uno regis imperio. Jàm ſuſpicio Tibi ſimillimum Ordinem. Præferebat Deum nomine, inſigniis; nùnc & unitate.

Secundùm Deum, vobis laus, vobis gratiarum actio, SS. JOANNES *de* MATHA, *&* FOELIX VALESIUS. *Quem fundaſtis Ordinem magnà potentià, inter procellas, & tempeſtates firmaſtis non minore providentià. Impetrando Eccleſiæ Paſtori ſupremo, adhùc occulebantur in Conclavi ſuffragia Cardinalium. E potiſſimà, unde regnat, cœli parte proſpexit humana* VALESIUS. *Jam noverat, qui dexteritate, qui labore, adhùc Cardinalis, noſtræ poſuiſſet rudimenta tranquillitatis. Huic occupavit vota, primuſque fecit, quod Cardinales fecerunt. Jureque occupavit. Ubi* SYDUS ALBANUM *creſceret in*

ſplen-

ſplendidiſſimum Solem, ſedaret hic ventos, & fieret magna tranquillitas. Equidem primæ CLEMENTIS *curæ, vèl in perditiſſimis innocentiam reſtituere, populi terræ motibus concuſſi ſublevare anguſtias, annonam transferre, nùnc hùc, nùnc illùc, ut poſcerent tempus, ac neceſſitas, Verbi divini prædicationem revocare in Petri Cathedram, ad ſuprema Orbis confinia deſtinare Operarios Evangelicos, indefeſsè in orbis Chriſtiani pacem vigilare, Maximum Principatum onerare maximarum operatione virtutum; sèd nèc poſtremæ forent, quem ſemper dilexit, Ordini ſemèl proſpicere. Ita* FOELIX *inſtructus, non credidit ſe fœlicem, non fœlices nos, niſi diem ſuis natalibus auguſtam redderet auguſtiorem* ALBANI *Cardinalis deſtinatione in Summum Hierarcham. Deprecatus eſt ille, quod merebatur: malebat eſſe, qui fuerat.*

Recuſavit ad lachrymas uſque Sacerdotium : ſed non fuit liberum . Quia urgendæ , imò adducendæ Ordinis tranquillitati , CLEMENS *in terris futurus erat ſollicitior,* FOELIX *in cœlis voluit eſſe ſecurior .*

Parùm fuit , SANCTI PATRIARCHÆ, *veſtrâ providentiâ , dare Principem , qui firmaret Ordinem , dediſtis & Conſiliarios Principis , qui viam ſternerent firmitati Ordinis , Cardinales Ampliſſimos ,* NICOLAUM ACCIAJOLUM , LEANDRUM COLOREDUM , SPERELLUM SPERELLIUM , *&* JOANNEM MARIAM GABRIELLIUM , *Eccleſiæ Romanæ Lumina , & Columina . Horum labor parturivit noſtrum otium , ſollicitudo tranquillitatem . Sanctiſſimi* CLEMENTIS *authoritate conſcripti Patres perfecerunt plenum periculi negotium , Ordinis aut ſuo ſchiſmate proterendi , aut eorum miſeratione ſervandi .*

Quem ,

Quem, veſtrâ providentiâ, non movere lapidem, Auguſti Reges, CHRISTIANISSIMUS, *&* CATHOLICUS, *ut Ordo conſpicuus nomine Trinitatis revireſceret laude unitatis? Urſerunt pacem Ordinis, urgent pacem Orbis; & hanc ſanè majori impendio, majoribus curis: At non majori affectu, non majori pietate. Fallor: Magnis impendiis, magnis curis urgent pacem Orbis: At majori affectu, majori pietate urſerunt pacem Ordinis. Chriſtiana Charitas ordinata in omnibus Juſtis, ordinatiſſima in Regibus* CHRISTIANISSIMO, *&* CATHOLICO, *expoſcit propria curari propenſiùs extraneis. Regius porrò eſt Ordo, non modò, quia ſub* CHRISTIANISS., *&* CATHOLICO *natus; verùm magis, quia è* CHRISTIANISSIMO, *&* CATHOLICO *natus. Idem, qui Lilia, Crucem, ſanguis irrigat. Idem germen floruit in Reges, qui Barbaros enſe compeſcant, ne Chriſtia-*

nos ſervitute opprimant, & in Ordinem, qui Barbaros auro emolliat, ut Chriſtianos ſervitio oppreſſos liberent.

Veſtrâ providentiâ, de conjunctione hàc, quæ firmat Ordinis libertatem, ſalutem, ſecuritatem, ſolliciti Eminen. TUSSANUS *de* JAMSON, *& Excellentiſs.* JOANNES FRANCISCUS *de* PACHECO, *ubi Reges* CLEMENTEM *ſupplicarunt, regias* CLEMENTI *ſupplicationes expoſuerunt. Pacem noſtram ſibi Reges vindicant; ſed horum operâ ſibi vindicant. Jure Principis illi vindicant: iſti Oratorum. Idem opus omnium; & ſi gloria diſpar: gloria illis imperandi: gloria iſtis parendi. Equidem gloria diſpar: at ſuppar. Et ſive diſpar, ſive ſuppar, gloria ponè divina. Paruerunt enim, & ad exitum uſque paruerunt. Infirmi cura, non curatio incumbit Medico; At hi curam ſimùl adorti, & curationem. Parùm fuit, veſtrâ Providentiâ duce,*

ado-

adoriri ; perfecerunt veſtrâ Providentiâ comite ; atque ideò Magnum : quid enim Magnos , niſi Magna deceant?

Benignè , quos audivit , ad Ordinis tranquillitatem , Sacratiſſimos Reges SANCTISSIMUS HIERARCHA , *ut plurimùm audivit ore Illuſtriſs. , ac Reverendiſs.* D. JOSEPHI *de* MOLINOS. *Pro Regis utriuſque authoritate , Oratoris utriuſque dignitate , quos præferebat , veſtrâ Providentiâ , in ſermonem* JOSEPHI *aureum os compoſitum , Orbi celebrem reddit pacandis animorum diſſidiis , quem , in uno collecta Juris utriuſque ſcientia dudùm fecerat illuſtrem componendis litium diſcordiis .*

Suſtentaſtis è cælo , Patres Piiſſimi , Filios , candidâ in Annalibus Ordinis , veſte lapillo candidiore ſignandos , qui , Procuratorio Partium nomine , in Urbe agebant grande negotium . Non defecerunt , veſtrâ ope , laboribus attriti , ſu-

dori-

doribus madidi, ſollicitudine anxii, aſperis, frequentibuſque itineribus laſſi, quos arctus panis, aqua brevis non refocillaret, nec ſomnus plerumque reficeret.

Veſtrum opus fuit moderatio, quà ſuam, in ſchiſmate Ordinis, poteſtatem, fortunamque oblitterarunt Provinciales Caſtellæ, qui nupèr præerat, & qui nùnc præeſt. Horum divina virtus, veſtrâ ope ſuffulta preſſit omnem dominandi cupiditatem, ne obſtarent conjunctioni, ſed ut publicà utilitate illecti flagitarent conjunctionem, ut ſubeſſe optarent, qui præerant, propterea digni pro publicà Re tùnc magis imperare, cum pro publicà Re ceſſerunt imperio.

Tanti erat, REVERENDISSIME PATER, *te Sanctis* PATRIARCHIS *ſubſtitui, te in Ordinis Ducem, ac Supremum Caput præſtitui. Et quantâ concordiâ, quantoque concentu virtutum?*

Quò

Quò illuſtriùs iſtæ reſplendeant, junguntur avitæ nobilitati ſanguinis, ut adamas vincitur auro. Jàm duo exornant Ordinem, ſumma virtus, quæ tua eſt, & ſumma claritas, quæ tuorum eſt. Equidem ſi loquerer de prophano Principatu, illi, quà imperium meruiſſes, addidiſſet iſta ſuffragium; ex illà oporteret, ex hàc deceret te Principem fieri. Sed regimen ſacrum, ac Regulare, quod caro, & ſanguis non revelat, dedignatur ſanguinis gloriam. In laudum ſuarum parte non patitur conſtitui, quæ utinàm non ſola ſæpè laudetur. Tua te, non tuorum virtus compſit ad Ordinis gubernium. Tu familiæ omnem tibi gloriam oblitteraſti. Primus inter liberos, adeòque charior patri, adoleſcebas in ſpem numeroſæ poſteritatis. At occupaſti deſideria ſancta parentum, deſiderio ſanctiore Cælibatus. Et quà mentis conſtantià, quo cordis affectu? Ne vo-

lupta-

luptatum maritalium quicquam in ſacrum pectus, admitteres, Deo, & Ordini te ſacraſti, clàm Patre, clàm Patrià. Jàm pęnè compleveras tyrocinia Religionis, & adhùc te Religioſum ignorabat Pater. Agnovit tandèm; ſed te Authore agnovit. Qui occulueras, ubi viveres, revelaſti tandèm, ubi mori prędeſtinaveras. Utrumque ad grande obſequium: illud Dei, hoc & Patris. Neſciſti Patrem, quando à Cruce poterat impedire: Noviſti Patrem, quando à Cruce non poterat expedire. Jàm verò Cruci, per ſolemnia Religionis vota, confixus, ſempèr cautè ſervaſti; quæ olim non incautè promiſeras. Spiritum, ſanguinem, patriam receperunt ſacræ ſcientiæ per te, cujus in Ordine tempus omne fuit docendi, nullum diſcendi. Exedras, & ſuggeſta magnus utròbique Doctor impleſti, ſuſceptus vèl ipſis Regibus, ac Reginis aure attentà,

ſed

ſed propenſiori corde. Quid enim? Poſſet CHRISTIANISSIMIS *ingrata eſſe ſecta vitæ ſanctioris, cujus eras tu ipſe ſpecimen verbo, exemplar opere. In neutro ingratus fuiſti, sèd in utropue gratiſſimus; hinc eloquentià deſtinatus à* REGIIS CONCIONIBUS, *pietate à* REGIIS ELEEMOSINIS; *utrâque à* REGIIS CONSILIIS.

Quàm in te ſibi congruunt Os aureum, & Manus plenę Hyacinthis. Nec enìm propterea egenus tibi, quia dives aliis. Recipis multiplicato fœnore, quidquid manu liberaliore tranſmittis in pauperes. Jure Hyacinthos dixerim, quos innumeros redimis è ſervitute Captivos. Ingens equidem hæc tuæ virtutis gloria, ſed quam per aſperrima ingentium quæſiſti experimenta laborum. Maria tranaſti, barbaras terras appuliſti, Afriſque Tigribus ferociorem Afrum ita domaſti, ut, quibus Captivis perdendis inhiat totus, odio Religionis, totus

inhia-

inhiaverit ſalvandis cupidine auri. Talem te decebat eſſe Redemptorem, qui veſtigia ponè calcares primi REDEMPTORIS, *qui, ad primi amuſsim, parendo aptareris imperio.*

Rexiſti diù Monaſteria, Provincias; at ſempèr animo ſubjecti. Aliorum electio te, non propria cupiditas evexit. Et obſtinatum tibi non noſſe regimen, ubi Ordinis unioni una obeſſet regentis perſona. Publicæ tranquillitatis præ imperio amorem hunc non credent poſteri, quando vix præſentes capiunt; nèc caperem ego (ignoſce REVERENDISSIME PATER) *niſi, teſtis de viſu, ex ſyngraphis proprià manu obſignatis, probè noſcerem te, quem nomine refers, & virtute* GREGORIUM *retuliſſe. Vox una fuit amborum.* Si propter me tempeſtas hæc orta eſt, projicite in mare.

At ſile jàm, ſile, non æquus Judex in propriâ causâ. Æquiſſimus in

tua

tuâ Ordo, cujus, dùm ita ſentis, tranquillitatem protrahis, non tempeſtatem avertis. Ille à ſpe relapſus in formidinem, hàc te voce, quam omnes audiamus, expoſtulat.

Per momenta conſumor, qui diviſus in membris, fruſtrà ſperem revireſcere niſi coaleſcam ſub te uno Capite. Proptèr te jactor undis, quin & illidor in ſcopulos, ludibrium homini factus, & abjectio plebi. At non proptèr te, quòd imperes: propter te, quòd non imperes. Diù deſideratus dubitas excipere labentem, & uno te ſuſtentandum, reparandum? Sed ego beatus eſſe non poſſim, niſi ſim tuus, ſtare non poſſim, niſi tu ſuſtentes. Oro te, Pater tuus, Dominus tuus, & qui poſſem imperare, ut præeſſes, malo impetrare, ut præſis. Quod olim tibi velle non licuit regimen, nolle nùnc non licet. Nolit Eccleſiaſticos honores qui emit vel favore ſæculari,

vèl

vel ſuffragiis aſſentantium: Hic aliundè intrat, non per oſtium intrat: ut fur, ut latro intrat. Vocaris à Deo tu novus Aaron, quem non clarificavit ambitus, ut Pontifex fieret. Generalem, ac Majorem Miniſtrum creavit SANCTISSIMUS CLEMENS UNDECIMUS, *in omnibus Dei legatione fungens. Unius Dei judicium fuit, electio fuit. Oro te, Pater tuus, Dominus tuus. Quid cunctaris? Obſequere Patri Filius. Æquo ſempèr animo, paratoque ſubjiſti, aſperum quodcunque munus injunxi. An duci velis, non ducere? At major erit obſequii gloria, ſi, quod minùs velis, hoc alacriùs impleas. An velis tibi vivere? Macte animo Fili: quà dudum moderatione rexiſti Monaſteria, Provincias, rege Ordinem: Eſtò præpoſitus publicis rebus, non deſines eſſe privatus....*

Ea-

Eâdem, quâ in multos, benignitate, eâdem indulgentiâ, eâdem regularis disciplinæ custodiâ, exerce imperium in omnes: eris non Prælatus cum subditis; at Parens cum liberis. Fastu, & arrogantiâ non agnoscebare Superior, non agnoscéris: Eosdem tuos, eundem te putabas, eundem nos, enndem te putabis. Par omnibus gradiebare, par omnibus gradiere. Hoc tantùm cæteris major, quò melior. Maneat tibi, quæ prior humanitas; omnibusque elatior, & excelsior in Ordine, nihil in Ordine, nisi virtute, ab infimâ plebe differes. Nova authoritas omnia circà te, nihil in te mutaverit. Calcabas olim confusa cum cęteris vestigia; Non verearis in posterùm calcare. Hærebat lateri tuo quisquis accederet, hæreat: occurrebas, occurre, comitabaris, comitare: Optimos tibi Assessores deli-

gebas, delige. Regebas animata lex, ut leges inanimes, quæ noſtras cupiditates moderantur, nobiſcum tamèn, & intèr nos verſantur. Rege. Eminebas, ut honor, & poteſtas, quæ ſupèr homines quidem, hominum ſunt tamèn. Emine. Non eſt excellentia honoris, quam Chriſtianâ moderatione declines, eſt excellentia virtutis, quam ope divinâ conſerves, & augeas, auctamque ſupremo perficias Chriſtianæ Charitatis effectu, qui eſt Pax, ſeù Tranquillitas ordinis.

Et en tibi, REVERENDISSIME PATER, *omni jure aſſertum hoc meu m qualecunque opus. Vulgare ſit; vile ſit, inſimum ſit: Tu faſtidire nèc poſſis, nèc debeas; at quantò viliùs, tantò gratantiùs excipere, tantò benigniùs reſpicere.*

Pax, ordiniſque tranquillitas omnia redixit in primum; & quantò inferiora

ſunt,

ſunt, tantò perfectiùs ſubduntur ſupremo, adeòut, in civilibus, reluctari poſſit aliqualitèr Civis imperio Principis; nullàtenus tamèn Servus imperio Domini. Porrò, intèr creaturas, Angelus, & Homo, quia potiores, reluctantur fini particulari Divinæ Providentiæ; non ita cæteræ, quæ Creatori ſervilitèr ad nutum obediunt. Equidem inferiores, & ſuperiores non ordinantur ad eoſdem fines. Aptantur ignobiliores ignobilioribus, & nobiliores nobilioribus; At ſemper ignobiliora ineluctabiliùs ſubjiciuntur ſuperiori. Quare & Apoſtolus ajebat: 1. Cor. 12. Quę putamus ignobiliora membra eſſe corporis, his honorem abundantiorem circumdamus: & quæ inhoneſta ſunt noſtra, abundantiorem honeſtatem habent. *Igitur quò minoris pretii credatur* Inſtructio *hęc eò ſubmiſſiùs erat*, REVERENDISSIME

PATER, *in te reducenda, eòque abundantiùs eſt per te fovendâ; quin & Author ipſe, quantò, inter cæteros, quorum curæ fuiſti præpoſitus, virtute deſpicabilior, tantò ex eâdem Pacis notione, ac Apoſtoli authoritate, debet præ cæteris tibi eſſe honorabilior, ut cæterorum*

TUÆ PATERNITATIS REVERENDISS.

Humillimus, & Obſequentiſſimus Famulus, ac Filius

Franciſcus Maria Campionus.

Nos Fr. Joannes Baptiſta Coppolâ in Sacrâ Theologiâ Magiſter, & Provinciæ Italiæ, Siciliæ, & Sardiniæ Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Miniſter Provincialis.

OPus inſcriptum *Inſtructio pro ſe præparantibus ad audiendas Confeſſiones* &c. à P. Franciſco Mariâ Campiono noſtri Ordinis Religioſo compoſitum, & juxtà præfixam Aſſertionem Thologorum, quibus id commiſimus, approbatum, ut typis mandetur, quòad nos ſpectat, facultatem concedimus. Ex hoc noſtro Conventu S. Mariæ de Remedio, Neapolitano.

M. Fr. Jo: Baptiſta Coppola
Miniſter Provincialis.

IM-

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sac. Pal. Apoſtolici.

Dominicus de Zaulis Epiſcopus Verulanus Viceſgerens.

EX commiſſione Reverendiſſimi P. Fr. Paulini Bernardinii Magiſtri Sac. Palatii Apoſt. ego infraſcriptus attentè legi librum inſcriptum: *Inſtructio pro ſe præparantibus ad audiendas Confeſſiones*; compoſitum à Franciſco Mariâ Campiono Cleri Examinatore Apoſtolico, &c. Nihil in eo reperi, niſi utilem, ſanamque doctrinam, in pluribus excerptam à Sacroſanctâ Synodo Tridentinâ, Conſtitutionibus Apoſtolicis, Catechiſmo Romano, & Angelico Doctore S. Thomâ. Quàpropter cenſeo librum ſatis dignum, qui fiat publici Juris. Hac die primâ Maii 1703.

Fr. Jacobus Riccius S. Theologiæ in Archigymnaſio Sapientiæ de Urbe Lector, Cleri Examinator Apoſtolicus, & Ord. Prædic. Proc. Gen.

IMPRIMATUR.

Fr. Paulinus Bernardinus Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtol. Mag.

IN-

INDEX CAPITUM

PRIMÆ PARTIS.

PRæfatio, *in quâ innuitur finis, argumentum, & Methodus Operis. Caput* 1. *pag.* 1.
Damna, & Utilitates Mali, ac Boni Confessoris. C. 2. *p.* 9.
Compendium Doctrinæ Magistri Sententiarum circà Sacramentum Pœnitentiæ. Cap. 3. 15.
Dispositiones, quas in Peccatore ad justificationem sess. 6. *c.* 6. *requirit Tridentinum. Cap.* 4. 33.
Compendium doctrinæ Tridentini sess. 14. *de Pœnitentiâ. Cap.* 5. 39.
Compendium Doctrinæ Catechismi Romani circà Sacramentum Pœnitentiæ. Cap. 6. 44.
Doctrina Ritualis Romani circà Sacramentum Pœnitentiæ, ac Notæ ad illam. Cap. 7. 54.
Decretum Concilii Lateranensis sub Innocentio III. de Confessione, & Notæ ad illud. Cap. 8. 66.
Constitutio Clementis X. pro parte, quæ tangit administrationem Sacramenti Pœnitentiæ. Cap. 9. 70.
Litteræ Patentes Eminentiss. & Reverendiss. D. Card. Vicarii pro facultate audiendi confessiones in Urbe, ejusque Districtu, & Notæ ad illas. Cap. 10. 76.
Restrictus Monitorum S. Caroli pro Confessariis C. 11. 88.
Præparans se ad confessiones curabit scire sequentia circà Ministrum Sacramenti Pœnitentiæ. Cap. 12. 107.
De partibus materialibus hujus sacramenti. Cap. 13. 118.
De Formâ Sacramenti Pœnitentiæ. Cap. 14. 138.
Adducuntur Canones antiqui Pœnitentiales. Cap. 15. 145.
Observationes in prædictos Canones. Cap. 16. 180.
De Excommunicatione. Cap. 17. 184.
De Reservatione Casuum, & Censurarum. Cap. 18. 198.
Dantur Canones in Bullâ Cœnæ Domini. Cap. 19. 213.
Catalogus Censurarum, irregularitatum, & Pœnarum

Ecclesiasticarum. Cap.20. 228.
Quis, & qualitèr debeat absolvere ab Excommunicatione. Cap.21. 294.
De Recidivo, Consuetudinario, Constituto in occasione proximà, & constituto in periculo proximo. Cap.22. 300.
De Indulgentiis quoad praxim. Cap.23. 305.
De ipso Pœnitentiæ Sacramento. Cap. 24. 318.
Dantur propositiones in materiâ morum prohibitæ ab Alexandro VII. Cap. 25. 322.
Dantur propositiones prohibitæ ab Innocentio XI. C.26. 336.
Dantur propositiones Michaelis de Molinos prohibitæ ab Innocentio XI. Cap. 27. 353.
Dantur propositiones prohibitæ ab Alex. VIII. C.28. 375.
Observationes generales in prop. prohibitas Cap. 29. 385.
Præparans se ad confessiones debebit magni semper facere doctrinam S. Thomæ. Cap.30. 387.
Præparanti se ad confessiones proponitur distinctio actuum internorum. Cap. 31. 392.
De Passionibus Animæ. Cop. 32. 399.
De Principiis bonorum actuum. Cap. 33. 406.
Quid circà peccatum in genere debeat particularitèr addiscere præparans se ad confessiones. Cap. 34. 414.
De Ignorantiâ, quæ habet causare, vel excusare peccatum. Cap. 35. 433.
An peccatum aliàs mortale, quia contrà legem, reddi possit veniale, & quomodo. Cap. 36. 449.
An peccatum de se veniale reddi possit mortale. C.37. 458.
De legibus in generali. Cap. 38. 463.
De Conscientiâ. Cap.39. 484.

INSTRUCTIO

PRO

Præparantibus ſe ad audiendas Confeſſiones.

CAPUT PRIMUM.

PRÆFATIO,

In quâ innuitur finis, argumentum, & Methodus Operis.

1. EODEM motivo, quo in opere nuper edito inſtruxi Ordinandos, ducor nunc, ut ſcribam Inſtructionem pro præparantibus ſe ad Confeſſiones excipiendas: quantò enim gravius eſt miniſterium, tantò majori diligentiâ curandum eſt, ut exerceatur dignè, ac laudabilitèr. Alias Confeſſarius exponit ſe periculo infinitorum cri-

minum, quæ juvabit hìc innuere, ſaltem in confuſo: nàm credo veriſſimum, quod dicitur Jer. 12. Deſolatione deſolata *eſt omnis terra, quia nullus eſt, qui recogitet corde*. Multi aſſumunt munus Confeſſarii, omninò ignorantes, quale ſit hoc munus, unicè reſpicientes ad ſtipendium, per Superiores Eccleſiæ deſtinatum, exercentibus tale munus. Cognoſcuntur moveri hoc tantùm fine, quia, ſi deinde contingit eos remanere proviſos de pingui beneficio Parochiali, cujus principaliſſima obligatio eſt adminiſtrare Sacramentum Pœnitentiæ, vix ampliùs adminiſtrant, ſed omnia committunt Vice Parocho.

2. Sciat igitur Sacerdos anhelans audire confeſſiones, hæc ſequentia: ſi pro fine principali intendat ſtipendium, peccat graviſſimo Simoniæ mentalis peccato toties, quoties renovat hunc actum ſecundò agnoſcens, vel debens agnoſcere ſe omninò inſufficientem audiendis confeſſionibus, peccat, quando examini ſe exponit, & quando petit, vel accipit litteras patentes Epiſcopi, vel alio modo acceptat juriſdictionem: tertiò peccat toties, quotiès audit confeſſiones, committens tot ſacrilegia, quot audit Pœnitentes: quartò eſt reus omnium Sacramentorum, quæ confert invalidè, v. g. ſi abſolvit à reſervatis &c. quintò eſt reus omnium injuſtitiarum, quæ committit Pœnitens, v. g. non reſtituendo, ubi obligatur reſtituere; & illum Confeſſarius ex ignorantiâ gravitèr culpabili deobligavit; in quo caſu obli-

obligatio restituendi cumulatur Confessario, cum omnibus conditionibus annexis restitutioni, quòd statim teneatur ad omnia damna &c. sextò insuper est reus peccatorum, quæ committendi periculo se exponit, etiamsi actu per accidens non committat: septimò etiamsi neminem audiat, si est paratus audire quemlibet ad se venientem, reus est tot sacrilegiorum, quot paratus est committere, & magis est reus in hoc genere, quàm publica meretrix in suo, quia in quolibet loco hæc potest habere pauciores concurrentes, quàm Confessarius, sed præsertim in Urbe populosâ, & in Ecclesiâ magnæ frequentiæ: octavò peccat totiès, quotiès advertens se omninò insufficientem, non adhibet debitam diligentiam, ut per studium competens fiat sufficiens.

3. Ne in tot peccata labatur Sacerdos cupiens audire Confessiones, proposui, sicut illum instruxi ad suscipiendos Ordines, ita instruere ad audiendas Confessiones. In hoc genere, diebus nostris penè infiniti sunt libri spectantes ad Theologiam Moralem, ne igitur actum agam, judicavi procedere juxtà Methodem, quam sequuntur in examinandis Confessariis Examinatores ab Apostolicâ Sede in Urbe constituti. Ordinariè hi non examinant super casus difficiles, aut hinc inde controversos inter Catholicos. Unicuique super his permittunt sequi, quod judicaverit magis congruum in Domino; nihilominùs in approbando exigunt scientiam suffi-

cientem circà Theologiæ Moralis prima principia, circà Pœnitentiæ Sacramentum &c. Inſuper quod hæc ſcientia ſit non Theorica tantùm, ſed & practica: v.g. non tantùm ſciat furtum eſſe peccatum, ſed in praxi ſciat interrogare Pœnitentem circa ſpeciem, & numerum furtorum, quò judicet in praxi, quot peccata commiſit, quam pœnitentiam mereatur &c. Hæc praxis eſt maximè neceſſaria, prætermittiturque cum ingenti Pœnitentium præjudicio. Mater ſe accuſat, quod v. g. maledixerit filiis; niſi Confeſſarius exquirat, an ore tantum, vel etiam ex animo maledixerit, ignorat genus peccati, num ſit veniale, vel mortale. Accuſat ſe juraſſe: ſpeciem peccati nequit agnoſcere Confeſſarius, niſi exquirat, an juramentum fuerit aſſertorium, vel promiſſorium: an habuerit intentionem jurandi &c. quæ tamen explicatio ſpeciei, ac numeri neceſſaria eſt ad validitatem ſacramenti: Hac methodo procedunt Examinatores Urbis, quam plures primò fatentur ſibi omninò ignotam, ſed deinde addunt eſſe omninò neceſſariam, & quia crediderim vix eſſe, qui tractent hoc Ordine Theologiam Moralem, ideò judicavi ſcribere hoc opus; & qui noverunt ideam, unanimes me extimularunt ad ſcribendum.

4. Pro hac praxi neceſſaria eſt aliqua ſcientia Theologiæ Moralis, ſaltem ordinaria, ſed univerſalis circà omnia peccatorum genera, quæ ſolent frequentari in loco, ubi quis audit confeſſiones;

nes; quod etiam considerant Examinatores Romani: pro villâ exigunt scientiam peccatorum, quæ communia sunt rusticis; pro civitate, scientiam peccatorum, quæ frequentiùs in eâ solent committi. In Urbe maximè necessaria est cognitio Simoniæ, Bullę de datis, & acceptis pro obtinendâ gratiâ & justitiâ ab Apostolicâ Sede &c. Ubi Cives ut plurimum negotiantur, necessaria est cognitio Usuræ, Contractuum &c. Officium Episcopi est invigilare, ut admittendi ad Confessiones, præcipuè sciant de peccatis frequentioribus, vel reservatis in suâ Diœcesi, eorumque remedia. Et idem deberent exigere à Concionatoribus: nec enim in loco humili opus est exaggerare damna ambitionis, vani ornatus &c. A multis annis audivi sæculares tribuentes huic uni Concionatorum imprudentiæ tenuem animarum conversionem, quam afferebant antiquis temporibus multò majorem, quod, scilicèt, isti (sed non illi) adventantes ad loca suæ prædicationis informabantur de vitiis frequentioribus in populo; & illa arguebant, ubi non nemo ex nostris eandem ubique concionem repetit, nullo habito respectu, an possit competere tali populo.

5. Quia tamen libri publicè propositi non possunt restringi ad unam, vel duas civitates; ideò scribenti necesse est attingere materiam omnem virtutum, ac vitiorum, quia Confessarius in confuso saltem debet scire dubitare de omnibus peccatis, & etiam debet scire eodem modo vir-

tutes, ut videat, quando peccatur in omittendo actus virtuoſos; & ita ego procedam. Præparantis ſe ad Confeſſiones erit pro ſuâ prudentiâ, ubi agitur de aliquo peccato reflectere, an dominetur tale peccatum in loco ſuæ juriſdictionis; & cognito, quod ibi frequentetur, ſæpiùs, ac ſtudioſiùs de illo tractare. Spero autem, quòd omnes approbabunt hunc meum qualemcunque laborem, ſi eâ benignitate animi, ac patientiâ legerint hanc operam, quà ordinandi dignantur legere *Inſtructionem pro ipſis editam*.

6. Ego ſanè quod promitto, curabo exequi. Tradam hanc notitiam univerſalem, abſtinens à caſibus difficilioribus, quos videre poterunt apud ſublimiores Theologos, qui profundius examinant materias. Imò & oro, & obteſtor, ut nunquam ſuper illis judicium ſuum proferant, ni ſi quolibet caſu radicitùs examinato apud iſtos. Exemplum ſumant à Juriſtis. Hi habent Inſtitutiones & civiles, & criminales, & Eccleſiaſticas: habent volumina ſuarum legum; nihilominus ubi debent judicare, an caſus iſte particularis compræhendatur ſub tali principio, vel lege, ſemper evolvunt libros, qui agunt de tali materia. Theologus etiam ita debet procedere: nam ſepiùs una circumſtantia facit non eſſe peccatum, quod aliàs eſſet peccatum; nec id ſemper poteſt quilibet determinare à ſe ipſo ex ſolâ cognitione principiorum, ſed indiget directione.

7. Et nihilominùs quia juxtà Apoſtolum debi-

bitores sumus sapientibus, & insipientibus, pro iis, qui optant in studio Theologiæ Moralis jacere profundiores radices, assignabo passim loca, in quibus de prædictâ materiâ tractat Sanct. Thomas facilè Princeps Theologiæ tùm Scholasticæ, tùm Moralis; & ordinariè assignabo loca tantùm ex suâ summâ. Equidem Angelicus in aliis septemdecim tomis sæpissimè multò diffusius examinat materias morales, & casus difficiliores in particulari, nihilominùs ego scribens pro præparantibus se ad audiendas confessiones, video in hoc magno numero pauciſſimos habere opera omnia Sancti Doctoris, cum Summa teratur omnium manibus; quare pro pluribus esset superflua hujusmodi citatio ex aliis tomis; Insuper qui habent, nullo negotio poterunt supplere meo deffectui. Currit enim annexa operibus Tabula Aurea Petri Bergomensis, quæ est Index copiosus rerum memorabilium in operibus Angelicis. Hanc consulat; quod si Tabulæ citationes ex se ipso non facilè percipit, adeat aliquem ex Patribus Dominicanis, vel alium in doctrinâ S. Thomæ versatum; hujus enim ductu compræhendet omnia horæ vel uno quadrante.

8. Aliqua in hoc meo opere, videbuntur primâ facie satis obscura. Id provenit; quia nec in schols docentur, nec apud Casuistas inveniuntur explicata; contingetque Lectori, ut contingit audienti novas voces, non tamen terreatur quisquis ille est: curet intelligere, cum fortè sint

velut elementa Theologiæ Moralis. Id apparebit in iis, quæ dicentur de nostris internis actibus, quorum tamen cognitio nisi habeatur, Confessarius nequit perfectè dirigerè animas. Si prima vice non percipiuntur, septiès repetita percipientur, & placebunt.

9. Notabit Lector quandoque nonnulla repeti; & fortè id fuerit in aliquo casu mea inadvertentia: ut plurimùm tamen id contingit, quia rationes S. Thomæ sunt veluti principia universalia plurimarum conclusionum, de quibus propterea quando agitur, necesse est repetere principium illud uuiversale, ut detur legitima ratio. Habet sæpissimè idem S. Doctor. Suam utramque summam, & Scholasticam, & contra Gentes ille fundat super eo unico principio, (ut deducitur ex c. 14. contra Gentes l. 1.) quod Deus omninò sit immobilis, seù quod idem non possit secundùm idem esse in actu, & in potentiâ. Hoc principium, utpotè fundamentum Theologiæ totius, necesse habet sæpiùs inculcare; non propterea hæc repetitio est superflua, nec generat fastidium, sed imò aperit viam, ut semper faciliùs penetretur; & sic videantur plures propositiones deducibiles ex tali principio. Et ego curabo nihil repetere ex superfluo, sed tamen sæpiùs attingam principia, & rationes universales.

10. Denique condonandum mihi erit, si minùs Latinè loquar: Nemo Theologorum Moralium

lium profitetur elegantiam sermonis; & sanè prudenter: Vigent nostris temporibus peccata quædam inter Christianos, quæ, Philosopho teste. Ethic. Gentilibus tunc temporis erant innominata, quæ scilicet, ipse vocat Bestialia, ad differentiam nominatorum, quæ dicit humana. Certè in his explicandis nemo potest exigere candorem sermonis, sed sufficit, si aliquo modo explicat illorum substantiam; quòd si cuilibet Morali difficilis est candor latini sermonis; multò minus hic erit exquirendus à me, qui scribo non doctis, sed Sacerdotibus ordinariis volentibus se præparare ad audiendas confessiones, & ut plurimum versatis in latinitate usuali, non politâ. His dandum est lac, potus, non esca, ut solent Examinatores Romani, nunquam in examine obligantes illos ad respondendum Latinè, quia cognoscunt plures Nationes, præsertim Italos, maximam pati difficultatem, in utendo Latinis verbis, maximè, quando ex improviso interrogantur.

CAPUT II.

Damna, & Utilitates Mali, ac Boni Confessoris.

1. COnfessarius potest esse in se malus, & tamen non esse malus Confessarius: est in se malus ille, qui suum officium exer-

exercet in peccato mortali; & ſi exerceat, ut debet, peccat quidem graviter peccato ſacrilegii, ſed non eſt malus Confeſſarius, quia non abutitur ſuo officio in damnum Pœnitentium. Si latro fieret Judex, eſſet malus in ſe, ſed non malus Judex, quando judicaret ſecundùm leges. Hìc non loquor de Confeſſario in ſe malo, qui tantùm ſibi nocet: Cap. 1. n. 2. innui mala plurima, quę ſibi infert Cõfeſſarius malus ex defectu ſcientiæ neceſſariæ. Malus pro hac parte nocet etiam plurimùm Pœnitentibus; verumtamen nocet, quaſi negativè, quatenus non confert illa bona, quæ tenetur conferre: Id paritèr prætermitto, ſed loquor tantùm de Confeſſario malo inferente damna poſitiva Pœnitenti. Et hæc præpono deſumpta ex oraculo duorum Pontificum Romanorum, ſcilicet, Pii Quarti, & Gregorii XV. expreſſo in Conſtitutione, quæ incipit: *Univerſi Dominici gregis*, edita de anno 1622. die 30. Auguſti.

2. Confeſſarius malus in hac vocatur *Peſtis* inficiens eum, cui *alios ſanandi officium eſt commiſſum*: Vocatur *Sal infatuatum*, quod non valet ultrà, *niſi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus*, qui Pœnitentibus *pro medicinâ venenum, pro pane aſpidem porrigit*: qui *ex cæleſti Medico infernalis Veneficus, ex Patre ſpirituali Proditor execrabilis animarum redditur*: qui *loco reconciliandi Pœnitentes Creatori noſtro, graviori eos peccatorum mole onerant, & tradunt in manus Diaboli*: qui *non ve-*

verentur facere injuriam Salvatori Nostro Jesu Christo, quos in animum sibi nequeunt inducere hi duo Pontifices, quod in casibus ibi assignatis *de fide Catholicâ rectè sentiant*: eosque propterea declarant suspectos de hæresi.

3. E' contra Tridentinum sess.14.cap.3. innuit utilitates boni Confessoris, dùm ait: *Res, & effectus Sacramenti* Pœnitentiæ, *quantum ad ejus vim, & efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo, quam interdum in viris piis, & cum devotione hoc Sacramentum percipientibus, conscientiæ pax, ac serenitas, cum vehementi spiritus consolatione consequi solet*. Enumerat quatuor effectus: primò justificationem peccatoris; & hic semper habetur, quantùm est ex vi Sacramenti: secundò pacem conscientiæ: tertiò serenitatem: quartò vehementem consolationem spiritus. Hi tres ultimi effectus non habentur in omni Pœnitente, sed in eo, qui est pius, & sumit cum devotione, nec semper habetur in istis, sed *interdùm*. Debet esse vir pius, hoc est, ex dono intenso Pietatis respicere Deum ut Patrem: Debet sumere cum devotione. Devotio autem est actus voluntatis elicitus à Religione, quo Pœnitens promptum se exhibet ad ea, quæ tangunt cultum Dei.

4. Cum his dispositionibus Pœnitens accedens ad Sacramentum Pœnitentiæ, *interdùm* consequitur pacem conscientiæ. Pax numeratur inter Beatitudines septimo loco, & tertio inter fructus Spiritus Sancti. (Differentiam Beatitudinum

à fru-

à fructibus vide in *Inſtructione pro ordinandis* c. 12. n. 8.) & Pœnitens conſequitur pacem vel ut fructum, vel ut Beatitudinem, quia Concilium non diſtinguit. Pax dicit coordinationem hominis ad Deum, ad proximum, & in ſeipſo: quare Pœnitens ita diſpoſitus ex vi Sacramenti *interdum* conſequitur, quod ſua conſcientia, magis, quàm juſtorum ordinariorum ſit ſubjecta voluntati divinæ, reſpiciat proximum, ut reſpiciendus eſt, & in ſeipsâ ſit pacata, non habens contrarietatem dictaminum, ita ut modò timeat eſſe inimica, modò non timeat, ſed credit ſe amicam; hæc magis, illa minùs juxta excellentiam pacis, quâ fruitur. Prætereà appetitus ſenſitivus ſi placentia ſibi ſuggerit conſcientiæ, non ſuggerit quaſi rebellis, & volens dominari, ſed cum debita ſubordinatione, quam ſemper præfert verus ſubditus civiliter.

5. Concilium magis explicat hanc pacem in tertio effectu, nempè, ſerenitate: Cœlum dicitur ſerenum, quando non obfuſcatur nubibus; & pariter Conſcientia dicitur ſerena, quando non obfuſcatur nubibus, aut timore inordinato, ne non peccata ſibi ſint remiſſa.

6. Tandem vehemens conſolatio ſpiritus afficit Pœnitentem, qui mille peccatis obvolutus, ubi ſe ad Sacramentum diſpoſuit, oratione, jejunio, & eleemoſinâ, plus quàm ordinariis, ſtatim ac abſolvitur, percipit in ſe ſatis diſtinctè, ruptas eſſe catenas, quibus tenebatur conſtrictus: Ante confeſ-

fessionem videbantur suo collo imminere montes: post absolutionem sentit se liberatum ab omni jugo.

7. Cum hæc quatuor dicantur effectus sacramenti, præparans se ad confessiones sciat propterea causari in nobis ex opere operato, virtute sanguinis Christi applicati per Sacramentũ. Quia verò sæpiùs illi continget dubitare, quomodo Sacramẽta causantia effectum ex opere operato, possint hunc effectum in uno causare minorem, in alio majorem, imaginetur sibi Principem, qui habeat plures Vassallos captivos Barbarorum exigentium pro redemptione, & pro restituendis bonis, quæ antea possidebant, mille nummos aureos, quingentos pro redemptione, & quingentos pro cæteris bonis: Princeps autem edicit, ut de regio ærario solvantur quadringenti, quando consanguinei captivorum erogent centum: & prætereà pro recuperatione bonorum edicit, quòd de regio ærario dabit tantumdem, quantum de proprio consanguinei erogabunt: si decem, Princeps addet alia decem: si viginti, addet alia viginti &c. Hoc modo procedit Christus in Sacramentis: pro justificatione, si v. g. Pœnitens de suo, adjutus à Deo ponat dispositiones ab ipso requisitas, ex thesauro suorum meritorum ponit multò majus, ut possit justificari: & circà reliquos effectus observat proportionalitèr ordinem prædictum.

8. Concilium addit c. 5. *Hujusmodi confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, gravis*

vi-

videri poſſet, niſi tot, tantiſque commodis, & conſolationibus levaretur, quę omnibus dignè ad Sacramentum accedentibus, per Abſolutionem certiſſimè conferuntur. Loquitur de primo effectu: nam ait conferri *omnibus*, & *certiſſimè*. Igitur in juſtificatione nobis conferuntur *tot & tanta commoda, & conſolationes.*

9. Catechiſ. Rom. p. 2. c. 5. n. 37. hęc habet: *Quantum curæ, & diligentiæ in explicandâ* confeſſione *Paſtores ponere debeant, ex eo facilè intelligent, quòd omnibus ferè piis perſuaſum eſt, quidquid hoc tempore ſanctitatis, pietatis, & religionis in Eccleſiâ, ſummo Dei beneficio conſervatum eſt, id magnâ ex parte Confeſſioni tribuendum eſſe.* Nihil majus dici poteſt ad explicandas utilitates boni Confeſſoris. Omnis ferè ſanctitas, pietas, & Religio Eccleſiæ tribuenda eſt eorum miniſterio in adminiſtrando Pœnitentiæ Sacramento.

10. Promovendæ huic ſanctitati, pietati, ac religioni Confeſſores innumeri inſudant & Sæculares, & Regulares. Unicè tamen commemorabo S. Philippum Nerium. Optabat junior ſe transferre ad Miſſiones Indicas: Deus tamen eidem oſtendit Romam fore ſuas Indias, ubi *Sacerdos ex obedientia factus, in confeſſionibus audiendis ad extremum uſque diem perſeverans, innumeros pœnè filios Chriſto peperit.* Imò etiamnùm perſeverat, & perſeverabit per Sacerdotes ſuæ Congregationis diffuſæ per totum orbem, etiam in Indiis Occidentalibus; & dùm hæc ſcribo, inſtantiſſimè

pe-

petitur pro vastissimo Sinarum imperio.

11. En ante præparantem se ad audiendas Confessiones, *vita, & mors: bonum, & malum: quod placuerit ei, dabitur illi*: verumtamen advertat eo in loco Eccli. 11. addi: *Oculi Domini ad timentes eum, & ipse agnoscit operam hominis*, ut unicuique reddat *secundum opera ejus.*

12. Porrò ex Rituali duo præcipuè reddunt bonum Confessorem, bonitas, & scientia tàm speculativa, quàm practica, quæ dicitur Prudentia; & ex duabus in Constitutione Clementis X. de privilegiis Regularium §. 6. *præcipua* est *vitæ integritas, ac morum honestas.* Ego tamen in præsenti opere non differam de hac primâ, quam facillimè potest præparans se ad confessiones acquirere per alios libros innumeros. Ero totus in scientiâ ob dicta c. 1. n. 2.

CAPUT III.

Compendium Doctrinæ Magistri Sententiarum circà Sacramentum Pœnitentiæ.

1. ANtequam in particulari examinem singulas virtutes, & peccata, præparanti se ad confessiones proponenda sunt generalia, ex quorum, veluti principiorum cognitione faciliùs suo loco videbit, rationes fundatissimas conclusionum particularium; & ante omnia

omnia propono doctrinam Magiſtri, ex quo cæteri Theologi hauſerunt, & hauriunt. De Pœnitentiâ, & ut virtus eſt, & ut Sacramentum eſt, Magiſter agit ſatis diffusè in quarto à decimâ quarta ad vigeſimam tertiam diſtinctionem, inſerens aliquas quęſtiones ſcholaſticas pro praxi quidem utiles; At ego eas prætermittam gratiâ brevitatis, quia Confeſſoribus ordinariis non ſunt omninò neceſſariæ; qui vult profundiùs penetrare Theologiam Moralem, eas legat in fonte. Porrò in iis, quæ adduco, non me verbis alligo, ſed ſenſui: licebitque mihi ſenſum explicare per voces noſtro tempore notas, & communes.

Diſtinctio Decima Quarta.

2. POEnitentia longè poſitis à Deo neceſſaria eſt, ut appropinquent. Ex Hieronymo eſt ſecunda tabula poſt naufragium: qui veſtem innocentiæ baptiſmalis peccando perdidit, remedio Pœnitentiæ poteſt reparare. Prima Tabula eſt baptiſmus, ubi deponitur vetus homo, & induitur novus. Secunda Pœnitentia, quâ poſt lapſum reſurgimus, dùm vetuſtas reverſa repellitur, & novitas perdita reſumitur. Poſt baptiſmum prolapſi valent renovari per pœnitentiam, non per baptiſmum. Licet ſæpiùs pœnitere, ſed non baptizari. Baptiſmus tantùm eſt Sacramentum: pœnitentia dicitur & Sacramentum, & virtus mentis: Eſt enim pœnitentia, interior, & exterior. Exterior eſt Sacramentum, interior eſt virtus, & utraque

eſt

est causa salutis. A pœnitentiâ cæpit Joannis prædicatio Matth.3. *Pœnitentiam agite*. Quod Præco docuit, post Veritas prædicavit, sumens exordium sermonis à Pœnitentiâ. Pœnitentia dicitur à puniendo, quæ quis illicita commisit. Pœnitentiæ virtus timore concipitur. Pœnitentia ex Gregorio est *anteacta deflere, & flenda non committere*. Qui sic alia deplorat, ut alia committat, adhùc pœnitentiam agere aut ignorat, aut dissimulat.

3. Diffunditur hìc Magister circà duas opiniones tùnc temporis celebres. Altera, & vera docebat, posse adhùc peccari post pœnitentiam. Altera è contrà non posse peccari, & si peccatur, non fuisse veram pœnitentiam. Fundabatur in duobus principiis omninò falsis: primum, quod Charitas semel habita non possit amitti: Et hunc errorem S. Thomas repellit 2.2.q.24.a.11. secundum, quod omne peccatum post pœnitentiam commissum ita aggravetur, ut non ampliùs possit remitti. Hûc idem Angelicus repellit 3.p.q.84. ar. 10. ostendens post pœnitentiam posse levius peccari; sed & si gravius peccaretur, Dei Misericordiam esse multò majorem. Huic sententiæ Magister adhæret, ostendens ad veram pœnitentiam sufficere, quod, quando pœnitet, non habeat animum alia committendi, & curet satisfacere; quod si deinde peccet, prima pœnitentia dicitur inanis, &c. quia non perducit ad salutem. Per pœnitentiam acquisierat jus ad gloriam; sed eo iterùm peccante, mortificatur tale jus, ita, quod nequit homo consequi glo-

riam; ſi tamen ſecundò pœniteat, recuperando charitatem, recuperat illud jus ſibi conveniens ex vi primæ pœnitentiæ, ita quod in cœlo habebit præmium prædictæ pœnitentiæ; ſed ſi exiſtens in peccato mortali faciat opera bona, hæc dicuntur mortua, non mortificata: quare cum reſurgit per pœnitentiam, non vivificantur illa opera in peccato facta, ita quod eorum præmium ſit habiturus in cœlo. Ut igitur fructuoſa ſit Pœnitentia, ſemper debet dolere pœnitens, memor dixiſſe Chriſtum Jo.5. *Vade, & amplius noli peccare*; non dixit: *Non amplius peccâ*, ſed *amplius noli peccare*, prohibens, quod in nobis oriatur etiam ipſa voluntas peccandi. Quare ſemper virtualitèr ſaltem dolere debet, imò gaudere de tali dolore, & dolere, quod non ſemper poſſit actu dolere. Omnis tamen dolor ſit regulatus à fide. Quod ſi aliquando legatur unica tantùm eſſe Pœnitentia, intelligitur hoc, non de Pœnitentiâ, ut eſt Virtus, aut Sacramentum, ſed de Pœnitentiâ ſatisfactoriâ, Canonicâ, publicâ, & ſolemni, (de quâ videatur etiam Pontificale Romanum.) Hæc in pluribus Eccleſiis unicâ tantùm vice poterat imponi pro delictis gravioribus.

Diſtinctio Decimaquinta.

4. IN hac Magiſter diſputat, an Peccator poſſit pœnitere de uno peccato ſine alio. Ad id probandum primò arguit per authoritates. Præcipua eſt illa Nahum 1. *Non conſurget duplex tribulatio*;

tio; & secundum aliam lectionem: *Non judicabit Deus bis in idipsum.* Unde videtur sequi, quod peccator agens pœnitentiam de uno peccato, in hac vitâ, non ampliùs in aliâ super eodem castigetur à Deo. Secundò arguit ratione. Qui confitetur unum peccatum, aliis omissis, & implet pœnitentiam sibi à Confessario impositam, ubi omnia iterùm confitetur, non videtur obligandus ad novam satisfactionem.

5. Ad primum respondetur admittendo lectionem, sed addimus Deum flagellare quinque modis: primò Justos, ut Job, quò per patientiam crescant in meritis: secundò justos, ut Paulum, ne superbiant: tertiò alios, ut Mariam sororem Moysis, quò puniantur de peccatis commissis: quartò in Dei gloriam, ut cæcus ille Jo. 9. quintò incipit in hac vitâ flagellare peccatores, quò deinde continuet eos flagellare in aliâ; quare ex hoc numero est ille, qui unum peccatum sine aliis confitens, adimplet pœnitentiam impositam: incæpit enim de illo peccato castigari hìc, ut severius deinde continuetur castigari in inferno.

6. Ad secundum respondetur illam non fuisse veram, & Christianam Pœnitentiam in Evangelio prædicatam: dicitur enim Luc. 3. *Facite fructus dignos pœnitentiæ*; quæ ex Augustino ca. 72. Ench. est *peccatorum causas excidere, nec suggestionibus eorum aditum indulgere*. Peccator iste faciens eleemosinas, non sibi blãdiatur illo Christi dicto Luc. 11. *Date eleemosinam: & ecce omnia munda sunt vobis.*

bis. Eleemosina, ut prosit, debet esse ordinata, incipiens à seipso, juxtà illud Eccl. 30. *Miserere animæ tuæ placens Deo*; & iste peccator sibi est crudelis, non misericors: nam Ps. 10. *qui diligit iniquitatem, odit animam suam*. Ideò Matth. 2. dicitur: *Mundate, quæ intus sunt*; & quia scriptum est Act. 15. *Mundans fide corda eorum*: immundus est, qui facit eleemosinam sine fide per dilectionem operante. Deus quidem non abominatur opus bonum peccatoris; imò dicitur Matth. 23. *Hæc oportuit facere, & illa non omittere*. Sed tamen illud opus bonum, utpotè non elicitum ex charitate, non est satisfactorium; quod convenit tantùm pœnitentiæ satisfacienti de præteritis, & emendanti futura; qualis non fuit pœnitentia Judæ pœnitentis de proditione Christi, & committentis posteà homicidium sui. Tamen plenè intelligatur, quid sit emendare futura; nèc enim importat solùm restituere damnum illatum, sed principalitèr importat propositum efficax non ampliùs peccandi; & in hoc includitur propositum efficax statìm restituendi, quia *non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*.

Distinctio Decimasexta.

7. COnsiderat hìc Magister tres partes Sacramenti Pœnitentiæ, scilicèt, Cordis Contritionem, Oris Confessionem, Operis Satisfactionem. In qualibet harum ex Augustino: *Consideret qua-*

qualitatem criminis in loco, in tempore, in perseverantiâ, in varietate personæ, & quali hoc fecerit tentatione, & in ipsius vitii multiplici executione. Quibus verbis innuitur considerandas esse circumstantias mutantes speciem, & aliàs notabilitèr aggravantes intrà eandem speciem (si possunt notabilitèr variare Confessoris judicium.) Debentque circà omnes istas versari tres illæ partes sacramenti Pœnitentiæ: Pœnitens enim debet de illis conteri saltèm universalitèr, ita ut motivum doloris includat omnes, & ad melius esse convenit de omnibus dolere in particulari; debet omnes explicare in confessione, quantum potest; & debet de omnibus satisfacere Deo. Doleat, quod in uno peccans factus est omnium reus per ingratitudinem: Deo enim quoad substantiam recedendi ab ipso, ita fuit ingratus, ac si commisisset homicidium. Insuper factus est omnium reus, quia justitiam amittens, amisit cæteras virtutes, quibus sustentaretur, ne peccaret, amisit, v. gr. Castitatem, quâ amissâ facillimè cadet in luxuriam, &c.

8. Ita dolens, confiteatur distinctè, confessusque satisfaciat, præsertìm eleemosinis, quas Deus respiciet, quia Gen. 4. ubi primùm *Respexit ad Abel*, postea etiam respexit *ad munera ejus*. Meminerit in eleemosinis Deum respicere affectum dantis, non quantitatem dati: Non accedat statìm ad communionem, sed præparet se, præsertìm per grande desidèrium communicandi, dolens, quòd adhùc non sit perfectè dispositus pro com-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

munione. Caveat à falsâ pœnitentiâ, quæ talis eſt ex Gregorio c. *Falſas* d. 5., quando non fit *ſecundum authoritates Sanctorum, pro qualitate criminum* ſi Contritio, Confeſſio, & Satisfactio non ſint proportionatæ peccatis, & quales ex Evangelio, & Eccleſiâ exigunt Sancti.

9. Tres ſunt virtutis Pœnitentiæ ſpecies: Una ante baptiſma, juxtà illud Act. 2. *Agite pœnitentiam, & baptizetur unuſquiſque veſtrum*. Altera mortalium poſt baptiſma commiſſorum: Tertia venialium: Juſti enim veracitèr, & humilitèr dicunt quotidiè *Dimitte nobis debita noſtra*; adduntque jejunia, orationes, & eleemoſinas, quæ tamen ut habeant vim in venialia, conjungi debent alicui diſplicentiæ de ipſis venialibus; & plurimum prodeſt confeſſio ſacramentalis. Hæc opera ſatisfaciunt etiam pro mortalibus, ſed debent eſſe multò perfectiora; nàm debent conjungi diſplicentiæ, quæ ſaltèm appretiativè ſit ſuper omnia, ſacrificio cordis contriti, & humiliati, veræ orationi, quâ dicatur: *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, & hæc oratio talis ſit, ut ſaltem virtute ſacramenti, conſequatur gratiam juſtificantem, & charitatem.

Diſtinctio Decimaſeptima.

10. SOlùm innuam tres caſus hìc diſputatos, quia noſtris temporibus ſunt omninò clari. Primus eſt, an Contritio ſine Confeſſione juſtificet. Dicitur, quod Contritio eſt duplex,

alia

alia imperfecta, & alia perfecta charitate. Hæc, non illa justificat ante confessionem: Secundus est, an ad remissionem peccati requiratur absolutio Sacerdotis? Dicitur, quod in utroque dolore, ad remittendum peccatum, requiritur absolutio Sacerdotis; diversimodè tamen: Ad Contritionem charitate perfectam sufficit absolutio in voto, seu propositum subiiciendi peccata clavibus, & accipiendi Absolutionem: Ad imperfectam requiritur actualis absolutio, virtute cujus, tanquam instrumenti nobis applicentur merita Christi; quibus conjuncta contritio nostra operetur illam remissionem, ad quam ex se non poterat sufficienter disponere. Tertius est, an non Sacerdos possit absolvere. Super hoc vide dicta in *Instructione pro ordinandis* cap. 34. n. 15. 16. 17.

Distinctio Decima Octava.

11. HIc agitur de duabus clavibus: prima est scientiæ: secunda solvendi, & ligandi. Circà clavem solvendi, opinio Magistri hodiè rejicitur. Sed quia præparanti se ad confessiones fortè proderit, scire, quid ego circà illam, ex S. Thomâ hauserim, expono meam opinionem, quam poterit examinare, si sit fundata, necne. Igitur homo peccans mortaliter primò perdit gratiam Dei: secundò fit Reus pœnæ æternæ: tertiò remanet maculâ in essentiâ animæ, vi cujus etiam dormiens dicitur peccator, & inimicus Dei, per modũ,

quo post actualem mutilationem brachii, homo dormiens adhùc dicitur mancus, & deformis, & ita in Voluntate Potentiâ Animę, quanquam non fit ampliùs peccatum, ex illâ maculâ in essentiâ animæ homo dicitur, & est Peccator: quartò per peccatum incurrimus tenebras interiores, Ignorantiam in Intellectu, vi cujus ignoramus primariò, quæ facienda sunt propter Deum: Malitiam in Voluntate, vi cujus inclinamur ad amandum nos ipsos, non Deum. Infirmitatem in Appetitu Irascibili, vi cujus cedimus arduis, quæ occurrunt in Dei servitio: Concupiscentiam, vi cujus inclinamur ad bona sensitiva. Ut hæ interiores tenebræ singularum potentiarum fugentur, necessaria est in unâquaque specialis gratiâ Dei, nàm intellectu illuminato, nisi ulteriùs adjuvetur voluntas, utpotè adhùc mala, non poterit amare Deũ; & illuminato intellectu, ac rectificatâ voluntate, nisi confortetur specialitèr Irascibilis, non poterit superare contraria. Idem dic de Concupiscibili.

12. Quatuor hęc vincula solvit Sacerdos per absolutionem, quæ est instrumentum ad illa solvenda operans in virtute Christi: primò enim solvit à captivitate dæmonis, causans ministerialitèr gratiam sanctificantem, quâ redditur amicus Dei: secundò solvit reatum pœnæ æternæ, & reatum etiam pœnæ temporalis, vel in toto, vel in parte: tertiò solvit à maculâ: quartò solvit à tenebris interioribus. Et prima tria solvit per gratiam sanctificantem, quæ est effectus communis omni Sacramen-

cramento: quartum verò tollit per gratiam sacramentalem, quæ est specialis effectus hujus sacramenti; nam virtute Absolutionis, suo loco, & tempore prædictis quatuor potentiis datur auxilium, & gratia actualis, quà possint vitare peccata, major, vel minor, juxtà majorem, vel minorem dispositionem Pœnitentis, sed præcipuè secundum quod misericordia Dei respicit nos.

13. Sed quia horum vinculorum solutio nequit haberi sine dispositione Pœnitentis, videamus, quid, & qualitèr influat Pœnitens, quid, & qualitèr Sacerdos absolvens. Nulla forma introducitur in subjecto naturaliter, nisi prævièdisponatur subjectum: forma ignis non introducitur in lignum, nisi præviècalefiat, & exsiccetur lignum. Calefit autem successivè per septem gradus caloris, quibus introductis, generatur forma ignis, quæ producit sibi ultimam dispositionem, nempè, octavum gradum. Hic ex Angelico est ordo naturalis, cui certè in introductione formæ sanctificantis, Deus non est omninò alligatus, sed sine prævià dispositione potest sanctificare miraculosè. An velit facere hoc miraculum, solus Ipse potest dicere; ejus autem locutio est Sacrâ Scripturâ, ex quâ imò contrarium apparet, quòd nullatenùs adultum Deus velit sanctificare, sine prævià dispositione: *qui enim creavit te sine te, non justificabit te sine te.* Miraculosa fuit conversio S. Pauli, non tamen sine prævià dispositione, & præsertim sine dispositione ultimâ: Illam consideremus.

Sau-

Saulus ardens Act. 9. minarum, & cædis petebat Damascum vincire discipulos. In itinere audit Christum; & exclamat: *Domine, quid me vis facere?* Dispositiones ad gratiam sunt fides Dei Unius, & Remuneratoris. Credebat hæc, ut Hæbræus. Prætereà fides Trinitatis, Incarnationis, Mortis, & Resurrectionis Christi. Sciebat Jesum natum, crucifixum, & mortuum. Tùnc cognovit resurrexisse dicens ad illum, ut viventem: *Domine*: Cognovit ut Dei Filium: *Prædicabat Jesum, quoniam hic est Filius Dei*. Cognovit Spiritum Sanctum, dicente Ananiâ: *Misit me Jesus .. ut .. implearis Spiritu Sancto*. Baptizandus etiam cognovit in baptismo virtutem sanctificandi, quæ omnes sunt præviæ dispositiones: ultimam enim, quæ est simùl cum formâ sanctificante Tridentinum attingit sess. 6. c. 7. illis verbis: *Hanc dispositionem, seù præparationem justificatio ipsa consequitur, quæ .. est .. sanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum* Spiritus Sancti: Hæc voluntaria susceptio fuit utique in Paulo. Miraculum fuit, quod ordinariè disponitur successivè peccator timore pœnarum, dolore primùm imperfectiori, deinde perfectiori, sicuti lignũ calore primùm remissiori: postmodum intensiori. Paulus autem sine tot motibus, statim habuit dolorem perfectum & voluntariam susceptionem gratiæ.

14. His expositis, declarandum est, quid valeat absolutio Sacerdotis: Magnum re verà esset beneficium, si Deus concederet, ut ego proferens aliqua

qua verba, possem ex Christi meritis, introducere formam ignis cum octavo gradu caloris (qui est ultima dispositio) postquam lignum recepit quatuor gradus caloris, quando ipse Deus se solo agens, non introducit, nisi post septem gradus. Ita proportionaliter Deus se solo justificans, non introducit formam sanctificantem, nisi post talem, ac tantam justificati dispositionem, quam ipse novit, & nos præcisè ignoramus; sed ex meritis Christi dedit virtutem Sacerdoti absolventi, ut det Pœnitenti gratiam, & voluntariam susceptionem gratiæ, quæ est ultima dispositio existens simùl cum gratiâ, & producta ab homine tanquam causâ particulari; à Deo tanquam causâ universali, & à Sacerdote tanquam instrumento Dei per merita Christi. Ita explico vim absolutionis, quam alii aliter, & fortè melius explicabunt. Exemplum formæ ignis est satis ad propositum; sed caveas, ne velis esse idem omninò; nàm circà dolorem multi non requirunt gradus remissos, & intensos, ut in calore. De hoc non est disputandum, quia nihil prodest.

15. Altera pars Clavis ligat: primò ad Pœnitentiam, seù satisfactionem, quam Pœnitens tenetur sub mortali adimplere quàm primùm (Relaxatio pœnarum per Indulgentias concessas à legitimo Superiore spectat ad clavem solvendi:) secundò ligat per excõmunicationem, vi cujus Dæmon accipit majorem potestatem in excommunicatum, & quæ illum privat fructu orationum in-

Ec-

Eccleſiâ factarum, fructu benedictionum, & omnium aliorum ſuffragiorum.

Diſtinctio Decima Nona.

16. HIc agitur de Clavi ſcientiæ, quæ dicitur talis, quia dat poteſtatem judicandi, ſeù exercendi judicium in Chriſtianos: nec enim in ullo caſu poteſt quis dare ſententiam, niſi habeat poteſtatem judicandi; & prætereà niſi ſimul ſubditi ſint, qui judicantur: nam Rex Galliæ, quà Rex habet poteſtatem judicandi, ſed non Hiſpanos, quia iſti non ſunt ſubditi, quò uſque non ſubdantur. In ordinatione Sacerdotis datur poteſtas judicandi, ſeù clavis ſcientiæ: per conceſſionem juriſdictionis Epiſcopus illi aſſignat ſubditos. Poteſtas judicandi poteſt eſſe ſine ſcientiâ ad judicandum, ſicuti Rex adhuc puer habet poteſtatem, ſed non ſcientiam: E contrà Magnus Legiſta habet ſcientiam neceſſariam ad judicandum, ſed non poteſtatem, niſi quando creatur Judex, & quando creatur Judex, non judicat, niſi aſſignentur, ſeù determinentur ſubditi, ad quos judicandos habeat juriſdictionem. Sine poteſtate judicandi judicium Theologi, & Legiſtæ eſt doctrinale; cum poteſtate judicandi, & cum juriſdictione eſt authoritativum. Tamen, ut hoc ſit rectum, debet præcedere ſcientia. *Dolendum eſt*, inquit Magiſter, *atque lugendum: Multi enim ſcientiæ, quà eminere debent, exortes, ſacerdotii gradum recipere præſumunt, vitâ, &*

ſcien-

scientiâ eo indigni, qui nec ante Sacerdotium, nec post, scientiam habent discernendi, qui sint ligandi, vel solvendi. Quando absque scientiâ sufficienti, habens jurisdictionem, uteretur clave scientiæ, seù potestate judicandi, peccaret mortalitèr, nisi in extremâ necessitate. Sed si *bonâ fide* accedat Pœnitens, remanet absolutus; si *malâ fide*, invalidè absolvitur, quia accedit indispositus, & cum peccato, utpotè cooperans peccato Confessoris. Hic, ut exerceat rectè suum officium, faciat, quod præcipit Augustinus: primò non absolvat in peccato mortali: secundò sciat distinguere speciem, & numerum peccatorum, & circumstantias explicatu necessarias: tertiò adjuvet Pœnitentem, qui nescit, vel erubescit explicare peccata: qùartò sit *benevolus, paratus erigere, & secum onus portare*: quintò *doceat perseverantiam &c.*

Distinctio Vigesima.

17. HIc agitur de pœnitentiâ in fine vitæ: dicitur in tali articulo nemini hoc sacramentum esse negandum. Ob imminens periculum damnationis æternæ aliquando perfici pœnitentiam, quæ tali periculo, ut imminente non apprehenso, foret imperfecta, vel nulla. Confertur igitur hoc sacramentum peccatori moribundo, sed non ideò est validum. Datur pœnitentia, sed non certitudo Pœnitentiæ. Non dico, quod damnabitur, sed nèc, quod salvabitur. Igitur *tene certum dimitte incertum*. Certus es faciens pœnitentiam,

quan-

quando potes peccare. In articulo mortis facis non potens amplius peccare; ideò tunc peccata te desinunt, non tu peccata. Videris pœnitere ex necessitate, timore pœnę, non amore Dei, cum Deus velit charitatem, non necessitatem, nec solum timorem. *In solo enim timore non vivit homo*: Nemo absque charitate potest salvari. Hanc difficilè concipit pœnitens in extremo. A Dei amore tùnc retrahunt, uxor, filii, mundus illicitè amati. Non tamen est desperandum: Deus uti potest hac magnâ misericordiâ: sed si contritio non sit perfectissima, satisfaciendum erit pœnis Purgatorii, quæ excedunt pœnas omnes Martyrum. Easdem patietur pœnitens in sanitate, sed non plenè satisfaciens; etiamsi contigerit id ex negligentiâ Confessoris non imponentis pœnam proportionatam; quæ moribundo indicanda tantùm est, ut adimpleat, si convaluerit. Si magnus, ac publicus Peccator in fine vitæ petat confessionem, & moriatur ante Confessoris adventum, juvandus erit suffragiis Missarum, orationum &c.

Distinctio Vigesima Prima.

18. QUatuor hìc elucidantur: primò utrum in aliâ vitâ remittantur peccata; & quidem mortalium reatus quoad culpam, nequit deleri, sed tantum reatus quoad pœnam peccatorum in præsenti dimissorum quoad culpam. Venialia quoad culpam remittuntur per actum ardentis charitatis, quem eliciunt animæ separatæ, quando

exie-

exierunt ex hac vitâ cum aliquo affectu ad illa; quoad pœnam; per cruciatus Purgatorii patientèr toleratos. Et sunt in triplici genere: quædam vocantur stipula, scilicèt levissima, quæ sicut palea facillimè comburuntur, seù totalitèr delentur: quædam fænum, paulò graviora, & ut fænum, indigent majori tempore, quo comburantur: quædam vocãtur lignum, quod difficilius comburitur.

19. Secundò determinat explicandas esse in confessione speciem, numerum, & circumstantias necessarias peccatorum, si fieri possit: ubi hoc fieri non potest, explicet, quod potest saltem in genere. Omittens legitimè unum peccatum, si habeat, juxtà dicta nu. 7. dolorem universalem (in motivo saltem) absolvitur ab explicatis directè, ab omisso indirectè. Notat S. Th. suppl. qu. 10. art. 5. quòd peccatorum, quæ confitetur, ratione erubescentiæ dimittitur aliqua pars pœnæ temporalis solvendæ in Purgatorio, sèd non peccati, quod omittit, quia de hoc non patitur erubescentiam. Venialia sufficit confiteri in genere, sed utilissimũ est, ea etiam confiteri in specie, præsertìm, quando sint frequentia. Quæ leviora quotidiè committuntur ex merâ fragilitate, dimittuntur per confessionem in genere non sacramentalem, ter in die factam in Missâ, ad Primam, & ad Completorium, dummodò dicentes *Confiteor*, &c. adjungamus aliquem animi dolorem proportionatum.

20. Tertiò quærit, an mentiri quis possit in Confessione. Respondetur, si mendacium sit circà

cà peccatum mortale, invalidam eſſe confeſſionem, & committi ſacrilegium. Eodem modo, ſi ſit de veniali, quòd ſit materia totalis. At ſi non eſt totalis materia, erit veniale peccatum.

21. Tandem quartò quærit de ſigillo, vi cujus Confeſſor tenetur cælare quidquid audivit in confeſſione; quod ſi ſciretur, redderet odioſam confeſſionem. Sacri Canones deponunt Confeſſorem, qui violat ſigillum.

Diſtinctio Vigeſima Secunda.

22. QUæritur an peccata ſemèl dimiſſa redeant: v. gr. perfectè contrito remittitur nùnc peccatum; deinde negligit confiteri, an iterùm fiat reus peccati olim dimiſſi: vel ſic: Hodie dimittitur mihi peccatum in confeſſione: cras iterùm pecco; an cras redeat peccatum hodiè dimiſſum. Super hoc articulo Magiſter videns dicta Patrum, & Scripturæ, quæ videbantur varia, nihil determinavit, ſed humilitèr concluſit, *ſtudioſo Lectori judicandum relinquo addens mihi tutum fore, ac ſaluti propinquum, ſub mensâ Dominorum micas edere*. Tamen S. Thomas, & communitèr alii docent maculam peccati ſemèl ablatam non ampliùs redire, ſed ſequens peccatum aggravari ex ingratitudine contrà Deum, qui totiès remiſit, & totiès offenditur.

23. Denique quia in omni ſacramento reperiuntur hæc tria. *Sacramentum tantùm*: *Res Sacramen-*

menti tantùm, & *Res sacramenti*, *ac sacramentum*: pro primo in sacramento Pœnitentiæ assignat, actus sensibiles, & externos significantes internam remissionem: pro secundò internam remissionem significatam: pro tertiò actus illos externos cum remissione internâ.

CAPUT IV.

Dispositiones, quas in Peccatore ad justificationem requirit Tridentinum sess. 6. cap. 6.

1. PRæparans se ad confessiones curabit hęc omnia comprehendere perfectè, ut adjuvet suo tempore Pœnitentes rudiores, qui deficerent in illis. Hodiè plurimum frequentantur confessiones, nec tamen correspondet fructus. Id autem maximà ex parte provenit, quòd ignorentur dispositiones necessariæ. Sciuntur quidem in genere datæ in *Instructione pro ordinandis* c. 11. n. 26. necessariæ omni Christiano etiam rudiori, sed ignorantur speciales actus, quorum notitia multùm dirigeret Confessarium; nec indoctum vulgus, utpotè incapax potest percipere. Igitur judicavi multùm expedire, quòd hìc omnes particularitèr observentur. Non tamen decido an omnes hi actus debeant esse formalitèr in ipso justificando, vel an sufficiat, ut sint virtualitèr ut aliqui prætendunt. Nolim enim hìc ego disputare de

mente Concilii. Addo solum, quod si aliquæ dispositiones possunt concurrere virtualitèr tantùm, hæc virtualitas est explicanda secundum dicta in *Instructione pro ordinandis* c. 14. n. 9.

2. *Disponuntur*, inquit Concilium, *ad justitiam, dùm excitati divinâ gratiâ, & adjuti*. Prima dispositio tota ex parte Dei, est duplex *gratia* excitans, & adjuvans; ita ut nomine gratiæ excitantis intelligatur illuminatio intellectus, & nomine adjuvantis motio appetitus intellectivi, & sensitivi, vel alio quocumque modo intelligant Scholastici utramque gratiam.

3. *Fidem ex auditu concipientes*. Secunda dispositio est actus potentiæ intellectivæ, quo ex sensu auditus concipitur fides. Consideret unusquisque, an iste actus pertineat ad donum Intellectus, ut præambulum, juxtà ea, quæ ait S. Thomas 2.2. q. 7. a. 5. c. & ad 1.

4. *Liberè moventur in Deum*. Tertia est motus liber voluntatis, qui à Scholasticis dicitur *pia affectio*; & per illam complacemus de Deo, juxtà conceptum præcedentèr à nobis formatum.

5. *Credentes vera esse, quæ divinitùs revelata, & promissa sunt*. Quarta dispositio est actus fidei, tendens in omnia revelata, & promissa; unusquisque consideret, an omnia possint credi tantùm implicitè, vel omnia suo ordine, ita quod explicitè sint credenda necessaria necessitate medii. Ut notavi; nolo hìc de meo quicquam dicere. Singuli videant, quid cõgruat mẽti Patrũ per dicta verba explicatę.

6. *Ai-*

6. *Atque illud in primis juſtificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu.* Credendus eſt explicitè hic articulus in particulari, quod juſtificatio, ſeù jus ad gloriam habetur per gratiam Dei, per redemptionem noſtrum completam à Chriſto Jeſu, qui eſt ſecunda perſona Sanctiſſimæ Trinitatis; Porrò fuit completa redemptio per Incarnationem, Paſſionem, Mortem, & Reſurrectionem Chriſti.

7. *Et dùm peccatores ſe eſſe intelligentes.* Quinta diſpoſitio eſt actus intellectus; quo ſe homo agnoſcat peccatorem.

8. *A divinæ juſtitiæ timore, quo utilitèr concutiuntur.* Sexta diſpoſitio eſt actus voluntatis, ut Iraſcibilis, quo timet ſibi pœnam; Timor ordinatè ſequens ad fidem de Deo Remuneratore boni, ac mali, & ad cognitionem, quod homo ſit peccator.

9. *Ad conſiderandum Dei miſericordiam ſe convertendo.* Septima diſpoſitio eſt conſideratio intellectus de Dei miſericordiâ, quæ per conſequens ſupponitur credita, & nùnc judicat, quod ignoſcet ſibi ut ignovit aliis.

10. *In ſpem eriguntur.* Octava diſpoſitio eſt actus Spei à voluntate, ut Iraſcibili, elicitus poſt notatum actum intellectus, & hęc ſpes firmat deſideriũ.

11. *Fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore.* Nona diſpoſitio eſt novus actus, qui dicitur fiducia, & in quem influit, ut quiſq; videt, fides de Deo, de ejus miſericordiâ, & de Chriſto cauſante in nos remiſſionem peccatorum per ſua merita.

12. *Illumque tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt.* Decima diſpoſitio redit ad voluntatem: eſt enim amor initiativus Dei, ut à quo eſt omnis noſtra juſtitia.

13. *Propterea moventur adversùs peccata per odium aliquod, & deteſtationem, hoc eſt, per eam pœnitentiam, quam ante baptiſmum agi oportet.* Undecima diſpoſitio nominatur alius actus voluntatis, qui tamen ſupponit, quod intellectus reflectat ad ſua peccata; & hic actus voluntatis eſt odium peccati, non tamen qualecunque odium; Notetur enim illa particula cauſalis *propterea*, quæ importat odium procedere per influxum, ſeù in virtute diſpoſitionum priùs enumeratarum. Quia loquitur de juſtificatione per baptiſmum, ideò ponitur odium peccati, quale ſufficit ad pœnitentiam ante baptiſmum. Applicando proportionatè hanc doctrinam juſtificationi peccatoris baptizati, odium iſtud eſſe debebit, quale requiritur in ſecundâ ſpecie Pœnitentiæ, ſcilicèt, mortalium poſt baptiſma, quæ ex ſeſs. 14. c. 2. exigit magnos noſtros fletus, & labores.

14. *Denique dùm proponunt ſuſcipere baptiſmum, inchoare novam vitam, & ſervare divina mandata.* Duodecima diſpoſitio ponuntur tres actus voluntatis, vel ſaltem unus, qui ſit virtualitèr triplex, nempè, propoſitum baptiſmi, inchoationem novæ vitæ & obſervantiæ mandatorum. In baptizato requiretur propoſitum ſacramenti Pœnitentiæ. Qui actus in voluntate præſupponunt ſpeciales actus

præ-

præcedentes in intellectu: tùm quia nihil volitum, quin præcognitum: tùm quia, ut ait S. Thomas ſuppl.q.2.a.4.Contritio ex parte propoſiti *habet aliquid de actu prudentiæ adjunctum*. Has duodecim diſpoſitiones Concilium enumerat c. 6. decimam tertiam innuit c. 7. his verbis.

15. *Hanc diſpoſitionem, ſeù præparationem juſtificatio ipſa conſequitur, quæ..eſt..ſanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum*. Juſtificatio ſequitur ad præcedentèr dictas diſpoſitiones, ſed non in eodem inſtanti: quare nulla ex illis duodecim poteſt eſſe ultima; cum ultima diſpoſitio ad formam debeat eſſe ſimùl cum formâ: Ex actibus noſtris, qui neceſſariò coęxiſtat ſimùl cum gratiâ, reperitur hęc voluntaria ſuſceptio gratiæ. Hic actus habet aliquam cauſalitatem in gratiam; ſignificatque Concilium id eâ præpoſitione *per voluntariam* &c. nàm dicta prępoſitio importat de ſe cauſalitatem, nec aliam in hoc loco poteſt importare, niſi materialem: Omnis alia cauſalitas, ut per ſe patet, tali actui eſt impoſſibilis, etiam efficiens: etenim Dei ſolius eſt efficientèr cauſare gratiam. Utique verum eſt, quòd utpotè pars materialis ſacramenti elevatur à Chriſto ad attingẽdum effectivè gratiam, ſed Chriſtus elevat partem materialem, ſeù diſpoſitionem. Cujus verò virtutis actus ſit hęc voluntaria ſuſceptio gratiæ, quæ eſt ultima diſpoſitio ad gratiam, non aperio præparanti ſe ad confeſſiones ordinarias, quià nihil confert ad praxim. Profundiùs

volens rem examinare videat, an hìc habeat locum doctrina S. Thomæ 2. 2. q. 25. a. 2.

16. Confeſſarius maximè calleat has diſpoſitiones, & curet eas in actu poni à Pœnitentibus: Has per Eccleſiæ organum Spiritus Sanctus declaravit ſe velle in juſtificando. Det Deo quod ſcit velle Deum: de aliis ignorat, ſaltèm an placituræ ſint Deo; ſed de iſtis non poteſt dubitare. Addat, ſi placet, alias pro neceſſitate, & capacitate pœnitentis; Addat tamen, ſciens, quòd addere ſupponit eſſe, cui aliquid additur. Curet etiam, ut ſervetur ordo: incipiat à primis, inculcando Pœnitenti magnam fidem de revelatis, & promiſſis, inter quæ eſt infernus promiſſus peccatori; oſtendat pœnas intolerabiles, & æternas: etenim maximè movebitur ex hac conſideratione peccator, qui ex nimio ſui amore receſſit à Deo: nàm amans ſe ipſum, firmèque credens tot ſibi pœnas imminere, facilè inducitur, ut contemnat bonum momentaneum, quod ſibi acquirit malum æternum; & quod ulteriùs reflectens, videat, ad ſibi verum bonum acquirendum, eſſe neceſſarium, ut adhæreat ſummo bono, ac vero fini ultimo. Advertat per has diſpoſitiones, veluti per gradus, perveniri ordinariè ad juſtificationem: quare ab unâ gradatìm deducat ad aliam, tranſeundo per mediam: nec enim aſcendit, qui ab ultimo, ſtatim tentat, non tranſeundo per decem media, ſe conſtituere in decimo tertio gradu ſcalæ, v. g. ex præconceptâ fide, ordinariè loquendo, non ſtatim erigat ad ſpem, relinquendo

timo-

timorem. Si Deus ipse in justificando vult gradatim procedere, cur Confessarius Dei instrumentum velit procedere per saltus? quando instrumentum id solum, & eo ordine potest operari, quo & ad quod illum movet causa principalis: Moderetur tamen singula juxtà capacitatem, & præviam Pœnitentis dispositionem.

CAPUT V.

Compendium doctrinæ Tridentini de Pœnitentiâ sess. 14.

1. HIc Patres principalitèr intenderunt stabilire contrà hæreticos dogmata fidei Catholicæ circà Pœnitentiam; quare non indiget percipere fundamenta Scripturæ, ac traditionis ad illa comprobanda, qui præparat se ad confessiones ordinarias, præsertim in locis, ubi Catholici non sunt mixti Hæreticis; sed sufficiet proponere quid Concilium declaraverit per modum conclusionum; si tamen iste præparans se ad confessiones debeat agere cum Hæreticis, ut agere debent ordinati ad titulum Missionis; quos propterea Innocentius XI. voluit examinari super controversiis dogmatum, poterit se præparans circà Pœnitentiam legere posita in *Instructione pro ordinandis* c. 41. à nu. 38. ad 50. ubi contrà singulos errores damnatos data sunt argumenta potiora Concilii.

Dogmata firmata capite I.

2. Sacramentum Pœnitentiæ fuit inſtitutum à Chriſto ad remiſſionem peccatorum poſt baptiſma commiſſorum.

3. Pœnitentia quovis tempore fuit neceſſaria peccatoribus, ut ſe juſtificarent.

4. Etiam nùnc eſt neceſſaria infidelibus volentibus juſtificari, & ita, quod deteſtentur Dei offenſam cum odio peccati, & pio animi dolore.

5. Pœnitentia tamen ante Chriſtum non erat ſacramentum, ſicuti neque pœnitentia Catechumenorum poſt Chriſtum.

6. Chriſtus inſtituit hoc ſacramentum, cum Jo. 20. dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata*, &c.

Dogmata Capitis II.

7. Sacramentum Pœnitentiæ poteſt conferri totiès, quotiès homo Chriſtianus ſufficientèr diſpoſitus ad ipſum accedit.

8. Miniſter Sacramenti Pœnitentiæ, verè in illo adminiſtrando, exercet officium Judicis.

9. Sacramentum Pœnitentiæ remittit peccatum quoad culpam, ſed non totaliter quoad pœnam temporalem, quæ ut plenè remittatur, exigit magnos noſtros fletus, & labores.

Dogmata Capitis III.

10. Forma Sacramenti Pœnitentiæ ſunt illa Sacerdotis verba: *Ego te abſolvo* &c.

11. Preces à Sacerdote in abſolvendo adjunctæ ſunt ex determinatione Eccleſiæ.

12. Pre-

12. Preces istæ non spectant ad essentiam formæ, nèc necessariæ sunt administrando sacramento.

13. Hujus sacramenti veluti materia sunt tres actus Pœnitentis: Contritio Cordis, Confessio Oris, Satisfactio Operis.

14. Hi tres actus possunt etiam dici partes Sacramenti.

15. Hujus sacramenti effectus est reconciliatio peccatoris cum Deo.

16. Interdum etiam efficit pacem conscientiæ, & vehementem spiritus consolationem.

Dogmata Capitis IV.

17. Contritio est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.

18. Ut justificet, conjungi debet fiduciæ de Dei misericordiâ, & proposito faciendi, quantum exigitur ad ritè suscipiendum hoc sacramentum.

19. Contritio importat hos actus, cessationem à peccato, propositum, & inchoationem novæ vitæ, necnon odium veteris.

20. Contritio charitate perfecta justificat, antequam actu suscipiatur hoc sacramentum.

21. In tali casu justificatio tribuenda est etiam proposito suscipiendi hoc sacramentum; quod propositum includit ipsa Contritio.

22. Attritio dicitur etiam Cõtritio imperfecta.

23. Duo motiva Concilium nominat, ex quibus oriri potest Attritio, nempè, turpitudinem pec-

peccati, metumque pœnarum.

24. Attritio, ſi voluntatem peccandi excludat, & includat ſpem veniæ eſt donum Spiritus Sancti.

25. Hæc Attritio eſt donum Dei moventis, non adhùc inhabitantis.

26. Hæc Attritio per ſe, ſine ſacramento Pœnitentiæ, non poteſt perducere peccatorem ad juſtificationem.

27. Hæc Attritio diſponit ad impetrandam gratiam in ſacramento Pœnitentiæ.

Dogmata Capitis V.

28. Chriſtus inſtituit integram confeſſionem peccatorum.

29. Cuilibet Chriſtiano poſt baptiſmum lapſo in mortale peccatum, Confeſſio neceſſaria eſt *jure divino*.

30. Debemus confiteri, ſpeciem, numerum, & circumſtantias mutantes ſpeciem.

31. Niſi hæc explicentur, nequit ſervari æquitas in pœnitentiis injungendis.

32. Examen conſcientiæ debet præcedere confeſſionem.

33. Peccata mortalia, etiam merè interna ſunt confitenda.

34. Peccata venialia non tenemur confiteri; ſed tamèn utilitèr poſſumus confiteri.

35. Qui ex erubeſcentiâ tacet aliquod mortale peccatum, nec ab his abſolvitur, quæ dicit.

36. Peccata poſt diligens examen oblita, & omiſſa in confeſſione, remittuntur ſimul cum reli-

reliquis, quæ explicantur.

Dogmata Capitis VI.

37. Minister Sacramenti Pœnitentiæ est solus Episcopus, & Sacerdos.

38. Esto hi sint in peccato mortali, habent potestatem absolvendi.

Dogmata Capitis VII.

39. Invalidè absolvit Sacerdos, qui cum potestate Ordinis, non habet potestatem jurisdictionis.

40. Episcopi, & maximè Summus Pontifex possunt sibi reservare peccata quędã graviora, quę sic reservata Sacerdos inferior absolvit invalidè.

41. In articulo mortis nulla est reservatio, sed quilibet Sacerdos potest absolvere ab omni censurâ, & peccato.

Dogmata Capitis VIII.

42. Dùm macula remittitur peccati, non semper tota pœna remittitur debita peccato.

43. Confessarius debet imponere Pœnitenti satisfactionem proportionatam peccato, juxtà vires Pęnitentis, & secundum quod suggesserit prudentia spiritus.

44. Hujusmodi pœnæ Pœnitentibus impositæ debent esse satisfactoriæ pro præteritis, & medicinales pro futuris peccatis.

Dogmata Capitis IX.

45. Etiam temporalibus flagellis à Deo inflictis, & patientèr toleratis, Deo satisfacimus pro pœnâ debitâ peccatis.

C A-

CAPUT VI.

Compendium Doctrinæ Catechiſmi Romani circà Sacramentum Pœnitentiæ.

1. UTiliſſimum foret hìc exponere omnem Catechiſmi doctrinam de Sacramento Pœnitentiæ ex p.2. c.5. ſed id non patitur exigua moles operis. Ergo colligam compendio, quæ magis neceſſaria videbuntur, obſecrans, & obteſtans præparantem ſe ad excipiendas confeſſiones, ut ipſum in fonte legat, & ſæpiùs, Catechiſmum. Si in miniſterio domus Oeconomico filius obediens habet frequentiſſimè prę oculis regulas, quibus ipſum dirigere ſtudet Materfamilias in exercitio talis miniſterii, quantò magis in adminiſtratione hujus ſacramenti, debet eniti filius Eccleſiæ Romanę, ut Matris ſuæ directæ à Spiritu Sancto monita relegat, & opere compleat?

2. Igitur n. 1. innuitur obligatio Parochi ad explicandam vim hujus ſacramenti, talis, ac tanta, cui complendæ nulla diligentia *ſatis videri poſſit*. Quia enim ſecunda eſt poſt naufragium tabula, fidelis quiſque debet eniti precibus, & opere, ut nunquam perdat innocentiam baptiſmalem; ſed ſi ex fragilitate ceciderit, inſtruendus eſt non differri debere hoc ſacramentum, quo bonus Paſtor obligat vulnera ſuarum ovium, eiſque medetur.

3. A n. 2. ad 8. datis variis acceptionibus hujus no-

nominis *Pœnitentia*, eam, de qua hic sermo est, dicit esse dolorem, quo *unius Dei causâ*, intimo animi affectu dolemus admissi sceleris, vel etiam signum aliquod externum damus hujus doloris; & quidem dolor intimus animi spectat ad virtutem Pœnitentiæ, qui conjunctus signis externis à Christo determinatis, spectat ad sacramentum Pœnitentiæ, nàm si tantùm pœnitentia sit externa, parùm prodest. Intima igitur, quæ virtus est, consideranda primum est, quia præsupponitur ad rationem sacramenti. Per hanc igitur *ad Deum nos ex animo convertimus*, cum odio peccati, proprosito emendæ, & satisfaciendi, non sine spe veniæ consequendæ, ad quæ sequitur dolor, & tristitia, & per hunc dolorem multi ex Sanctis Patribus descripserunt Pœnitentiam. Quia, ut dictum est, importat conversionem ad Deum, & supponit fidem;

4. A n.8. ad. 11. Pœnitentia hæc interior, proponit, & curat satisfacere Deo, ex affectu justitiæ, non quidem rigorosæ, sed quæ potest intercedere inter Filium, & Patrem, inter servum, & Dominum, proceditque per eos gradus, & actus, qui ex Tridentino dicti sunt cap.4. Catechismus adducit sex principaliores cum S. Thomâ 3.p.q.85.a.5. Primus est gratia Dei: secundus est actus fidei: tertius motus timoris servilis: quartus est motus spei: quintus motus charitatis: sextus motus timoris filialis, quo nos voluntariè subjicimus Deo, & ejus gratiæ. Propterea virtus hæc à Catechismo vocatur *divina, & cælestis*.

5. A

5. A n. 11. ad 18. Oſtenditur externam pœnitentiam eſſe ſacramentum reiterabile, cujus materiâ *nihil populo fideli notius eſſe debet*; ſed & formæ explicationem non eſſe prætermittendam à Parochis, quod *ejus cognitio excitet fidelium animos ad percipiendam ſummâ cum religione hujus ſacramenti gratiam*. Ait preces addi ab Eccleſiâ, *ut removeantur ea, quæ poſſent impedire vim, & efficientiam hujus ſacramenti culpâ illius, cui adminiſtratur*. Et cùm verba formæ importent abſolutionem peccatorum, Deo gratiæ ſunt agendæ, quod ubi Sacerdos antiquus ſolùm declarabat mundatam lepram corporis, Evangelicus Sacerdos efficit mundationem lepræ animæ, tanquam Miniſter operans in virtute Dei cauſæ principalis.

6. A n. 18. ad 22. Primò declarat, quo ritu Pœnitens debeat accedere ad hoc ſacramentum, magnâ, ſcilicet, cum humilitate, reſpiciens in Confeſſario perſonam Chriſti, & ſe dignum omni ſupplicio. Secundò ait, quod *nihil tàm proderit fidelibus, nihilque majorem illis alacritatem pœnitentiæ ſuſcipiendæ afferet*, quam ſi Parochi explicent illius utilitatem. Vide hos effectus à Tridentino traditos cap. 2. à n. 3. Primus effectus, eſt remiſſio peccati, & reconciliatio cum Deo, adeò certa & infallibilis, ubi pœnitentia eſt vera, & habet omnia requiſita, ſive ex naturâ rei, quando eſt virtus tantùm, ſive ex inſtitutione Chriſti, quando inſuper eſt ſacramentum, adeò, inquam, eſt certa, & infallibilis in prædicto ſuo effectu, ut remittat omne peccatum,

catum, esto gravissimum, quia nullum est, quod absolutè sit irremissibile; & nullum è contrà est, quod sine illà possit remitti quantumcumque leviſſimum; ipsa enim & peccata venialia indigent aliquà pœnitentiâ, si non ut est sacramentum, tamen, ut pœnitentia est virtus.

7. Nu.22., & 23. ostendit, quod Parochi debent sigillatim differere de partibus Sacramenti Pœnitentiæ jàm propositis c.5. n.13. *ex quibus veræ, & salutaris pœnitentiæ ratio à fidelibus percipi queat*; & proponit rationes, quibus Parochus uti potest ad ostendendum populo, cur illæ dicantur partes, & cur sint tres.

8. A n.24. ad 37. explicat primam partem Pœnitentiæ, scilicèt, Contritionem, asseritque primò *diligenter* explicandam esse populo, ut illam, sicuti *debet*, possit elicere in omni instanti, quo Deum offendit, vel quo recordatur se Deum offendisse. Primum tradit definitionem Contritionis (quam hìc non repeto, utpotè pluriès insinuatam in præcedentibus) & varia nomina, quibus eam nominat Scriptura, & Patres. Ostendit secundò in contritione de offensà Dei dolendum esse super omnia, & appretiativè, & intẽsivè: *Sit non solùm maxima, sed vehementissima*: sic enim erit omni ex parte perfecta; quanquam si non possimus pertingere ad hanc intensionem, adhùc erit *vera*, & *efficax contritio*, si appretiativè dolor sit super omnia. Sed optanda, & commendanda est omnis intensio possibilis, dicente Augustino: *Non sunt in te Christianæ pietatis*

tis viſcera, ſi luges corpus; à quo receſſit anima: animam verò, à quà receſſit Deus, non luges? Optandum igitur, & commendandum fidelibus, quod tàm intensè doleant, ut ex intenſo dolore prorumpant etiam in lachrymas, licèt eodem tempore Parochus debeat docere, quod non eſt abſolutè neceſſaria hæc doloris intenſio. Inſupèr *maximè hortandi, & monendi ſunt fideles*, ut de ſingulis mortalibus *proprium* habeant dolorem; ſed non *deſperent*, ſi quandoque non dolentes particularitèr de ſingulis, tantummodò videant ſe dolere in univerſali de omnibus: hoc enim ſufficit. Tertiò colligit, quæ *ad contritionem ſunt maximè neceſſaria*; nam de his vult à Parocho *accuratè doceri populum*, ut ſciat, quomodo eam poſſit acquirere, & quantùm diſtet ab ejus perfectione. Porrò *natura ipſa, & ratio oſtendunt* ad veram contritionem requiri odium peccati, propoſitum confitendi, ac ſatisfaciendi; maximè ſi læſit juſtitiam commutativam, ſatisfaciendo Deo, & proximo per reſtitutionem: quia *non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.* debet etiam, qui conteritur, ſuſcipere *certam, & ſtabilem cogitationem vitæ emendandæ*; ut proponat in totà vitâ ſuà nunquam ampliùs Deum offendere. Addit, quòd *ad contritionem maximè pertinet* condonare injurias. Circà utilitatem contritionis, (quò fideles laborent dirigere omnem ſuam vitam, & actiones, ad conſequendam contritionem perfectam) Parochi docebunt, pleraque alia pietatis opera, ut eleemoſinam, orationem, jejunium,

poſſe,

posse, ob nostram culpam, aliquando reprobari à Deo, sed non ita contritionem, quæ imò si sit charitate perfecta, statìm reconciliat hominem Deo; quare, ut fideles excitentur ad contritionem, Parochus monebit, ut *frequentèr* examinent conscientiam, & ubi peccatum in eà notabunt, statìm se accusent, supplices exposcant veniam, & tempus confitendi, ac satisfaciendi, necnon gratiam non ampliùs labendi; curabunt denique Parochi excitare in subditis maximum odium adversùs peccata, ostendendo quanta sint bona (maximè æterna) quibus nos privat, & quanta sint mala (maximè æterna,) quibus nos addicit.

9. A nu. 37. ad 55. agit de secundâ parte materiali Sacramenti Pœnitentiæ, quæ est *Oris Confessio*. Ut Parochi moveantur ad eam diligentèr populo explicandam proponit hanc rationem, quia *omnibus ferè piis persuasum est, quidquid hoc tempore sanctitatis, pietatis, & religionis in Ecclesiâ, Dei beneficio, servatum est, id magnâ ex parte Confessioni tribuendum esse*. Tres illius utilitates notat: Prima, quod confessio cum absolutione delét peccata vi clavium, esto dolor non sit *tàm vehemens, acer, & incensus*, qualis requiritur cum solâ contritione perfectâ, absque confessione: secunda, quod etiam sine ordine ad sacramentum, pro mutandâ vitâ, multùm prodest suum internum aperire fideli amico, qui juvet suo consilio, & operâ, ut multò meliùs sit aperire conscientiam Sacerdoti Vicario Christi, obligato severissimè ad sigil-

lum, & cui, ut rectè conſulat, idem Chriſtus aſsiſtit. Tertia, quod verecundia confitendi ſecretiora cordis, coercet nos, ne proponamus occulta, & nefanda ſcelera, quæ animo propoſita, tandèm exequeremur manifeſtè.

10. Confeſſio autem ſacramentalis eſt, accuſatio peccatorum ab ipſo peccante facta eo fine, ut impetret veniam. Inſtituta fuit à Chriſto, ut facienda Sacerdoti, cui referenda ſunt peccata, in ſpecie, numero, & circumſtantiis, *quæ pravitatem valdè augent, vel minuunt:* & exemplificatur de furto, cujus quantitatem vult Catechiſmus explicandam eſſe, quanquam aggravet ſolùm: ſi ſpontè aliquod peccatum grave omittatur, ſacrilega, & invalida eſt confeſſio; ſi ex oblivione omittatur, pœnitens habebit onus dicendi omiſſa., cùm venerint in mentem, quia confeſſio eſt valida, niſi *nimis diſſolutè, & remiſsè* fecerimus examen conſcientiæ: nàm in illo *oportebit iterare Confeſſionem*. Ad illam obligamur ex præcepto ſemel in anno, cum ſumus in periculo mortis; cùm timor eſt fundatus, quod niſi confiteamur, obliviſcemur peccati. Nèc prætermitti debet, quando volumus adminiſtrare, aut recipere ſacramenta (ex præcepto ſolùm obligat, quando volumus conficere, aut recipere Euchariſtiam, nihilominùs prætermittenda non eſt in aliis ſacramentis, quandoquidem dubitare multùm poſſumus, an volentes juſtificari, ut debemus, habeamus contritionem adeò perfectam, quæ nos actu juſtificet; quare multùm convenit con-

confiteri; etsi quis non confiteatur ante susceptionem sacramenti, convenit, ut in confessione primà se accuset, quòd susceperit sacramentum cum solâ contritione, quam ignorat, utrùm fuerit perfecta.) Porrò ad perfectionem confessionis requiritur, ut sit prudens, ac verecunda, scilicèt, expediens paucis, & modestis verbis, rationem peccati, in secreto, ore proprio, & quàm citò quis peccavit.

11. An. 55. ad 63. Minister Sacramenti Pœnitentiæ debet esse proprius Sacerdos, scilicèt, qui habeat jurisdictionem ordinariam, vel delegatam. In articulo mortis quilibet Sacerdos ab Ecclesiâ habet jurisdictionem, super omnes excommunicationes, & omnia peccata. Judicis, & Medici officium Confessarius gerit; propterea eum quisque *sibi*, *Sacerdotem deligat quem vitæ integritas, doctrina, prudens judicium commendet, qui & quantum in officio, cui præest, ponderis, & momenti sit, & quæ cuique sceleri pœna conveniat; & qui vel solvendi, vel ligandi sint, optimè noverit.* Meminerit primò Confessarius se teneri strictissimè ad sigillum: secundò observet, si Pœnitens habeat veram contritionem. Certum, quantum fieri potest, inducat, ut de illà gratias agat Deo, à quo petat gratiam exequendi proposita: tertiò inducat, ut *quotidiè* meditetur aliquid de passione Christi, quem curet imitari, & amare: peccamus enim, quia non meditamur cœlestia: quartò, quem non videt verè contritum, excitet ad contritio-

nem, ut ita excitatus illam petat à Deo: quintò reprimat ſuperbos, qui cauſam ſui peccati refundunt in proximum: hi enim adaugent peccata, dùm vel deſpiciunt, vel ignorant, quando, ſi ſunt injuriati, deberent pro malo non malum, ſed bonum reddere: ſextò addat animos iis, qui erubeſcunt fateri ſua peccata: ſeptimò objurget eos, qui rarò confitentes accedunt ſine examine, & ſine dolore. *Hujuſmodi prorsùs imparatos dimittat humaniſſimis verbis*; ut revertantur poſt examen, & dolorem: quod ſi videt procedere id, non ex malitiâ, ſed incapacitate, timetque, ne redeant, audiat illos, inducat, ut ſe accuſent de negligentiâ, promittantque majorem diligẽtiam in poſterum, & magnâ cautione advertens abſolvat, ſi viderit cum ſuo auxilio habuiſſe ſubſtantialia Confeſſionis; at ſi adhùc deficiant, dimittat, *ut blandiſſimè poterit* tractatum: octavò, quia multi erubeſcunt dicere peccata in juventute commiſſa, & ex ignorantiâ, aut oblivione omiſſa, eò quòd nùnc vivunt in opinione pietatis, Parochus & *publicè, & privatìm* doceat poſſe hominem facillimè labi memoriâ; nec tanti faciendam famam, ut præjudicetur veritati per cõfeſſiones ſacrilegas in futurum.

12. A nu. 63. ad finem capitis agitur de tertiâ parte Sacramenti Pœnitentiæ, ſcilicèt, ſatisfactione. Oſtenditur nomine ſatisfactionis intelligi primò pretium pro nobis à Chriſto in Cruce ſolutum: ſecundò pœnitentias Canonicas ab Eccleſiâ impoſitas, quæ hodiè dicuntur in Sancto Offitio pœniten-

tentiæ salutares: tertiò pœnitentias; quas unusquisque per se assumit, ex voluntate satisfaciendi Deo: quartò pœnitentias, quas Confessarius imponit pœnitentibus; & ad solutionem pœnæ temporalis debitæ peccatis confessis operantur ex opere operato. Dogmata autem stabilita priùs à Tridentino circà satisfactionem videantur in textu. Illud est notandum ex nu.74., quod opus ut sit satisfactorium, debet procedere à justo, & Dei amico; estque triplex, oratio, jejunium, & eleemosina, super quibus vide dicta in *Instructione pro ordinandis* c.11.n.37. Licèt unus possit satisfacere pro alio juxtà articulum Symboli, *Communionem Sanctorũ*; tamen, quia pœnitentiæ per Confessarios impositæ debent etiam esse medicinales, & unus nequit accipere medicinam pro alio, propterea, nisi aliud explicet Confessarius, Pœnitentes per se debent explere pœnitentias impositas. Confessarius autem in iis injungendis nihil statuat suo arbitratu, sed omnia dirigat justitiâ, prudentiâ, & pietate. Interdum, ut peccati gravitas ponderetur, significet, quas pœnitentias injungebant Canones antiqui Pœnitentiales pro tali delicto (id exigit, ut Parochus habeat maximè illorum notitiam, & videat unusquisque, an unquam eos legerit; pro quibusdam delictis Clericorum videatur *Instructio pro ordinandis* c.38.à n.2. & quoad omnia peccata ex S. Carolo c.15.) Ipse Catechismus inter aliàs, ait, quod maximè convenit Confessarium imponere Pœnitenti, ut certis diebus vacet oratio-

ni, ut pro aliis precetur, præſertim pro animabus Purgatorii. Hortabitur etiam, ut per ſe frequentent opera ſatisfactoria, nec iis tantùm ſint contenti, quæ ſibi imponuntur. Quod ſi aliquando publica pœnitentia ſit imponenda pro peccato publico, eamque refugiat Pœnitens, non illum facilè audiat, ſed perſuadeat alacritèr ſuſcipere, quæ futura ſunt ſalutaria, & ſibi, & aliis. Concludit Catechiſmus, quod hæc de Sacramento Pœnitentiæ, & ſingulis ejus partibus, ita Parochus docere debebit populum, *ut non ſolùm ea perfectè intelligat; sèd etiam, juvante Domino, re ipsâ, piè, & religiosè præſtare animum inducat.*

CAPUT VII.

Doctrina Ritualis Romani circà Sacramentum Pœnitentiæ, & Notæ ad illam.

1. PRæparans ſe ad audiendas confeſſiones non poterit meliùs comparare ſibi morum integritatem, & ſcientiam neceſſariam pro exercendo hujuſmodi officio Judicis, Medici, ac Doctoris, quàm apprimè callendo Ritualis doctrinam circà hoc Sacramentum. Filius ex obedientiâ matris maximè acquirit morum integritatem, & ex lumine Eccleſiæ acquirit ſcientiam. Hæc autem duo exercet, qui præparat ſe

ad

ad confessiones, maximè legendo, & exequendo Rituale Romanum, cujus usum in omni sacramento, verbis hisce gravissimis commendat Summus Pontifex: *Hortamur in Domino Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & dilectos filios eorum Vicarios, necnon Abbates, Parochos universos, ubique locorum existentes, & alios, ad quos spectat, ut in posterum, tanquàm Ecclesiæ Romanæ filii, ejusdem Ecclesiæ omnium Matris, & Magistræ authoritate constituto Rituali in sacris functionibus utantur, & in re tanti momenti, quæ Catholica Ecclesia, & ab eâ probatus usus antiquitatis statuit, inviolatè observent.* Sint igitur præ manibus Theologi, & celeberrimi quique Casuistæ, sed præ omnibus Rituale ita differens.

Instructio de Sacramento Pœnitentiæ.

2. *Sanctum Pœnitentiæ Sacramentum, ad eos, qui post baptismum lapsi sunt, in gratiam Dei restituendos, à Christo Domino institutum, eò diligentiùs administrandum est, quò plura requiruntur ad illud rectè, dignèque tractandum, ac suscipiendum.*

3. Hìc assignantur duæ causæ hujus sacramenti, finalis, & efficiens: finalis, dùm dicitur, *in gratiam Dei restituendos*: Efficiens, dum dicitur: *à Christo Domino institutum.* Præparanti se ad confessiones non est necessarium scire, quid sacramentis contulerit Christus, ut Deus; & quid Christus ut homo; sed quia potest multum prodesse, vi-

deatur S. Thom. 3. p. q. 64 a. 3. & 4.

4. *Cùm autem ad illud conſtituendum tria concurrant, materia, forma, & Miniſter: illius quidem remota materia ſunt peccata: proxima verò ſunt actus Pœnitentis, nempè, Contritio, Confeſſio, & Satisfactio: Forma autem illa Abſolutionis verba*: Ego te abſolvo, &c. *Miniſter denique eſt Sacerdos habens poteſtatem abſolvendi vel ordinariam, vel delegatam.* Hìc indicantur aliæ tres cauſæ, materialis, formalis, & inſtrumentalis, de quibus dicitur in ſubſequentibus.

5. *Sed ſi periculum mortis immineat, approbatuſque deſit Confeſſarius, quilibet Sacerdos poteſt à quibuſcunque cenſuris, & peccatis abſolvere.* Quia hoc tangit quemlibet Sacerdotem, dictum eſt in *Inſtructione pro ordinandis* c. 40. n. 4. & 5.

6. *In ejus Miniſtro requiritur etiam bonitas vitæ, ſcientia, & prudentia cum ſigillo ſecretæ confeſſionis ſub exacto, perpetuoque ſilentio. In primis meminerit Confeſſarius, ſe Judicis paritèr, & Medici perſonam ſuſtinere, ac divinæ Juſtitiæ ſimul, & Miſericordiæ Miniſtrum à Deo conſtitutum eſſe, ut tanquam Arbiter inter Deum & homines* (verba maximè conſideranda) *bonori divino, & Animarum ſaluti*, non ſuis paſſionibus *conſulat.*

7. *Ut ergo rectè judicare queat, diſcernens inter lepram, & lepram*, hoc eſt, diſtinguens ſpeciem, & numerum peccatorum, *& tanquam peritus Medicus Animarum morbos prudentèr curare & apta cuique remedia applicare ſciat*, non qualemcunque, ſed

sed quantam potest maximam ad id scientiam, atque prudentiam, tùm assiduis ad Deum precibus, tum ex probatis Auctoribus, præsertim è Catechismo Romano, & prudenti consilio Peritorum studeat sibi comparare. De scientiâ Confessori necessariâ dicetur ca. 12. n. 11. ubi etiam tangentur tria media hìc indicata ad illam consequendam, scilicet, oratio, studium, & consilium Peritorum.

8. *Sciat Casus, & Censuras Sedi Apostolicæ, & Ordinario suo reservatas, & suæ cujusque Ecclesiæ Constitutiones, easque diligentèr observet.* De Censuris, & Casibus reservatis dicetur cap. 18. 19. 20. Restat notanda illa particula *diligentèr observet*: debent enim observari, & diligentèr observari.

9. *Denique hujus sacramenti doctrinam omnem rectè*, non secundum opiniones quorundam relaxativas, *nosse studebit, & alia ad ejus rectam administrationem necessaria. Atque in hoc ministerio ita procedat, ut infrà præscribitur.*

Ordo ministrandi Sacramentum Pœnitentiæ.

10. *Sacerdos ad audiendam confessionem vocatus, promptum, facilemque se præbeat*, non asperum, aut alienum; peccabitque gravitèr, si respuat audire Pœnitentem, quando hìc obligatur ad confessionem: Parochus peccabit contrà justitiam: Alius Sacerdos contrà charitatem, si potens audire sine suo gravi incommodo, in tali casu dimittat inauditum; *Ac prinsquam ad audiendum accedat, si tem-*

tempus suppetat, ad hoc ministerium rectè, sanctèque obeundum, divinum auxilium piis precibus implorabit. Nunquam potest deesse tempus eliciendi orationem jaculatoriam ferventem, ut nobis adsistat. Precautiuncula longior extat inter monita Sancti Caroli c. 11. n. 11.

11. *In Ecclesiâ, non autem in privatis ædibus confessiones audiat, nisi ex causâ rationabili, quæ cùm inciderit, studeat tamen id decenti, ac patenti loco præstare.* Causa rationabilis audiendi confessiones in privatis ædibus exprimitur in litteris patentibus Eminentissimi Cardinalis Vicarii quoad Confessarios Urbis, quas lege, vel privilegium Cardinalium, Oratorum Regum, similemque virorum, quod privilegium ubi constet, poterunt audiri.

12. *Habeat in Ecclesiâ Sedem Confessionalem, in quâ sacras confessiones excipiat; quæ sedes patenti, conspicuo, & apto loco Ecclesiæ posita, crate perforatâ inter Pœnitentem, & Sacerdotem sit instructa.*

13. *Superpelliceo, & stolâ violacei coloris utatur, prout tempus, vel locorum feret consuetudo.*

14. *Pœnitens, si opus fuerit, admoneatur, ut, quâ decet, humilitate mentis, & habitus, accedat, & flexis genibus, signo Crucis se muniat.* In hoc signo Crucis renovatur actus fidei de principalioribus Mysteriis, ut dictum est in *Instructione pro ordinandis* c. 8. n. 53.

15. Porrò hìc Rituale præcipit duo opera satisfactoria, jejunium in illis verbis *humilitate habitus*, & *flexis genibus*. Aliquod ex his etiam sæpè in-

innuit S. Carolus. Nec Rituale tamen, nec Sanctus exigunt ante sacramentum adimpletionem pœnitentiæ, seù satisfactionis impositæ à Confessore. Imò Alexander VIII. propositione 16. 17. & 18. damnat, qui omninò id exigebant. Si quęratur ergo ante sacramentum, quod fiat opus in satisfactionem à Confessore impositum, negamus id requiri; sed si requiratur in genere aliquod opus ex satisfactoriis, nempè, aliquod opus pertinens vel ad jejunium, vel ad eleemosinam, vel ad orationem, quod voluntariè assumat pœnitens, certè dolor requisitus, utpotè afflictivus, & cætera, quæ conveniunt Pœnitenti, humilitas habitus, genuflexum, &c. veniunt sub genere operis satisfactorii.

15. *Mox Confessarius inquirat de illius statu (nisi aliter notus fuerit) & quam pridem sit confessus, & an impositam pœnitentiam impleverit; num ritè, atque integrè aliàs confessus fuerit, num conscientiam suam, priùs, ut debet, diligentèr discusserit.*

16. *Quod si Pœnitens aliquâ censurâ, vel casu reservato sit ligatus, à quo ipse non possit absolvere, non absolvat, nisi priùs obtentâ facultate à Superiore.*

17. *Si verò Confessarius pro personarum qualitate, cognoverit pœnitentem ignorare Christianæ Fidei rudimenta, si tempus suppetat, eum brevitèr instruat de articulis fidei, & aliis ad salutem cognitu necessariis, & ignorantiam ejus corripiat; illumque admoneat, ut ea postmodùm diligentiùs addiscat.* Tria Rituale præcipit Confessori: primò docere ignorantem: secundò corripere ignorantiam; tertiò præcipere dili-

diligentiam addiſcendi in poſterum. Fuſiùs de his S. Carolus cap. 11. nu. 19. & ſeqq. vide ibi: Diſtingue interìm articulos neceſſarios neceſſitate medii, & neceſſarios neceſſitate præcepti. Pœnitens, qui primos ignorat, nullatenùs poteſt abſolvi: imò ſi aliàs confeſſus fuit cum ignorantiâ illorum, etiam invincibili, fuit invalidè abſolutus: & ut validè poſſit abſolvi, debet priùs inſtrui, & inſtructus debet ſe accuſare tùm de numero vicium, in quibus omiſit elicere hos actus fidei, tùm de numero vicium, quibus neglexit ea diſcere (ſaltem *circumcircà*) & erat obligatus diſcere. Inſuper tenetur repetere confeſſiones invalidas. Quod ſi accedat in Paſchate, nec eum poſſit Confeſſor inſtruere, non tamen abſolvat, ſed differat abſolutionem, utens facultate ſibi datà per caput: *Omnis utriuſque*: Si Pœnitens ignorat ſecundos ex ignorantiâ vincibili, procedatur juxtà monita S. Caroli, dummodò qui peccavit in addiſcendo, ſe accuſet de vicibus, quibus obligatus addiſcere neglexit, & de omiſſione recitationis Symboli, quotiès ad illam tenebatur; Et hoc eſt, corripere ignorantiam, monere, quod de illâ ſe accuſet; Ut autem in poſterum ſit diligentior, præcipiet adire Parochum, & doctrinam Chriſtianam diebus Dominicis. Ulteriùs Rituale præcipit inſtruere *de aliis ad ſalutem cognitu neceſſariis*; ut ſunt Dominica Oratio, Præcepta Decalogi, & Eccleſiæ, univerſalitèr pro omnibus: Neceſſaria pro ſuſcipiendo ritè Sacramento Pœnitentiæ: Si debet com-

communicare, quæ sunt necessaria ad suscipiendam Eucharistiam; & sic de reliquis.

18. *Tùm Pœnitens confessionem generalem Latinâ, vel vulgari linguâ dicat, scilicèt*, Confiteor, *&c. vel saltèm utatur his verbis:* Confiteor Deo Omnipotenti, & tibi Pater: *Peccata sua exinde confiteatur, adjuvante, quotiescunque opus fuerit, Sacerdote, qui pœnitentem non reprehendat, nisi finitâ confessione; neque interpellabit, nisi opus fuerit aliquid meliùs intelligere: proinde fiduciam ei præbeat, & humanitèr suggerat, ut omnia peccata sua ritè, & integrè confiteatur, remotâ stultâ illâ quorundam verecundiâ, quâ prępediti, suadente diabolo, peccata sua cõfiteri non audent.*

19. *Si Pœnitens numerum, & speciem, & circumstantias peccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum Sacerdos prudentèr interroget.* Hæc est causa interpellandi Pœnitentem, ut perfectè intelligat rationem peccati. Porrò Examinatores Urbis maximè insistunt, ut approbandus ad confessiones curet servare hanc ordinationem Ritualis: quare præparans se ad confessiones sæpiùs intrà se videat species, & circumstantias, constitutusque in examine, semper attendat ut petat illa simùl cum numero.

20. *Sed caveat, ne curiosis, aut inutilibus quęstionibus, quemquam detineat, præsertìm juniores utriusque sexus, vel alios de eo, quod ignorant, imprudentèr interrogans, ne scandalum patiantur, indeque peccare discant*; quod utinam non sæpè contingat.

21. *Demùm, auditâ confessione, perpendens peccatorum,*

torum, quæ ille admiſit, magnitudinem, ac multitudinem, pro eorum gravitate, ac Pœnitentis conditione opportunas correptiones, ac monitiones, prout opus eſſe viderit, paternâ charitate adhibebit, & ad dolorem, & contritionem efficacibus verbis adducere conabitur, atque ad vitam emendandam, ac meliùs inſtituendam, inducet, remediaque peccatorum tradet. Confeſſarius igitur primò monebit pœnitentem juxtà gravitatem criminum, ac neceſſitatem pœnitentis: ſecundò monebit inductus *charitate paternâ*: quare videat, quid importet charitas, & charitas Patris: tertiò inducet ad dolorem. Debuit quidèm acceſſiſſe dolens, ſed augendus eſt, quantum fieri poteſt, dolor: quartò inducet ad mutandam vitam: quintò dabit remedia, ne relabatur.

22. *Poſtremò ſalutarem, & convenientem ſatisfactionem, quantùm ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, injungat, habitâ ratione ſtatus, conditionis, ſexus, & ætatis; itèm diſpoſitionis pœnitentium. Videatque, ne pro peccatis gravibus leviſſimas pœnitentias imponat, ne, ſi fortè peccatis conniveat, alienorum peccatorum particeps efficiatur. Id verò ante oculos habeat, ut ſatisfactio non ſit tantùm ad novæ vitæ remedium, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum caſtigationem.* In imponendâ Pœnitentiâ hæc omnia ſunt habenda præ oculis.

23. *Quare curet, quantùm fieri poteſt, ut contrarias peccatis pœnitentias injungat, veluti avaris eleemoſinas, libidinoſis jejunia, vel alias carnis afflictiones, ſuperbis humilitatis officia, deſidioſis devotionis*

ſtu-

studia. Rariùs autem, vel seriùs confitentibus, vel in peccata facilè recidentibus, utilissimum erit consulere, ut sæpè, putà, semèl in mense, vel certis diebus solemnibus confiteantur, & si expediat, communicent. Non præcipienda, nisi alitèr judicetur ex circumstantiis, sed consulenda est frequentior confessio, ac communio. Sanè Medicus non aliud remedium consulit prudentiùs, quàm quod à Deo institutum est contrà talem morbum Duo autem Sacramenta sunt instituta ad nos præservandum à peccatis futuris, Pœnitentia, & Eucharistia: quare consulenda sunt, sed duplici generi personarum *rariùs confitentibus, vel in peccata facilè recidentibus*; sed recidivis ex infirmitate, non ex malitiâ, vel habitu, aut quia perseverant in occasione proximâ, vel se exponunt periculo proximo labendi: nàm Pœnitentiæ sacramentum est institutum, ut subveniat infirmitati humanæ: cæteris subveniendum est, & hoc sacramento, & aliis remediis.

24. *Pœnitentias pecuniarias sibi ipsis Confessarii non applicent; neque à Pœnitentibus quicquam, tanquam ministerii sui præmium petant, vel accipiant.* Proinde non sibi petat eleemosinam pro missis; & graviùs peccaret, qui eas imponeret pauperibus vix habentibus, unde vivant; & fit, ut neque post annos hi possint adimplere hujusmodi pœnitentiam.

25. *Pro peccatis occultis, quantumvis gravibus manifestam pœnitentiam non imponat*: quare nec uxori, nec filiofamilias imponentur jejunia, vel pœni-

nitentiæ ſimiles, ex quibus oriri poſſit ſuſpicio peccatorum gravium.

26. *Videat autem diligentèr* (non ſuperficialitèr) *Sacerdos, quando, & quibus conferenda, vel neganda, vel differenda ſit Abſolutio: ne abſolvat eos, qui talis beneficii ſunt incapaces; quales ſunt, qui nulla dant ſigna doloris* (Reflectat hìc etiam Confeſſarius ad 60. propoſitionem ab Innocentio XI. damnatam) *qui odia, & inimicitias deponere, aut aliena, ſi poſſunt, reſtituere, aut proximam peccandi occaſionem deſerere, aut alio modo peccata derelinquere, & vitam in meliùs emendare nolunt: aut qui publicum ſcandalum dederunt, niſi publicè ſatisfaciant, & ſcandalum tollant: neque etiam eos abſolvat, quorum peccata ſunt Superiori reſervata.* Hæc ſunt clariora, quàm indigeant explicari.

27. *Si verò quis confiteatur in periculo mortis conſtitutus, abſolvendus eſt ab omnibus cenſuris, & peccatis (ceſſat enìm tùnc omnis reſervatio) ſed prius, ſi poteſt, cui debet, ſatisfaciat; ac ſi periculum evaſerit, & aliquâ ratione Superiori, à quo aliàs eſſet abſolvendus, ſe ſiſtere teneatur, cum primùm poterit, coram eo ſe ſiſtat, quidquid debet præſtiturus.* Fuſiùs in *Inſtructione pro ordinandis* c.40. vide, quomodo in tali periculo debeat ſe gerere Sacerdos.

28. *Quod ſi inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox, & loquela ægrum deficiat, nutibus, & ſignis conetur, quoad ejus fieri poterit, peccata pœnitentis cognoſcere, quibus utcunque, vel in genere, vel in ſpecie cognitis, vel etiamſi confitendi deſiderium*

rium ſive per ſe, ſive per alios oſtenderit, abſolvendus eſt. Fuſiùs & de his in dictâ *Inſtructione pro ordinandis* c.40. n.14.

29. *Meminerit porrò Sacerdos ægris non eſſe injungendam gravem, aut laborioſam pœnitentiam, ſed indicendam tantùm illam, quam ſi convaluerint, opportuno tempore peragant. Interìm juxtà gravitatem morbi, aliquà oratione, aut levi ſatisfactione impoſitâ, & acceptatâ, abſolvantur, prout opus fuerit.*

30. Rituale ponit ſucceſſivè formam abſolutionis cum precibus illi adjunctis ab Eccleſiâ. Hæc non adduco: nàm quilibet eas memoritèr debet excipere. Curandumque, ne in abſolvendo voces elidantur in gutture: nam ſi id contingeret de verbis eſſentialibus formæ, ita quod mutaretur omninò ſignificatio, ſacramentum remaneret invalidum: ſi elidantur cæteræ preces, utique perficitur ſacramentum, ſed Confeſſor reus eſt irreverentiæ in divina, & ſcandali Pœnitentium. In Italiæ Urbe celebri laborabat hoc vitio vir aliàs magni nominis, & etiam pietatis, delatiſque Pœnitentium querelis ad Epiſcopum, hic non ſtatìm credens denunciationi, voluit apud illum confiteri; & ex pravo habitu defecit etiam in abſolvendo Epiſcopum, qui confeſſione finitâ immediatè abſtulit omnem juriſdictionem prædicto Confeſſori. Ergo proferantur omnia lentè, gravitèr, diſtinctè, tanquam ab habente auctoritatem, ſed paternam, ita ut appareat in Confeſſario & zelus ingens animarum, & reverentia maxima divinorum.

31. Subſequentèr inſeritur forma abſolvendi ab excommunicatione: Si quidem Superior præſcribat modum particularem abſolvendi, omninò erit ſervandus: at ſi dicatur *in formâ Eccleſiæ conſuetâ abſolvat*; Pœnitens ante omnia, ſi poteſt, ſatisfaciat Superiori, ex cujus læſione fuit excommunicatus, vel det fidejuſſorem de ſatisfaciendo, in hujus defectu juret ſe ſatisfacturum. Inſuper ſi delictum ſit ex gravioribus, juret *de ſtando mandatis Eccleſiæ* imponendis ob delictum. Si abſolvendus eſt *in foro conſcientiæ* tantùm, Confeſſor utatur formulâ illâ, quæ præponitur abſolutioni peccatorum *Dominus Noſter* &c. *Abſolvo te ab omni vinculo excommunicationis* &c. Si abſolvendus eſt *in foro fori*, ſemper abſolvatur cum Rituali præ manibus, ex quo legat primùm ritus obſervandos, & deinde obſervet exactè.

CAPUT VIII.

Decretum Concilii Lateranenſis ſub Innocentio Tertio de Confeſſione.

1. PRæparans ſe ad confeſſiones maximè debet habere notitiam hujus Canonis, qui etiam nùnc eſt in vigore; & ſic ſe habet.

2. *Omnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis perveneriit, omnia ſua ſolus peccata confiteatur, fideliter, ſaltem ſemèl in anno, proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam ſtudeat pro viribus adim-*

adimplere, suscipiens reverentèr ad minùs in Paschâ Eucharistiæ Sacramentum, nisi fortè de consilio proprii Sacerdotis; ob aliquam rationabilem causam, ad tempus, ab ejus perceptione duxerit abstinendum: Alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christianâ careat sepulturâ. Unde hoc salutare statutum frequentèr in Ecclesiis publicetur, ne quisquam ignorantiæ cæcitate, velamen excusationis assumat. Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit justâ de causâ sua confiteri peccata, licentiam priùs postulet, & obtineat à proprio Sacerdote, cùm alitèr ipse non possit solvere, & ligare.

3. *Sacerdos autem discretus, & cautus, more periti Medici, super infundat vinum, & oleum vulneribus sauciati, diligentèr inquirens, & peccatoris circumstantias, & peccati, per quas prudentèr intelligat, quale illi consilium debeat exhibere, & cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendò ad sanandum ægrotum.*

4. *Caveat autem omninò, ne verbo, vel signo, vel alio quovis modo prodat aliquatenùs peccatorem; sed si prudentiori consilio indiguerit, illud, absque ullâ expressione personæ, cautè requirat: quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solùm à sacerdotali officio deponendum decernimus; verùm etiam ad agendam pœnitentiam perpetuam, in arctum Monasterium detrudendum.*

Notæ in prædictum Canonem.

5. *Cum ad annos discretionis pervenerit.* Ordinariè

riè eſt in ſeptimo anno, cum incipit cognoſcere differentiam boni honeſti, quod ſectandum eſt, à bono utili,& delectabili;quam differentiam agnoſcens, amorem, quo pridem inceperat amare ſe ipſum, tenetur ordinare in Deum, ut finem ultimum, recognoſcendo, quod ille eſt ſummum bonum,& amando ut talem;ad quos actus fidei,ſpei, & charitatis tenetur homo,cum pervenit ad uſum rationis; & ſi omittat, debet hoc peccatum cum reliquis ſubjicere clavibus.Si quis autem ſuper hoc angatur ſcrupulis, videat Cajetanum 1.2.q.89.a.6. Et quia ejus doctrina multùm profunda non facilè penetrabitur ab ingeniis ordinariis; ideò hujuſmodi Confeſſor, quos circà hoc ſcrupulos habebit, communicet Thomiſtæ docto, ac prudenti, quietetque ſe juxtà ſenſum illius.

6. *Solus*. Hìc innuitur confeſſio auricularis, de quà videatur Tridentinum ſeſs.14.c.5. propè finem, & can.6.

7. *Fidelitèr*. Fidelitas ſpectat ad veracitatem: quare Alexander Septimus optimè damnavit opinionem docentem ſatisfieri præcepto Lateranenſi per confeſſionem voluntariè nullam: & peccat duplici peccato ita confitens, altero ſacrilegii contrà reverentiam ſacramenti: altero omiſſionis præcepti Eccleſiæ.

8. *Proprio Sacerdoti*, hoc eſt,qui habeat juriſdictionem in Pœnitentem, etiam Regulares, juxtà Bullam Clementis X. c.9. n.3.

9. *Injunctam ſibi pœnitentiam ſtudeat adimplere*, quia

quia tenetur ad illam ſub mortali ex genere ſuo.

10. *Niſi de conſilio Sacerdotis, ob rationabilem cauſam* &c. Solam communionem textus exprimit poſſe differri: nihilominùs meliori me ſubdens judicio, crederem & poſſe differri confeſſionem ob dictum motivum, v.g. Pœnitens nondùm dimiſit occaſionem proximam, & ſæpè ſollicitat abſolutionem in Paſchate, quia dicit ſe velle adimplere præceptum. Non cedat huic motivo Confeſſor, ſi prudentèr dubitat, nùm ſit dimiſſurus: producat illi adimplementũ præcepti juxtà prudentiæ leges.

11. *Siquis alieno Sacerdoti* &c. Ex juſtâ causâ tenetur Superior dare licentiam ſubdito, ut alteri confiteatur: ſubditus tamen tenetur petere licentiam à Superiore, quò alteri conferat juriſdictionem, ſine quà invalidè abſolveret. Quæ autem ſit juſta cauſa, non explicat Canon: Ad præcavenda plurimorum ſacrilegiorum pericula, prudentes conſulunt, ut Superior ſit indulgentior in hac materiâ, & dummodò ſit cauſa conveniens, propendat Superior in delegandâ juriſdictione alteri. Hoc ſpiritu ducitur Eccleſia: Clemens Octavus cognovit intèr Regulares juſtiſſimam cauſam eſſe, verecundiam illam, quam poſſet habere unus, vel alter ſubditus, ſe aperiendi proprio Superiori; & ideò voluit, ut iſte non audiat confeſſionem, niſi ſe ſubjiciat ſpontè ſubditus. Tridentinum ſeſs. 25. c. 10. de Regul. etiam cognovit eſſe juſtas cauſas, ut Monialibus bis, vel ter in anno offerrentur Confeſſores extraordinarii.

12. *Sacerdos diſcretus* &c. Ex S. Thomâ ſuppl. q.9.a.4. diſcretio eſt idem, ac prudentia, ſecundum quod omnia conſiderat in ſuo ordine, majora magis, & minora minùs, cum relatione ad finem: Cautio autem eſt pars prudentiæ, quatenùs cavet vitare mala, ſi quæ poſſent contingere ex talì operatione.

13. *Diverſis experimentis utendo* &c. Inter hæc experimenta debent habere principalem locum, quæ adducta ſunt ex Rituali c.7.n.22.23.& 26.quæ adducentur ex S. Carolo c.11.à n.28.

14. *Caveat autem* &c. Hìc ponitur ſtrictiſſima obligatio ſigilli, & datur modus, quo Confeſſarius indigens conſilio doctiorum, & peritiorum, poſſit petere conſilium ſine violatione ſigilli.

CAPUT IX.

Conſtitutio Clementis X. pro parte, quæ tangit adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ.

1. DIverſis temporibus inſurrexerant plurimæ difficultates circà decreta Concilii Tridentini ſupèr privilegiis Regularium, in prædicando verbum Dei, & adminiſtrando Sacramentum Pœnitentiæ, quæ difficultates enodatæ fuerant auctoritate Apoſtolicà. Hujus autem oracula Clemens X. collegit in Conſtitutione, quæ incipit, *Superna magni* editâ de anno

no 1670. Cum ad hoc opus non pertineant, quæ ibi ſtabiliuntur circà prædicationem verbi Dei, propterea brevitatis gratiâ, iis omiſſis, tantummodò hìc referam, quæ ſpectant ad Confeſſores; in hunc modum.

2. *Decernimus, & declaramus... Religioſos ab Epiſcopo ad confeſſiones ſæcularium in ſuâ Diœceſi audiendas approbatos, non poſſe in aliâ Diœceſi eas, abſque Epiſcopi Diœceſani approbatione audire, quamvis pœnitentes ſubditi ſint ejus Epiſcopi, à quo ipſi Religioſi jàm fuerant approbati. Et generalitér approbatos ab Epiſcopo ad perſonarum ſęcularių cõfeſſiones audiendas, nequaquam cenſeri approbatos ad audiendas confeſſiones Monialium ſibi ſubjectarum, ſed egere quoad hoc ſpeciali Epiſcopi approbatione: atque approbatos pro audiendis confeſſionibus Monialium unius Monaſterii, minimè poſſe audire confeſſiones Monialium alterius Monaſterii. Itidemque Confeſſores extraordinarios ſemel deputatos, atque approbatos ab Epiſcopo ad Monialium confeſſiones pro una vice audiendas, haud poſſe, expletâ deputatione, in vim approbationis hujuſmodi, illarum confeſſiones audire, ſed totiès ab Epiſcopo eſſe approbandos, quotiès caſus deputationis contigerit. Cæterùm in Monaſteriis, ac etiam Collegiis, ubi juxtâ Regularia inſtituta vivitur, poſſe tàm Prælatos Regulares, quàm Confeſſores Regularium eorundem Monaſteriorum, ſeù Collegiorum audire confeſſiones illorum ſæcularium, qui inibi ſunt verè de familiâ, & continui commenſales; non autem illorum, qui tantùm ipſis deſerviunt. Illos autem Re-*

ligiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generalitèr reperti fuerint, ab Episcopis generalitèr quoque, & indistinctè, absque aliquâ limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis personarum in Diœcesi propriâ admittendos: Quoad cæteros verò, qui non adeò idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui, ipsos cum limitatâ facultate, prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare, admittere; semèl autem simplicitèr approbatos, posse in Diœcesi Episcopi approbantis, quovis anni tempore, et iam Paschali, & quorumcunque etiam infirmorum confessiones audire, absque ullâ Parochorum, vel ipsius Episcopi licentiâ. De quâ tamen confessione teneri dictos Religiosos eorundem Infirmorum Parochum illicò certiorem reddere. Et hoc posse illis ab illis sub pœnâ suspensionis à facultate audiendi confessiones præcipi. Sufficere tamen; ut certioratio hujusmodi fiat saltèm per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam.

3. *Et eos, qui dictis Religiosis simplicitèr approbatis, Paschali tempore, confessi fuerint, Constitutioni, quæ incipit: Omnis utriusque sexus, quoad confessionem dumtaxat, satisfeciſſe censendos. Regulares verò ad hujusmodi confessiones audiendas, prævio examine simplicitèr, & absque ullà temporis præfinitione ab ipsomet Episcopo: secùs autem ab ejus Vicario, aut ab antecessoribus Episcopis approbatos, non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterùm examinari, aut ab eisdem confessionibus audiendis suspendi: seù licentias illis concessas revocari, nisi novâ superveniente causâ, quæ ipsas confessiones concernat. De quâ tamen haud*

ne-

neceſſarium eſſe, ut in actis conſtet: nèc eam teneri Epiſcopum ipſis Regularibus ſignificare, ſed Sedi Apoſtolicæ dumtaxat, ubi eam ſibi aperiri poſtulaverit.

4. *Porrò ſi Regulares cum ſcandalo, aut aliàs inhoneſtè vivant, vel aliquod delictum committant, per quod, rationabili Epiſcopi judicio videantur à confeſſionibus ſuſpendendi, in quo ipſius Epiſcopi conſcientiam oneratam eſſe volumus, cum præcipua Miniſtri Sacramenti Pœnitentiæ qualitas ſit vitæ integritas, ac morum boneſtas, utique eam cauſam ad confeſſionis miniſterium pertinere, ac proinde nihil obſtare, quò minùs ob eam poſſit Epiſcopus Regulares à ſemetipſo approbatos ſuſpendere, aut repellere à confeſſionibus audiendis: Attamen confeſſiones audiendi facultatem omnibus ſimùl unius Conventus Regularibus Confeſſoribus adimi ab Epiſcopo, inconſultâ Sede Apoſtolicâ, nullatenùs poſſe. Ex facultatibus per Mare Magnum, aliave privilegia Regularibus cujuſcunque Ordinis, Inſtituti, aut Societatis etiam Jeſu, conceſſis factam eis non eſſe poteſtatem abſolvendi in caſibus ab Epiſcopo ſibi reſervatis. Et per confirmationes dictorum Privilegiorum, quas Regulares à Sede Apoſtolicâ, poſt Sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixiſſe privilegia priùs ab eodem Concilio, aut deinde Apoſtolicis etiam decretis ſublata, atque extincta, ſi quæ habebant, abſolvendi à caſibus Epiſcopo reſervatis.*

5. *Et habentes facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, non ideò à caſibus Epiſcopo reſervatis poſſe abſolvere. Poſſe autem Regula-*

gularem Confessorem in eâ Diœcesi, in quâ est approbatus, confluentes ex aliâ Diœcesi, à peccatis in ipsâ reservatis, non autem in illâ, ubi idem Confessor est approbatus, absolvere, nisi eosdem Pœnitentes, noverit, in fraudem reservationis, ad alienam Diœcesim pro absolutione obtinendâ migrasse. Vigore supradictorum privilegiorum nequaquam licere Regularibus, etiam satisfactâ parte, absolvere Pœnitentes à censuris quoad externum, & judiciale forum, & absolutos ab eis in foro Pœnitentiali, utique non censeri absolutos in exteriori judicio, & contentioso. Quin imò censuris Ecclesiasticis irretitos, & denunciatos ab Episcopis, cogi posse gerere se pro talibus, etiamsi à Regularibus fuerint absoluti. Quotiès exhibitis aliquibus Regularium Apostolicis privilegiis coram Episcopo, ab eo judicetur ipsa non suffragari casui, de quo agitur: Si dictorum privilegiorum verba obscura sint, & ambigua, non esse ad Metropolitanum provocandū, sed cùm ejus sit interpretrari, cujus est condere, dictorum privilegiorum interpretationem, Sedis Apostolicæ iudicio, prout aliàs Constitutione Prędecessoris nostri fel.rec. Clementis IV. statutum fuit, esse requirendum.

6. Hæc in sua Constitutione Clemens X. quæ cum sint ex se clarissima, non indigent specialibus notis, sed solùm, ut Confessores ea exactè fidelitèr, & ad unguem observent: nàm aliàs evidenti periculo exponitur, & sacramentorum validitas, & animarum salus.

CA-

CAPUT X.

Litterę Patentes Eminentiſs. & Reverendiſs. D. Cardinalis Vicarii, pro facultate audiendi confeſſiones in Urbe, ejuſque diſtrictu, & Notæ ad illas.

1. COmperimus in praxi labi multos in examine, pro audiendis confeſſionibus, quòd vel minimùm, vel etiam fortè nunquam legant litteras patentes ſibi expeditas. Eſſent ſanè præ oculis ſemper habendæ, tanquam leges, ad quarum amuſſim quilibet Confeſſor adminiſtraret ſacramentum Pœnitentiæ, ſicut aliæ leges, ac regulæ ſtabilitæ à Tridentino, à Rituali, & à Romanis Pontificibus; & tamen nonnulli, qui per annos exercuerant munus Confeſſarii, ſuper aliquo caſu in illis expreſſo, viſi ſunt omninò rudes, & ignari. Præparans ſe ad confeſſiones curabit non deficere in hoc, conſiderans, quod regulæ à Pontificibus datæ, ſunt univerſales, & veluti jus Cæſareum in toto orbe; At regulæ ab Epiſcopis in prædictis litteris conſtitutæ, ſunt veluti ſtatutum particulare cujuslibet civitatis, & ideò ad rectè judicandum in quâlibet Diœceſi neceſſaria eſt Judici fori pœnitentialis utrarumque ſcientia. Et ego quidem, quia ſcribo in Urbe, pono hìc litteras Eminentiſſimi Vicarii: cæterùm qui extrà

Ur-

Urbem se præparat, attentè perleget litteras sui Episcopi. Et quia in Urbe dantur diversæ Regularibus, & Secularibus, ideò utrasque appono, quilibet suam consulet.

Facultas audiendi Confessiones pro Sacerdote Regulari.

GASPAR Miseratione Divinâ Episc. Sabinensis, S.R.E. Cardinalis de CARPINEO, SS.D.N. PAPÆ Vicarius Generalis, Romanęque Curiæ, ejusque districtus Judex Ordinarius, &c.

2. *Dilecto Nobis in Christo R. P..... Ut Sacramentales omnium Christi fidelium....non tamen Monialium, Oblatarum, Puellarum, aliarumque in Monasteriis, aut Conservatoriis degentium, neque in domibus privatis, nisi infirmorum dumtaxat, sed in Ecclesiis tui Ordinis, & in aliis de licentiâ Rectorum, Confessiones audire, eisdemque confitentibus, quantùm spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & Pœnitentium facultate, salutares, & convenientes satisfactiones injungere, & beneficium absolutionis (præterquam à censuris in Bullâ Cœnæ, aliisque Sanctissimo D.N. reservatis) impendere valeas, licentiam in Domino concedimus, & impertimur; Ita tamen, ut quotiès ad confessiones infirmorum, in eorum propriis domibus, audiendas accesseris, statìm ibi fidem auditæ confessionis proprio Parocho, & Medico*

dico Supervenientibus, sub pœnâ suspensionis ab audiendis confessionibus, donec iterùm examinatus, novam à Nobis in scriptis licentiam obtinueris, dimittere tenearis. Præsentibus ad... valituris, stante testimonio tui Superioris de vitâ, moribus, ætate maturâ, idoneitate, & aliis requisitis nobis facto, & quòd à nostris Examinatoribus ad præmissa prævio examine approbatus fueris. Admonentes te in Domino, ut, quæ pro rectâ hujus sacramenti administratione, per Sacros Canones, Sacrum Concilium Tridentinum, Constitutiones Apostolicas, & Rituale Romanum, sancita, vel aliàs ordinata fuerint, attentè perlegas, & accuratè observes: Necnon collationibus, seù lectionibus Casuum Conscientiæ habendis, loco, & tempore præscriptis interesse, sub statutis pœnis non omittas. In quorum &c. Datum Romæ, &c.

Notæ.

3. *Neque in privatis Domibus* &c. juxtà Rituale adductum c.7.n.11. & ita convenit reverentiæ tanti sacramenti.

4. *In aliis de licentiâ Rectorum* &c. Nihil Ecclesia patitur, quod sit causa dissensionum, ut contingeret, si quis vellet seminare divina in agro deputato culturæ alterius.

5. *Quantùm spiritus, & prudentia suggesserit* &c. Ex Rituali c.7. n.22. Quare autem Episcopus non debeat taxare pœnam à Confessario imponendam, cum aliàs tot extent antiqui Canones Pœnitentiales

les illam determinantes ferè ſingulis peccatis, ratio eſt, quia ex eodem Rituali, debet haberi oculus ad ſtatum, conditionem &c. (Videatur S. Thomas ſuppl. q. 8. a. 7. præſertim ad 2.) quod etiam Epiſcopus præcipit illis verbis *pro pœnitentium facultate*.

6. *Præter quam à cenſuris, in Bullâ Cœnæ, aliiſque Sanctiſſimo D. N. reſervatis.* In his verbis Eminentiſſimus nihil diſponit circà privilegia, quæ habent plerique Regulares abſolvendi à cenſuris Papæ reſervatis: Summus Pontifex eſt Epiſcopus Urbis Romæ, & Papa univerſalis: Juriſdictionem Urbis committit Eminentiſſimo Vicario, qui non poteſt, nec vult reſtringere privilegia aliàs conceſſa à Summo Pontifice ut Papà univerſali. Videantur dicta in *Inſtructione pro ordiãndis* c. 40. n. 38. & 39. Regulares igitur qui habent prædicta privilegia, poterunt etiam in Urbe iis uti, dummodò obſervent, quæ ex Clemente X. dicta ſunt c. 9. n. 5. Imò ſciant privilegiati Regulares, quòd Clemens VIII. illis prohibuit intrà Italiam abſolvere ſequentes cenſuras, nempè.

1. Violationis Immunitatis Eccleſiaſticę in terminis Conſtit. fel. rec. Gregorii XIII. quæ incipit: *Cùm aliàs nonnulli.*

2. Violationis clauſuræ Monialium, ad malum finem, ſeù ad finem inhoneſtum.

3. Provocantium in Duello, juxtà decretum Concilii Tridentini, & Conſt. fel. rec. Gregorii XIII. incipientem: *Ad tollendam.*

4. Inii-

4. Injicentium violentas manus in Clericum, juxtà Canonem. *Si quis suadente* 17. q.4. ac juris dispositionem.

5. Simonię realis scientèr contractę atque etiam confidentiæ beneficialis.

6. Censuræ horum quinque casuum, vi privilegiorum, nequeunt absolvi intrà Italiam, extrà Urbem, sed extrà Italiam, & in Urbe possunt absolvi.

7. Sciant insuper Confessarii tàm sæculares, quàm Regulares, primò in Urbe nullum esse casum reservatum, nisi sit reservatum Romano Pontifici: quare poterunt absolvere ab excommunicatione incursâ propter abortum fętus animati, quia censuram hanc Gregorius XIV. reservavit solis Episcopis: secundò non omnia delicta spectantia ad Sanctum Offitium, sunt reservata, sed solùm illa, quæ specialitèr reservavit Pontifex: superstitiones, blasphemias hæreticales, sollicitationem Confessarii quilibet potest absolvere, dummodò imponatur scienti obligatio denunciandi juxtà edictum. Reservata tamen est ipsi Inquisitioni excommunicatio inflicta sciēti talem obligationem, & non revelanti per triginta dies à die scientiæ: tertiò delicta reservantur in Urbe solùm ratione censuræ. Extat unum, vel alterum particulare peccatum reservatum sine censurâ, & ratione sui, ut peccatum contrà votum paupertatis Religiosæ per Bullam Clementis VIII., & peccatum Monialium contrà edictum Clementis XI., quorum si

pœ-

pœnitens aliquando ſe accuſet, Confeſſor videat priùs Bullam,& Edictum: quartò quia in Urbe delictà reſervantur ratione cenſuræ, qui omninò excuſaretur à cenſurâ, illud committens, poſſet abſolvi à quocunque: quintò incidens in cenſuram, deinde abſolutus ab illâ extrà ſacramentum, poterit per quemcunque abſolvi ſacramentaliter à peccato. Incidit quis, v.g. in hæreſim externam; comparet in Sancto Offitio,& ibi abſolvitur ab excommunicatione, jàm nunc quilibet Confeſſor poteſt eum abſolvere à peccato hæreſis; à quo in Tribunali non ſolet ſacramentalitèr abſolvi.

8. *Statim ibi fidem* &c. Si autem in hoc delinquat, pœna illi ſuſpenſionis imponitur. Fides hæc debet inſervire Parocho, & Medico. Et quidem Parocho, ut videat, nùm alia conferenda ſint ſacramenta. Medico autem, ut poſſit continuare curam infirmi. Nàm Innocentius III. præcepit, ut Medici relinquerent infirmum, quando in tertiâ die non oſtendat fidem ſcriptam confeſſionis, & B. Pius V. anno 1566. in Conſtitutione, quæ incipit. *Supràgregem* illud renovavit *volens tàm ſalutare præceptum nullâ temporis præſcriptione aboleri*, & inſupèr voluit, ut omnes laureandi in Medicinâ jurarent obſervantiam hujus Conſtitutionis: quare Medicus illam violans duplici peccato peccat,& contrà præceptum,& contrà juramentum. In hac fide Confeſſor teſtabitur ſe audiviſſe confeſſionem talis infirmi, eſto illum; quia indiſpoſitum non abſolverit, ne contingat, quod revelet ejus

indi-

indiſpoſitionem: ſi tamen vellet ſimulare confeſſionem, non poſſet ſubſcribere fidem: nàm debet eſſe confeſſio, licet poſſit eſſe ſacrilega.

9. *Donec iterùm* &c. quare ita delinquens per omiſſionem fidei, non ampliùs habet juriſdictionem.

10. *Præſentibus ad... valituris.* Hìc exprimitur tempus, quo debet durare ſuperiùs collata juriſdictio; & eo finito debet iterùm prorogari; aliàs ex defectu juriſdictionis invalidè Sacerdos abſolvet.

11. *Stante teſtimonio tui Superioris de vitâ, moribus, ætate maturâ, idoneitate, & aliis requiſitis Nobis facto.* Vitæ, morumque teſtimonium requiritur, quia ex Clemente X. c. 9. n. 4. *præcipua Miniſtri Sacramenti Pœnitentiæ qualitas eſt vitæ integritas, ac morum honeſtas.* Superiores debent hæc omnia teſtari juxtà proprias Conſtitutiones. Et circà ætatem Sanctiſſimus D.N. voluit, ut in Urbe approbandi ad confeſſiones virorum, ſint ad minus trigintâ annorum. Pro utroque ſexu verò ſint trigintâ quinque.

12. *Eo quod examinatus, & approbatus exiſtas* juxtà Tridentinum ſeſs. 23. de ref. c. 15. Et examen, & approbatio debent præcedere conceſſionem juriſdictionis; & approbatus non per hoc poteſt adminiſtrare hoc ſacramentum, niſi ſubſequenrèr concedatur juriſdictio: quare multò minùs poterit adminiſtrare reprobatus injuſtè, quia verè nec habet approbationem, nec juriſdictionem. Alexan-

der VII. prop. 13. ex damnatis; peccabit tamen contrà justitiam Examinator injustè reprobans, vel approbans.

13. *Admonentes te in Domino* &c. Duo hìc indicuntur, *attentè perlegas, & accuratè observes*. Primum requirit, ut sæpiùs percurrantur, & eum debitâ applicatione: Secundum, ut lecta executioni demandentur cum omni diligentiâ.

14. *Nec non collationibus* &c. Hoc est illud consilium prudens peritorum; quod Confessarius debet inquirere juxtà Rituale adductum c. 7. n. 7. & monita S. Caroli. Et sanè si verum est in omni scientiâ, quod *circulus, & calamus* faciant doctum, id verissimum est in Theologiâ Morali, cui addiscendæ plurimum studii nostri debemus impendere, & collationum cum cæteris Confessariis.

Facultas audiendi confessiones pro Sacerdote sæculari.

15. *Gaspar* &c. *Dilecto Nobis in Christo R. D. ... Presbytero .. ut confessiones sacramentales omnium Christi fidelium ... non tamen Monialium, Oblatarum, Puellarum, aliarumque in Monasteriis vel Conservatoriis degentium, neque in domibus privatis, nisi infirmorum, & tùnc de licentiâ Parochi, sed tantùm in ... non autem in aliis Ecclesiis, etiam de consensu quorumcumque Rectorum audire, eisdemque confitentibus* &c. ut in facultate pro Regularibus, nisi quod in fine extat aliqua varietas, nihil conferens ad nostram con-

conſiderationem: nam circà confeſſiones quid limitetur Sæcularibus, id totum habetur ex verbis jàm adductis; eamque limitationem ex ſe quiſquis facilè colliget.

16. Hìc verò ſummè proficuum mihi videtur addere ejuſdem Eminentiſſimi Encyclicam ad Confeſſores ſui Diſtrictus datam de anno 1699., cum ita conſtituente Innocentio Papâ XII. tradidit illis Monita S. Caroli, quæ in poſterum ſequi deberent in praxi, adminiſtrando ſacramentum Pœnitentiæ. Fuit data Italicè, ſed nunc redditur Latino ſermone, ut quælibet ſub cœlo natio videat zelum Sedis Apoſtolicæ, Vicariique ejus, in efformando dignos hujuſce ſacramenti Miniſtros. Equidem energiæ plurimum perdidit in translatione, quod indiſcriminatìm contingit, ubi ſcripta certo idiomate transferuntur in aliud, ſed adhùc in exemplo relucebit exemplar. Sæpiùs illam relegent Confeſſores, quò debitam inde tanti ſacramenti exiſtimationẽ hauriant magis, ac magis.

Gaſpar Epiſcopus Sabinenſis S. R. E. Cardinalis de Carpineo, Vicarius Urbis, ejuſque Diſtrictus RR. Confeſſoribus Urbis, ejuſque Diſtrictus, Salutem in Domino.

17. *Apoſtolus optimè novit, quàm neceſſarii ſint fideles Miniſtri, ac boni diſpenſatores myſteriorum Dei, cum* 1. Cor. 14. *ſcripſit*: Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſte-

ſteriorum Dei. *Verumtamen maximè creſcit hæc neceſſitas circà adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ, cujus quantum ſalubris eſt frequentia populo Chriſtiano, qui ſufficienter diſpoſitus ad illud accedit, tantum plena periculi eſt Miniſtro, qui deficit in rectâ illius adminiſtratione. Timor ne id ſæpè contingat, cogit nos exclamare cum eodem*: Hìc jàm quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur; *qui, ſcilicet, ſacramentum hoc adminiſtrans, nec gloriæ, nec lucro inhiet ſed unicè honori divino, ac animarum ſaluti conſulat, qui non deſpoticè, ut Dominus, utatur poteſtate ſibi traditâ, ſed ut Miniſter, è cujus manibus exquiretur ſanguis D. N. Jeſu Chriſti, per ſacramentum Pœnitentiæ applicatus eluendis fidelium peccatis.*

18. *Olim Chriſtus* Matth. 15. *dixit*: Si cœcus cœco ducatum præſtat, ambo in foveam cadunt æternæ damnationis. *Porrò Phariſæis, qui* amabant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in ſynagogis, qui circuibant mare, & aridam, ut facerent unum Proſelytum *exprobravit* Matth. 23. *illud*: Væ vobis, qui cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplò, quàm vos. *Et paulò ante*: Clauditis regnum cœlorum ante homines: vos enim non intratis: nec ſinitis introeuntes intrare. *Regnum cœlorum, ut ſuâ nobis paſſione, ac morte aperiret, ſuſceperat Dei filius naturam humanam, quod tamen nec ipſi intrabant nec aliis intrare permittebant Phariſæi, abducentes à Chriſto, non ducentes ad Chriſtum, ut ex officio tenebantur. Idem planè contingeret, quotiès Sacri Pœnitentiæ Miniſtri malè vivèrent, fove-*

ren-

rentque in ſe vitia, quibus eradicandis ex officio incumbunt, quoties carerent ſcientiâ, vel abundarent zelo indiſcreto, quotiès dilatarent vulnera peccatorum, non ſuper infundentes, more Samaritani, vinum juſtitiæ, oleumque Manſuetudinis, quotiès conniverent Potentibus, Nobilibus, aut illis, quorum ope ſperant ſibi temporale commodum, conſuentes, juxtà illud Ezec. 13. *dictum:* pulvillos ſub omni cubito manus, & cervicalia ſub capite univerſæ ætatis; *& in id ruentes, ut vel falſam fiduciam præbeant, vel vitia enutriant, ac tandem æternæ damnationi addicant peccatores, pro quorum ſalute fidejuſſerunt, propriaſque animas devinxerunt.*

19. *Excitati ergo cognitione muneris adeò ſublimis facite Filii noſtri, quod* Prov. 6. *dicitur.* Vos met ipſos liberate, quia incidiſtis in manum proximi veſtri: Diſcurrite, feſtinate, ſuſcitate amicum veſtrum: ne dederitis ſomnum oculis veſtris, nec dormitent palpebræ veſtræ, *donec eruti ſint de poteſtate tenebrarum Pœnitentes veſtri. Propterea, ut teſtantur Sacra Concilia, vigilarunt Sancti Eccleſiæ Catholicæ Præſules* non ceſſantes, nocte, ac die, cum lachrymis monere *ſingulos conſcientiarum Judices verbis, quibus Moſaicæ legis Sacerdotes monuit* Paral. 19. *Joſaphat:* Sit timor Domini vobiſcum: cum diligentiâ cuncta facite: ſic agetis in timore Domini fideliter, & corde perfecto: omnem cauſam, quæ venerit ad vos fratrum veſtrorum, oſtendite eis, ut non peccent in Dominum. *Prius attulerat rationem efficacem, ſed efficaciſſimam pro Sacramento Pœnitentiæ.*

riæ: Quia non hominis exercetis judicium, ſed Dei; & quodcumque judicaveritis, in vos redundabit.

20. *Ad id hodiè RR. Confeſſores, excitamini voce Summi Paſtoris Eccleſiæ totius, & particularis hujus Almæ Urbis, ubi, præ reliquis orbis Chriſtiani partibus, excellentior vigere deberet, Pietas, Prudentia, Doctrina, zeluſque Sacrorum Miniſtrorum. Ille veſtrum recogitat periculum, ubi veſtro muneri deſitis.* Appendit in ſtaterâ *Sanctuarii, gemitque* diviſum regnum, ubi vos inveniamini minus habentes, *hoc eſt, non reducentes ad paſcuâ commiſſum vobis Chriſti gregem. Conſiderat*, quam multis vapulabit in die, quà non ſperat, & horâ, quà neſcit, ſervus ille, *cujus è manibus exquiret ſanguinem tot animarum, quas judicavit judex injuſtus in divino Pœnitentiæ Tribunali ſolvens, & ligans, ita quod ſteterit* pro ratione voluntas, & quarum *Medicus vel indoctus, vel negligens* plagas non curavit medicamine, *ſed* neque fovit oleo. *Conſiderat terribilem ſententiam, quoad Sacerdotes innovatam ſeveriùs in lege gratiæ quàm in veteri*, Lev. 24. *ut ſit* dens pro dente, oculus pro oculo, & anima *Confeſſoris* pro animà *Pœnitentis, quando hæc pereat illius culpà, ſive omiſſionis, ſive commiſſionis.*

21. *Hinc zelo ſuccenſus illud* Jer. 6. *vobis edicit*: State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea. *Ad id, ut nuper diximus, conſtituit, ut ſinguli ſecedatis quotannis ad paucos dies, pro exercitiis ſpiritualibus, quò petatis ob animabus veſtris rationem adminiſtrationis vobis commiſſæ, diſpenſandi pretium ſanguinis*

Je-

Jesu Christi. Vobis indicit novas leges omninò sequendas in vestro munere, quas olim efformavit Luminare majus Ecclesiæ, veriforma Pastoris S. Carolus, qui per Mediolanensem Ecclesiam toti prefulxit orbi, *ut Basilius* per Cæsarienfem. *Si novæ dicendæ sunt leges erutæ è visceribus disciplinæ antiquioris Ecclesiæ, ex arcanis doctrinæ sanioris, quin & ex ipsà constitutione Sacramenti Pœnitentiæ, quod institutum ad instar judicii emendativi,* cum odio veteris vitæ *exigit* inchoationem novæ. *Sacras hasce leges, & sapientissima monita hortatur sæpissimè legi, ac relegi, semperque manibus teri, tanquam* mensuram arundineam auream, *ad cujus amussim* rectas faciatis semitas *populorum* Dei nostri. *Hæc voluit vobis enunciari, tanquam Filiis Obendientiæ, suis Comministris, & cooperatoribus* in opere omnium divinornm divinissimo *dirigendi animas* in viam salutis æternę, *ut nunquam dicatur Sacerdotibus Evangelicis, ex* Matth. 14. *illud.* Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum, *sed singuli, tùm sanctitate vitæ, tùm prudentiâ, tùm verâ, solidâque doctrinâ, non è novis, ac malè fundatis opinionibus hauriendâ, sed ex Theologiâ, & praxi Patrum, qui Ecclesiam direxerunt cœlitùs illustrati, curate, ut in die villicationis vestræ liberè Supremo Judici, ac Pastori animarum ex* Jo. 17. *dicatis.* Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis *(qui viam salutis indictam currere noluit)* & quos dedisti mihi, custodivi, & non perdidi ex eis quemquam.

22. In hac epiſtolâ duo præcipuè conſtituuntur: primò ut quotannis Confeſſores ſecedant ad Exercitia ſpiritualia, quæ (Deo dante vitam, ac viſum) dabimus quàm primùm unicè coaptata Sacerdotum miniſterio: ſecundò præſcribuntur Confeſſoribus monita S. Caroli, tanquam leges ſequendæ adminiſtrando Pœnitentiæ Sacramento in Urbe, ejuſque Diſtrictu, (& quidem de ordine Sedis Apoſtolicæ) Confeſſor hanc epiſtolam conferat cum verbis Ritualis traditis c. 7. num. 8. *Sciat ſuæ Eccleſiæ conſtitutiones, eaſque diligentèr obſervet*. Cum igitur S. Paſtoris monita, vi epiſtolæ, ſint conſtitutiones Eccleſiæ Romanę, videant deputati ad audiendas confeſſiones in Urbe, ejuſque diſtrictu, quanti debeant illa facere, quantòque magis obſervare, ut obediant Rituali.

CAPUT XI.

Reſtrictus Monitorum Sancti Caroli pro Confeſſariis.

1. SAnctum Carolum reddidit glorioſum Paſtoralis ſollicitudo, quæ in id præcipuè debet tendere, ut debitè adminiſtrentur ſacramenta, & inter hæc ſacramentum Pœnitentiæ, utpotè magis neceſſarium, ac magis commune multitudini fidelium, in quâ plurimi ſunt peccatores. Hâc ſuâ obligatione conſideratâ S. Archiepiſco-

epiſcopus collegit varia Monita maximè neceſſaria, ut Confeſſor dignè ſuum munus exerceat. Hæc Paſtoribus animarum viſa ſunt utiliſſima; ideòque ferè omnis Eccleſia ſibi illa adoptavit. Imò qui conferet hæc monita cum Rituali Romano, videbit Paulum V. ad ſtabiliendum Rituale, velut in compendium redegiſſe prædicta Monita. Et hæc eſt præcipua ratio, quare hìc ea non adducam integrè, quia repeterem jàm adducta. Igitur credidi meliùs me facturum, ſi, omiſſis iis, quæ data ſunt ex Rituali, ſolùm adderem, quæ brevitatis gratiâ præteriit Rituale, poſſuntque ſatis dirigere Confeſſorem, ne deficiat in ſuo munere. Cæterùm qui velit S. Caroli Monita per extenſum, habet illa in aureo libello, quem de ordine Innocentii XII. edidit Romæ Eminentiſs. Cardinalis Vicarius.

2. Concluduntur hæc monita 25. §§. quorum primus eſt præfatio indicans finem hujus collectionis, nempè, ut Confeſſor fructuosè ſuum munus exerceat, in quo timeri poteſt, ne multi deficiant, cum videamus univerſalitèr ferè nullam emendationem peccatorum, in iis, qui aliàs per annos frequentarunt hoc ſacramentum.

3. In ſecundo prohibet Sacerdoti abſolvere à peccatis abſque approbatione, & licentiâ Epiſcopi, juxtà Tridentinum ſeſſ. 13. de reform. cap. 15. Vult id licere tantùm *ſi periculum mortis immineat, approbatuſque deſit Confeſſarius*, juxtà Rituale adductum c. 7. n. 5. & qui habent licentiam limitatam

in

in tali Ecclesiâ, vel pro viris tantùm, aut pro Monialibus unius Monasterii, eâ debent uti juxtà limitationem. Præcipit cavere, ne audiant confessiones puerorum, quia possunt habere peccata mortalia. Supponit Sanctus, quod à venialibus possit absolvere simplex Sacerdos; & id tùnc licebat; sed nùnc est prohibitum à Sacrâ Congregatione Concilii. Vide *Instructionem pro ordinandis* cap. 40. num. 10.

4. In tertio monet, ut habentes facultatem absolvendi à censuris, & reservatis, eâ utantur in ædificationem, non in destructionem.

5. Quæ habet in quarto, ex Rituali data sunt c. 7. n. 7. & 8. Monet, ne quis se ingerat audiendis Pœnitentibus, quorum casus dubitat non posse decidere ex defectu scientiæ, vel etiam ex defectu fervoris requisiti ad illos arguendos.

6. Quintus commendat vitæ inregritatem in Confessario; & quidèm esse debet in gratiâ administrans hoc sacramentum, ne committat sacrilegium. Sed quia finis Confessarii est expoliare hominem veterem in Pœnitente, & induere novum, ut id assequatur, maximè studeat perfectioni propriæ: virtutes enim meliùs docentur exemplo, quàm verbo: Et quia Regularium vita nobis innotescit unicè per testimonium Superioris, horum conscientiam oneramus, ut ad confessiones audiendas unicè nobis proponant Religiosos, qui dignè possint administrare hoc sacramentum, vitæ integritate, & morum honestate.

7. In

7. In ſexto loquitur de promptitudine Sacerdotis ad audiendas confeſſiones, de quâ Rituale c.7. n. 10. Addit, ut Confeſſionali, præcipuè aſſiſtant per aliquot dies ante Chriſti Natale, in Quadrageſimâ, per totam octavam Paſchæ, tempore Jubilæorum, & quando major pars populi ſolet frequentare hoc ſacramentum. Et rùnc etiam Superiores Regularium curent in ſuis Eccleſiis quot plures poterunt Confeſſarios.

8. Ex §. 7. Regulares vocati ad confeſſiones infirmorum conveniant de illis ante, vel ſaltèm poſt confeſſionem cum Parocho, ut ambo ſimùl poſſint proſpicere illorum ſaluti, cui tùnc maximè inſidiatur dæmon. Addit de fide relinquendâ, de quâ dictum eſt c. 10. n. 8.

9. In §. 8. agitur de loco audiendi Confeſſiones, de quo ex Rituali c. 7. nu. 13. Audianturque fœminæ ſemper in Confeſſionali, nec ante ortum, nec poſt occaſum Solis. Infirmæ audiantur oſtio cubiculi expanſo. Etiam in Confeſſionali audiantur ordinariè viri.

10. In §. 9. agitur de Confeſſionali, juxtà Rituale c. 7. nu. 13. Monetur Confeſſarius ita ab illo arcere pœnitentes, ut non poſſint intelligere, quid loquatur cum actu confitentibus.

11. In §. 10. Tangitur intentio, & præparatio Confeſſarii ad audiendas confeſſiones. Sit, quantum fieri poteſt, actualis intentio in Dei gloriam, & ſalutem animarum. Præparatio autem eſt neceſſaria, ut eviteturpericulum abſolvendi indiſ-

poſi-

ſpoſitos, vel peccandi, dùm aliorum audit peccata, maximè carnalia. Quare præparet ſe per orationem. Rituale c. 7. n. 11. idem præcipit, ſed nullam præcisè determinat: Sanctus Carolus proponit ſequentem.

℣. *Cor mundum crea in me Deus.*
℟. *Et ſpiritum rectum innovà in viſceribus meis.*
℣. *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui.*
℟. *Et ſpiritu principali confirmâ me:*
℣. *Docebo iniquos vias tuas:*
℟. *Et impii ad te convertentur.*
℣. *Liberâ me de ſanguinibus, Deus, Deus, ſalutis meæ:*
℟. *Et exultabit lingua mea juſtitiam tuam.*

Oremus.

DOmine, Deus Omnipotens, propitius eſto mihi peccatori, ut dignè poſſim tibi gratias agere, qui me indignum, propter tuam magnam miſericordiam, Miniſtrum feciſti officii Sacerdotalis, & me exiguum, humilemque, Mediatorem conſtituiſti ad Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, pro peccatoribus, & ad pœnitentiam revertentibus. Ideòque Dominator Dominus, qui omnes vis ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, qui non vis mortem peccatorum; ſed ut convertantur, & vivant, ſuſcipe orationem meam, quam fundo pro famulis, & famulabus tuis, qui ad pœnitentiam venerunt, dà illis ſpiritum compunctionis, & reſipiſcant à Diaboli laqueis,

laqueis, quibus adſtricti tenentur, ut ad te, per dignam ſatisfactionem, revertantur. Per eundem &c.

12. In §. 11. Confeſſarii debent ſuadere Pœnitentibus Confeſſorem ſtabilem, uti ſtabilis Medicus eligitur pro ſanitate corporali.

13. In 12. Illis oſtendit, quam in Pœnitentibus exigere debeant præparationem externam, & internam. De externâ Rituale c. 7. n. 14. De internâ ibidem n. 26. Conſiſtit enim in examine, dolore, ac propoſito. Addit ſigna, quibus dignoſcantur accedere imparati: nàm tales erunt, ſi primò à negotio temporali accedant nullâ oratione præmiſsâ: ſecundò ſi ſua ignorant peccata: tertiò ſi certò ſciantur perſeverare in peccato, in occaſione proximà, vel nolle reſtituere, ſi poſſint. Adjuvet verò Confeſſor, quem videt deficere in præparatione ex incapacitate, vel ſimili impedimento, quouſque cognoſcatur ſaltèm attritus ſufficientèr.

14. In 13. Monet Confeſſarios, ut quidem benedicant pueros ſibi præſentatos, quò aſſueſcant comparere coràm Confeſſario, ſed non illos abſolvant, ſi non exhibent materiam, nèc habent uſum rationis. Inſtruantur tamen de neceſſitate, & fructu hujus ſacramenti, cum fuerint in ætate ſeptem, vel octo annorum; Conſtituti autèm in decimo, vel duodecimo, & aliàs Euchariſtiæ capaces, inſtruantur ſupèr illâ. Ita inſtructos, ac ter, vel quater in confeſſione auditos ipſe communicet extrà tempus Paſchale, vel cum fide inſtructio-

ctionis remittat communicandos Parocho.

15. In §. 14. agit de interrogationibus præmittendis confeſſioni. Ex Rituali habes illas cap. 7. n. 15. Ait tantum temporis ponendum in examine, quantum homo prudens ponit in tractando gravi negotio, quale eſt æterna ſalus animæ. Vult inſuper interrogari ſuper Edicto Sancti Officii, ut poſſit denunciare, quos ſciverit peccaſſe in illud. Commendat, ut inducantur ad generalem totius vitæ confeſſionem, qui diù propriæ ſalutis penè immemores poſſunt plura peccaſſe in præcedentibus confeſſionibus: quare tùnc redeuntes ad cor, debent unâ confeſſione generali, ſupplere præteritis defectibus. His præmiſſis ante confeſſionem, in ipsâ confeſſione, juxtà Rituale c. 7. num. 18 interpellabitur, ubi deficiat in explicandis peccatorum ſpecie, numero, ac circumſtantiis explicatu neceſſariis.

16. In § 15. commendat prudentiam in interrogando maximè ſpecies peccatorum contrà Caſtitatem, juxtà Rituale c. 7. nu. 20. Et ut caveat à ſignis, ac nutibus, quibus, vel Pœnitens terreatur, vel adſtantes ſuſpicentur grave peccatum.

17. Ex §. 16. Confeſſor habens facultatem commutandi vota, commutet in opus magis, vel æqualitèr pium, habito reſpectu ad labores, & ſumptus, quibus premeretur in exequendo primum. Potens ex Jubilæo, vel alio priviſegio abſolvere à cenſuris, non diſpenſet ab Irregularitate, niſi ſpecialitèr id ei concedatur.

18. In

18. In 17. proponit casus, in quibus neganda, vel differenda est absolutio. Debet id principalitèr cavere Confessor; nàm absolutio, vel inconsideratè, vel negligentèr, vel alitèr collata indigno nutrit pœnitentem in peccatis; & quia nemo est, qui rem explicet adeò clarè, ac distinctè, ideò necessarium paulò fusiùs in hac parte afferre Monita S. Archiepiscopi: Ait igitur se rem communicasse pluribus Theologis Sæcularibus, ac Regularibus variarum Religionum, eorumque consilio decisum, ut in sequentibus casibus, ita procederent Confessores.

19. 1. Pœnitens pollens usu rationis, utpotè sub mortali obligatus scire quoad substantiam, Symbolum Apostolorum, præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, necnon quidquid in scholis doctrinæ Christianæ communitèr solemus docere; si hæc ignoret, nèc sit paratus ea quam primùm discere, non potest absolvi.

20. 2. Pœnitens hæc ignorans, & aliàs exhibens se promptum ea quam primùm discere, interrogetur, si aliàs monitus à Confessore, vel Parocho, de obligatione discendi, neglexit discere: si nunquam monitus, talitèr nùnc paratus appareret, potest absolvi: dummodò saltèm priùs instruatur de necessariis necessitate medii: si vel semèl monitus neglexit, non potest absolvi. Vide omninò dicta c. 7. n. 17.

21. 3. Patres, & Matres-familias, qui non curant, ut sui subditi, sive filii, sive famuli, prædicta

ſta ignorantes, ea addiſcant (ſuper quo ſpecialitèr interrogentur) qui non curant, ut ſui ſubditi obſervent præcepta Dei, & Eccleſiæ; imò, quod pejus eſt, impediunt, ne obſervent, occupando famulos pro ſe diebus feriatis, ita quod pro propriis neceſſitatibus indiget famulus laborare in die feſto, vel qui non concedunt tempus pro audiendo ſacro, vel qui permittunt, ut diebus jejuniorum ſui familiares cœnent, cùm nullatenùs exempti ſciantur à lege jejunii, vel qui permittunt, ut prandeatur ante tempus debitum, vel qui non admonent, aut corrigunt ſubditos, ubi violant hæc præcepta, vel qui non dimittunt à ſuo ſervitio famulos incorrigibiles, & ſcandaloſos: Hujuſmodi, inquam, patres, & matres, tractentur prout in ſecundo caſu, abſolvantur, ſi interrogati, reſpondent nunquam ſe ſuper hoc fuiſſe monitos, & parati noſcuntur emendare prædicta: ſi moniti non emendarunt, differatur adſolutio, quoad uſque ſaltèm incipiant emendare.

22. 4. Cum eadem diſtinctione tractentur, qui perſeverant laborare, vendere, aut alia agere prohibita diebus feſtis.

23. 5. Ita etiam, qui mortalitèr peccant in ſuperfluo ac vano ornatu, & pompis corporis.

24. Et quia pro hoc ultimo neceſſarium eſt ſcire, quando ſit mortalitèr peccaminoſus iſte vanus ornatus, ideò abundè id explicat in §. 18. innuens creviſſe hunc vanum ornatum ex negligentiâ Confeſſorum, qui ſuper illo nunquam ſcru-

ſcrupulos injecerunt pœnitentibus, & ſtabilit ſequentes regulas: Ornatus iſte eſt, mortalitèr peccaminoſus.

25. 1. Quando quis ſe ornat ob finem mortalitèr peccaminoſum.

26. 2. Quando in ſe ornando violat, vel cauſa eſt, ut alii violent aliquod Dei, vel Eccleſiæ præceptum, ut ſi laborent, vel laborare faciant in die feſto, ſi tùnc omittant, vel omittere faciant ſacrum; ſi cauſent marito ſumptus ſuprà vites: ſi veroſimilitèr ex tali ornatu conjiciat fore, ut in domo exurgant diſſidia, & odia: ſi talis ornatus familiæ ſit occaſio blaſphemiarum, lucrorum, aut contractuum illicitorum: ſi inde omittantur eleemoſinæ debitæ, legata pia non ſolvantur, aut alia debitâ, vel nova contrahantur; ſi fraudentur operarii debitâ mercede; propterea prædicti Creditores non poſſunt collocare ſuo tempore virgines nubiles, & alia complura patiuntur damna, quæ quiſquis ex ſe facilè colligit. In his omnibus caſibus uſus pomparum, & ſuperfluus ornatus eſt peccatum mortale. Et quia ferè impoſſibile eſt, quod fœmina ſuperfluè ſe ornans nõ cognoſcat, vel non debeat cognoſcere incõvenientia hujuſmodi, ideò Confeſſarius per ſe loquendo, damnabit peccati mortalis ornatum prædictum, niſi contrarium omninò conſtet.

27. 3. Etiamſi non excedat vires, ornatus erit peccatum mortale; ſi ex ſe, vel ex hominum acceptione inducat ad libidinem: ſi per talem orna-

tum omninò reliquis suæ conditionis insuetum, verosimilitèr conjiciat præberi occasionem personæ particulari, ut se amet inhonestè: si talis ornatus eà intentione usurpetur, ut foveat amorem inhonestum: si talem ornatum componant signa amoris inhonesti, ut est varietas colorum &c.

28. Ita expedito ornatu, regreditur S. Carolus ad enumerandos alios peccatores, quibus neganda, vel differenda est absolutio; & sexto loco enumerat eum, qui desiderat quidem deserere peccatum, sed verosimilitèr conjicit se relapsurum, nec media firmè proponit amplecti, quæ Confessor indicit, ne relabatur. His neganda est absolutio; & septimò differenda est certo generi personarum, ut sunt juvenes otiosi, profitentes quotidiè ludum, ebrietatem, crapulam, amorem inhonestum, peccata carnis, blasphemias, verba inhonesta, murmurationes, odia, detractiones, & sub Pascha confitentes, proponunt quidem emendam, sed Confessor verosimilitèr conjicit relapsum: octavò differenda est illis, qui per annos involuti peccatis, & relapsi, nullum studium dederunt emendationi.

29. In §. 19. explicatur primùm, quid sit occasio proxima; & deinde ostenditur, qui constituti in aliquà hujusmodi occasione proximà, dimittendi sint, vel quibus differenda absolutio. Cum igitur occasio proxima sit illa, in quà quis positus frequentèr peccat, nomine occasionis proximæ (quoad intentum S. Caroli, & secundum quod sufficit scire Confessori) veniunt omnia illa, quæ afferunt

cau-

causam peccati: primò, quia de se inducunt ad peccatum: secundò, quia in illis talitèr assuevit pœnitens peccare, ut Confessor prudentèr conjiciat illum ex malo habitu non derelicturum peccatum, si perseveret in tali occasione. Primi generis occasio est profiteri ludum alearum &c. ad hujusmodi ludos habere domum, habere ad suum beneplacitum personam, cum quà peccatur, perseverare in sermone, obtutu, aut familiaritate inhonestâ. Pœnitens igitur constitutus in hac occasione primi generis, non est absolvendus, si occasio actu extat, nisi eam dimittat, v.g. nisi dimittat concubinam actu domi existentem, vel nisi cesset eam suis sumptibus sustentare, quando sustentat ruri, vel alibi; nec absolvendus est, qui conduxit domum pro ludo, aut pro meretricio, quousque actu non dimiserit saltèm aperire domum pro ludo, & pro meretricio, etiam dimissis fœminis: In reliquis occasionibus enumeratis, vel similibus, non est absolvendus, nisi promittat deserere: quod si aliàs promisit, nec deseruit, non est absolvendus, antequam actu deserat.

30. Sed & adhùc distinguendum est in hujusmodi occasionibus: possunt enim esse voluntariæ, & involuntariæ: Occasio dicitur involuntaria, quando nequit dimitti sine scandalo, aut infamiâ. Igitur in hujusmodi occasionibus involuntariis, Confessor utatur hisce regulis: primò differat absolutionem, quoad usque videat certa signa veræ emendationis. At si absque periculo saltèm infamiæ ne-

queat differri absolutio, cognoscaturque Pœnitens verè contritus, dispositus, ac paratus subire remedia proponenda à Confessario, tùnc iste proponet convenientiora, qualia sunt, ut solus non tractet cum solà, ut assumat aliquam afflictionem carnis, ut habeat specialem orationem &c. quæ remedia si acceptet, poterit absolvi: quòd si præcedentèr acceptavit, & nihilominùs nulla est secuta emendatio, tùnc cùm totâ acceptatione remediorum differatur absolutio, nisi actu occasionem tollat, vel saltèm quoad usque non contulerit rem cum Episcopo, cum quo, celatâ omninò personâ, conferet casum.

31. Dictum est nmu. 29 quod datur alterum genus occasionum proximarum; & sunt illa omnia, quæ quidèm ex se non inducunt ad peccatum, sed inducunt ratione talis personæ, quæ hìc, & nùnc judicatur talitèr disposita, ut sit relapsura in eadem peccata, si perseveret in eâdem occasione. Hujusmodi sunt, militia, negotiatio, officium Judicis, Advocati, Procuratoris, Oeconomi: quæ quidem à pluribus exercentur sanctissimè ob fundum virtutis, quam in se habent; nihilominùs habituatis in peccato sunt occasio furtorum, injustitiarum, odiorum, calumniarum, fraudum, periuriorum, & similium criminum; & si talitèr habituatus in iis perseveret, non erit in posterum fortior, quàm anteà fuerit, ut verosimilitèr conjicit Confessor ex debilitate Pœnitentis: Hujusmodi personæ vel debent deserere tale exer-

exercitium, vel illud exercere de licentiâ, & sub obedientiâ docti, ac pii Sacerdotis, qui non absolvet prædictum pœnitentem, si fundatè dubitet relapsurum in eadem peccata, sed differet absolutionem, quoad usque videat actualem emendationem competentem. Oculatus in hoc debet esse Confessor: etenim ex horum inertiâ procedit, ut nostris temporibus ullum vix extet exercitium aliàs justissimum in civili Republicâ, in quo non regnent peccata, & plura, & gravia.

In pluribus officiis plura jurantur, quæ deinde non demandantur executioni.

32. Consultores, Advocati, Procuratores &c. serviunt malignitati Clientum, & injustitiis manifestis.

33. Milites incumbunt duellis, odiis, homicidiis, ludis, blasphemiis, rapinis, meretricibus.

34. Negotiatores, usuris, fraudibus, vendentes pluris, quàm res valeat, aut malam supponentes pro bonâ, pejerantes, fraudantes vectigalia &c.

35. Artifices laborant in die festo, omni cultu Dei omisso, nusquam audientes verbum Dei, & familiam ita educantes.

36. Si per singula discurrat Confessor, agnoscet in pluribus hujusmodi exercitiis, hominem vixisse continuò in peccato mortali; qui non sit hìc, & nùnc absolutionis capax, nisi vel reddatur fortior, vel tollatur occasio.

37. Et si diligentiùs observet, occurrent plures, quorum præteritæ confessiones fundatissimè judi-

cari poterunt invalidæ: quare ab iis, ultrà actualis competentis emendationis ſigna, Confeſſor exiget generalem confeſſionem.

38. Cautior erit Confeſſor in quibuſdam exercitiis nullius neceſſitatis, aut utilitatis pro Republicâ: Hujuſmodi ſunt frequentare choræas, converſari cum blaſphemis &c., frequentare tabernas, marceſcere in otio &c. Quidquid ſit, an hæc reponi debeant inter occaſiones primi, vel ſecundi generis inſinuatas n. 29. certè neganda eſt abſolutio, niſi pœnitens animo renunciet prædictis exercitiis, & proponat ab iis abſtinere; Quod ſi primâ, vel ſecundâ vice, videatur ita diſpoſitus pœnitens, ut illi credendum ſit promittenti ſe abſtenturum; ſi poſteà deficiat, differenda eſt abſolutio, quouſque actu dimiſerit occaſionem.

39. Confeſſor negabit abſolutionem exercentibus contractus nominatim prohibitos, aut expreſsè illicitos, niſi priùs reſcindantur, & quantum poteſt, ſatisfiat parti læſæ: Ubi verò contractus eſt dubius, abſolvatur Pœnitens, dummodò priùs det cautionem exequendi; quod judicabitur.

40. Neganda eſt, etiam in Jubilæis, abſolutio illis, qui obligati edicto Pontificio, vel Epiſcopali denunciare aliquid, omiſerint, niſi priùs actu denuncient, & ſatisfaciant damnis ſecutis ex omiſſione denunciationum.

41. Neganda eſt abſolutio obligatis reſtituere, aut ſatisfacere, niſi priùs actu compleant, cum poſſunt: Sed ſi ſint in periculo mortis, poterunt abſol-

vi,

vi, dummodò totum faciant, quod in ſe eſt, ut deinde quam primùm ſequatur ſatisfactio. Hæc omnia ex Sancto neceſſarium fuit fuſiùs adducere, quia ſine eorum perfectâ intelligentiâ Confeſſor multa quotidiè peccaret. Volui tamen mihi licentiam ſumere variandi aliqualitèr verba (nullatenùs ſenſum) ut adaptarem ſingula iis, qui præparant ſe ad confeſſiones, egreſſi è ſcholis Theologiæ Moralis, & difficilè percipiunt aliquas doctrinas, niſi proponantur ſub terminis uſitatis in ſcholâ.

42. His obſervationibus, & regulis præventus Confeſſor, ubi nullum in Pœnitente agnoſcit motivum differendæ, vel negandæ abſolutionis, curabit confeſſionem compleri, accuſando ſe de omnibus peccatis jàm confeſſis, & de illis, quorum non recordatur, commiſſis corde, ore, vel opere, necnon de omnibus peccatis vitæ præteritæ.

43. Quæ ubi pœnitens compleverit, Confeſſor exequetur, quæ ordinat Rituale adductũ c. 7. n. 21.

44. Proſequitur in 20. §. S. Carolus proponere formam abſolutionis, cum precibus Eccleſiæ conſuetis.

45. In 21. agitur de pœnitentiis injungendis: circà quas ſuprà habes Rituale c. 7. n. 22. & 23.

46. In 22. hortatur Confeſſarios fugere omnem avaritiæ ſuſpicionem juxtà Rituale c. 7. n. 24. & 25. Suadetque notitiam Canonum Pœnitentialium, ut ex Catechiſmo dictum eſt c. 6. n. 12.

47. In 23. agitur de ſigillo confeſſionis juxtà ea quæ præcipiuntur in c. *Omnis utriuſque*, ut c. 8. nu. 4.

48. In 24. agitur de fide confeſſionis, quam aliquando petunt Pœnitẽtes,& in Urbe relinquenda eſt, ubi audiuntur infirmi. Vid. d c.10. n.1.2. & 8.

49. In 25. & ultimo ponuntur variæ inſtructiones per Confeſſarios dandæ pœnitentibus, ut perſeverent in bono. Prima: Confeſſor, quippe Pater ſpiritualis, inſtruat omnes in vitâ Chriſtianâ, ſed præſertìm illos, à quibus electus eſt in Directorem ſuæ vitæ. Secunda firmet pœnitentes in propoſito non peccandi mortalitèr, nèc unquam deflectendi à voluntate Dei: Tertia: Quod ut faciliùs conſequatur, inculcet hominem à Deo fuiſſe creatum eo fine, ut hìc Deo ſerviens, tandem illo fruatur æternalitèr:quare inducatur pœnitens, ut ad hunc finem omnia dirigat, paratus amplecti quidquid ad illum confert, paratus rejicere quidquid ab illo retrahit, ita ut admittat, vel dimittat omne officium, vel exercitium, quod juxtà ſuum ſtatum, ad ſalutem conſequendam, Pater ſpiritualis judicabit admittendum, vel dimittendum. Quarta:Quilibet,juxtà ſuam capacitatem,inſtruatur in modo orandi, ita ut actu oret, bis ſaltem in die,veſperi,& manè. Quinta: Inducatur,ut quotidiè audiat ſacrum, & die feſto divinis adſiſtat officiis: Sextà: Inſtruat capaciores circà orationem mentalem. Alios autem ut devotè recitent Roſarium,Coronam,vel Officium B. Virginis,aut Pſalmos Pœnitentiales. Septima: Inducat omnes, ut examinent quotidiè conſcientiam, quam, erit optimum, ſi tota familia in communi examinet ad

ve-

veſperam: Octava: Hortetur omnes ad frequentiam ſacramentorum, Euchariſtiæ ac Pœnitentiæ: optimum eſſet inducere illos ad octiduam communionem: qui verò minùs diſpoſiti ſunt ad hanc frequentiam, primò inducantur, ut communicent in Paſchate, Pentecoſte, B. Virginis Aſſumpione, Feſto omnium Sanctorum, Nativitate Domini, & primâ Dominicâ Quadrageſimæ, quò ſe præparent jejunio quadrageſimali: deinde inducat ad communionem menſtruam; & ita nullo negotio aſſueſcent ad octiduam. Nona: Specialitèr curet confeſſor, ut pœnitens inſumat dies feſtos in Dei cultum; ideòque hortandus erit dare ſuum nomen alicui ex Confraternitatibus, quæ die feſto vacant orationibus, aliiſque piis operibus. Decima: Commendet Patribus, ac Matribus-familiàs rectam filiorum educationem, ita quod die feſto mittantur ad doctrinam Chriſtianam, & ducantur ad lectiones ſacras, ac divina officia; & incitentur ad frequentiam ſacramentorum. Undecima: Qui ſciunt legere, inducantur, ut ſibi provideant libros pios, Vitas, ſcilicet, Sanctorum, Gerſonem de Imitatione Chriſti, Opera Ludovici Granatæ, Exercitia vitæ ſpiritualis, Roſarium Gaſparis Loartis. Praxim Orationis ſpiritualis P. Matthiæ Capuccini, aut ſimiles, quòs, præſertìm die feſto, in communi curabunt legi toti familiæ. Duodecima: Qui habent ſubſtantiam hujus ſeculi, doceantur conſervare ſuum ſtatum Chriſtianè, ac modeſtè, non negligere de ſuperfluis eleemoſinas, quarum largitio

gitio est in præcepto; ideòque ne despiciant, curent dirigi consilio docti, ac pii Sacerdotis. Tandem Confessor apta unicuique suggeret documenta, quibus juxtà suum statũ proficiat in viâ Domini.

50. Hæc sunt monita S. Caroli ad Confessarios in compendium redacta, pro majori commoditate præparantium se ad confessiones; qui reflectant huc usque allatam fuisse doctrinam generalem circà Sacramentum Pœnitentiæ desumptam ex Magistro, ex Tridentino, ex Catechismo, & Rituali Romanis, ex Litteris patentibus Episcoporum pro audiendis confessionibus, & ex S. Archiepiscopo; quæ mihi videntur abundè sufficere pro instructione, & directione Confessorum circà sacramentum Pœnitentiæ ut sic. Notetur tamen, quod prædictæ instructiones, aliæ sunt tantùm doctrinales, aliæ insupèr authoritativæ: Doctrinalis est Instructio ex Magistro, & ex S. Carolo pro Confessoribus extrà Diœcesim Mediolanensem, in Ecclesiis, in quibus nondùm Superiores præceperunt, ut Confessarii se dirigant juxtà illas: Tridentini, & Ritualis Instructiones sunt omninò authoritativæ, sicut cæteræ Constitutiones Apostolicæ. Quia traditæ ab habente potestatem, ut juxtà illas dirigamur: quod etiam nonnulli volunt de Catechismo Romano. Etiam authoritativæ sunt litteræ patentes Episcoporum: Propterea præparans se ad confessiones sciat, quod authoritativæ obligant, non quidem omnes æqualitèr, sed magis, vel minùs, juxtà gravitatem ordinationis;

ideò-

ideòque Confeſſor curabit, quantùm poteſt, ea fidelitèr exequi, ut ordinantur, habito ſemper reſpectu ad circumſtantias loci, temporis &c. Quæ verò ſunt doctrinales, non habent quidem obligandi authoritatem, ſed tamen oſtendunt, quid competat naturæ, ac ſtatui hujus ſacramenti, rectæque illius adminiſtrationi: quare erunt etiam ipſæ magni faciendæ.

CAPUT XII.

Præparans ſe ad confeſſiones curabit ſcire ſequentia circà Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtrum.

1. POſt traditam notitiam de hoc Sacramento in generali, hauſtā ex fontibus Theologiæ, qui ſunt verbum Dei Eccleſiæ revelatum, & authoritas Doctorum, quæ in Theologiâ eſt ut principium probabile ex S. Thomâ 1. p. q. 1. a. 8. ad 2., deſcendo per ordinem ad ipſas concluſiones Theologicas, de quibus inſtrui debet ſe pręparans, antequam in particulari cognoſcat peccata, quæ ſunt materia remota hujus ſacramenti: & has concluſiones debet ſcire quilibet exponens ſe examini confeſſionum. Examinator, antequam de ſcientiâ examinandi experimentum capiat, inquirit, quo in loco velit audire confeſſiones: nàm, v.g. ſi Eccleſia eſt ruralis, examinat de peccatis propriis

priis ruſticorum, inter quos aliqua ſunt omninò innominata; & ita poteſt quis eſſe aptus audiendis confeſſionibus, eſto ignoret naturam nonnullorum criminum; At quilibet ſcire debet perfectè rationem hujus ſacramenti: quia nemo debet ignorare officium, quod exercet: Præparans igitur ſe ad confeſſiones curet callere quam maximè ſequentia.

2. D. Quod officium exercet Confeſſarius in adminiſtrando ſacroſanctum Pœnitentiæ Sacramentum?

M. Confeſſarius exercet triplex officium Judicis, Medici, & Doctoris: Duo prima litteralitèr innuit Rituale adductum c.7. n.6. Tertium verò Doctoris, eſto non litteralitèr exprimat, abundè ſignificatur n.17. Officium Doctoris exercet inſtruendo Pœnitentem juxtà dicta c.7. n.17. & juxtà monitum S. Caroli c.11. à n.19. Hæc autem ſi ignoret præparans ſe ad confeſſiones (quod eſſet maximum inconveniens) antequam ſe præſentet examini, legat, & relegat *Inſtructionem pro ordinandis* a c.8. ad 13. ſunt enim ipſa fidei rudimenta, quæ quilibet Chriſtianus tenetur ſcire, ut diſcipulus, & Confeſſarius, ut Magiſtèr, juxtà ibidem dicta c.36. n.19. & c.39. n.1. Officium Judicis exercet proferẽdo ſententiam abſolutionis, ad inſtar actus judicialis, vel retinendo peccata, dùm ſine abſolutione dimittit indiſpoſitum; vel ligat ad pœnam juxtà Magiſtrum c.3. n.14. & 15. Exercet officium Medici, dùm imponit pœnitentias medicinales,

dat

dat remedia pro tollendâ occasione proximâ, vel adversùs alia peccata &c.

3. D. Teneturne Confessarius facere hoc triplex officium ergà singulos Pœnitentes?

M. Rituale adductum c. 7. n. 17. asserit expressè quod officium Doctoris exerceat *pro personarum qualitate* & officium Medici n. 22. *quantùm spiritus, & prudentia suggesserit, habitâ ratione status* &c. & officium Judicis exercebit, ut idem præcipit n. 26.

4. D. Quia calleo doctrinam Christianam ex *Instructione pro ordinandis* à c. 8. ad 13. videor mihi cum adiutorio gratiæ Dei, posse sufficientèr exercere officium Doctoris multitudini Pœnitentium, ut Confessor ordinarius, ita ut non peccem gravitèr in illo munere: propterea peto instrui circà officium Judicis; & primò quid requiritur, ut validè absolvam?

M. Illa generalis Instructio sufficit pro communitate Christianorum, sed non pro singulis: Inter Christianos adsunt gravioribus distenti negotiis, alii cupidi Christianæ perfectionis, alii addicti vitæ contemplativæ, &c. His docendis alia complura tenetur scire Confessor, juxtà Rituale c. 7. nu. 15. ante omnia inquiret de statu Pœnitentis; & ubi hic exigit doctrinam majorem, illam Confessor hauriet à libris, & à viris doctioribus, atque exercitatioribus c. 7. n. 7. ut ex S. Carolo c. 11. nu. 5. nàm unicuique danda sunt documenta, & medicinæ convenientes, nèc in aliquo genere debet onus docendi assumere, qui non est

Do-

Doctor in tali genere. S. Carolus c. 11. n. 5. Illa igitur generalis instructio sufficit tantùm pro Cõfessore ordinario, & exposito ad universitatem fidelium, qui, ut etiam pro universitate, officium Judicis exerceat validè, debet esse Sacerdos, habens jurisdictionem, sciens formam, & de facto proferens, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia. Rituale c. 7. n. 4. quodcunque ex his deficiat, absolutio est invalida, & Pœnitens, ubi sciverit defectum, tenebitur eadem peccata confiteri alteri Sacerdoti, qui habeat omnia, & singula prędicta.

5. D. Nihil mihi occurrit circà primum requisitum, *quod sit Sacerdos*: nàm legi pluriès dicta super hoc in *Instructione pro ordinandis* c. 29. nu. 8. c. 34. n. 15. & suppl. S. Thomæ 3. p. q. 8. quare peto instrui circà secundum de Jurisdictione, ut validè absolvat?

M. Jurisdictio est necessaria Confessori, ut validè absolvat: nullus enim Judex validè judicat, nisi judicatus sit subditus per jurisdictionem ordinariam, aut delegatam: dicitur habere ordinariam jurisdictionem Sacerdos, qui ex vi sui officii habet administrare hoc sacramentum, ut Pontifex in toto orbe, Episcopus in suâ Diœcesi, Parochus in suâ Paræcia, &c. dicuntur habere delegatam, qui ab habente potestatem delegandi obtinent licentiam audiendi confessiones: Parochus in suâ Parœciâ non habet hanc potestatem delegandi absque ullâ licentiâ Episcopi. Tridentinum sess. 23. cap. 15. de reformatione. Vide cap. 10. num. 15.

Re-

Regularis insupèr legat caput nonum.

6. D. Circà tertium requisitum peto, an ad validitatem sacramenti requiratur verbis proferre formam, vel sufficiat illam tradere scripto?

M. Non sufficit proferre scriptó: nàm Eph. 5. *Christus dilexit Ecclesiã, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*. Augustinus tr. 80. in Jo: *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum*. Videatur S. Thomas 3. p. qu. 60. ubi loquitur in genere de omni sacramento, & suppl. qu. 9. art. 3. Hìc equidem agit de confessione, quæ est materia sacramenti, nihilominùs ratio concludit etiam pro formâ. Videatur insupèr decretum Clementis VIII. prohibentis de ann. 1602. confessionem in scriptis. Illud hìc non propono, uti neque casus, qui ex eo deciduntur: etenim scribo pro Confessore ordinario; & hìc, relictis quæstionibus metaphysicis, in id semper incumbit, ut quilibet Pœnitens præsens proprio ore confiteatur propria peccata, quę postèà ipse absolvit per formã proprio ore prolatã.

7. D. Circà quartùm requisitum in *Instructione pro ordinandis* c. 14. n. 9. habeo, quid, & quotuplex sit intentio, & cap. 19. quæ intentio requiratur ad sacramenta. Insupèr lego sæpissimè S. Thomam 3. p. q 64. a. 8. qui adducit pro necessitate intentionis efficacissimam rationem; ex quâ colligo intentionem hujusmodi etiam requiri ad lucrandas Indulgentias. Igitur solùm peto, an requiratur in Confessore intentio faciendi effectum sacramenti, seù justificandi peccatorem per absolutionem?

M. Chri-

M. Christus Dominus debuit habere prædictã intentionem; sed in Ministro vel hujus, vel alteriùs sacramenti, sufficit intentio faciendi, quod facit Ecclesia: quare Pœnitens validè esset absolutus, quando habens ego cætera requisita, cum prædictà intentione, absolverem determinando mentalitèr me nolle justificare pœnitentem; imò etiamsi crederem sacramentum carere virtute justificandi: nec enim requiritur fides in Ministro. S. Th. 3. p. q. 64. ar. 9.

8. D. Habeo, quid requiratur in Ministro, ut validè absolvat; peto, quid ultrà requiratur, ut absolvat licitè?

M. Requiritur, ut sit in gratiâ, quâ carens validè absolvet, si habeat requisita posita n. 4. Trid. sess. 7. can. 12. sess. 14. cap. 6. can. 10. S. Thom. 3. p. q. 64. ar. 5. suppl. q. 19. ar. 5.

9. D. Si gratia requiritur solùm ad licitè, non ad validè absolvendum, excommunicatus peccabit quidèm absolvendo, sed validè absolvet?

M. S. Thomas suppl. qu. 19. ar. 6. posuit excommunicatum absolvere invalidè; & ità tunc erat sentiendum, quia excommunicatus erat privatus omni jurisdictione; propterea deficiebat in secundo requisito posito n. 4. Sed post decretum Martini V. jurisdictio tollitur solùm excommunicato vitando, vel publico percussori Clerici: quare si talis esset excommunicatus, de quo in casu, absolutio esset invalida, esto invincibilitèr ignorarem excommunicationem, quia non mea ignorantia,

sed

sed (& sit regula universalis) sola Superioris authoritas confert jurisdictionem: si non sit talitèr excommunicatus, & ignoravi excommunicationem, validè absolvor: si verò scivi excommunicationem: distingue: aut illum adii ex aliquâ necessitate, vel erat proprius Superior, nec habebam in promptu Confessarium idoneum; & tùnc ille peccat absolvens in peccato mortali; sed ego utor jure meo, & malo illius in bonum meum: Extrà dictos duos casus, invalidè absolvit, non quia deficiat in jurisdictione, sed quia ego accedens pecco mortalitèr, & committo sacrilegium, cooperans sacrilegio illius. Ita deducitur ex ratione S. Thomæ 2.2.q.78.a.4. quam oportebit callere, quia est universalis ad decidendos plurimos casus.

10. D. Scientia requiriturne in Confessore ut validè, vel ut licitè absolvat?

M. Aliqua scientia requiritur ad validè absolvendum, nempè, ut sciat proferre formam; nec alia requiritur ad validitatem: esto ignoraret omnia mysteria fidei, quia ex n.7. non requiritur fides in Ministro, validè absolveret, dummodò haberet requisita posita nu.4. & dummodò Pœnitens datâ operâ non requireret Confessorem ignorantem, quia tùnc pœnitens peccans accedit indispositus: Vide n.9. Alia scientia requiritur, ut licitè absolvat, quia sine illâ absolvens peccaret mortalitèr; & aliâ requiritur ad congruitatem, ut perfectiùs exerceat triplex officium Doctoris, Judicis, & Me-

dici. Non poſſum determinare, quænàm ſcientia ſit de neceſſitate, & quæ de congruo; Ratio eſt, quia nulla concluſio deduci poteſt, niſi ex ſuis principiis, & præmiſſis. Præmiſſæ, quibus innititur Theologia Moralis ſunt determinationes Eccleſiæ, vel ratio: Nulla ratio præcisè determinat tantam ſcientiam, quia ſcientia eſt medium; & determinare media ſpectat ad Prudentiam, ut dicetur p.2. c.14.n.1. quæ nunquam determinat media in univerſali, ſed modò accipit plura, modò pauciora, ſecundùm quod conducunt ad finem: ſed nec Eccleſia determinavit tantam præcisè ſcientiam. Rituale c.7. n.7. videtur exigere, quod ſciat diſcernere inter lepram, & lepram, diſtinguens genera, ſpecies, numerum, & circumſtantias explicatu neceſſarias peccatorum, de quibus dicetur in ſequentibus, & dictum eſt in *Inſtructione pro ordinandis* c.40.n.24.&25. Debet ſcire, caſus reſervatos Papæ, & Epiſcopo: Rituale cap.7. n.8. Debet ſcire, inſtructionem ſacramenti Pœnitentiæ ex ipſo Rituali n.9. ſaltèm quoad ea, quæ ſunt ſubſtantialia. Edictum Sancti Officii, Conſtitutiones Apoſtolicas ſuprà poſitas, Propoſitiones in materia morum damnatas, &c. Cæterùm auditurus confeſſiones expediat ſe ab hiſce ſcrupulis, an habeat, vel non habeat ſcientiam omninò neceſſariam, primò ſequendo monitum S.Caroli poſitum c.9. n.5. ut non ſe ingerat audiendis pœnitentibus, quos dubitat habere caſus ſibi non reſolubiles: ſecundò ſequendo ordinationem Ri-

tualis

tualis c.7. nu.7. *ut quantam maximam potest, scientiam, studeat sibi comparare.* Vide c.3. n.16.

11. D. Quibus mediis poterit Confessor comparare sibi hanc quantam potest, maximam scientiam?

M. Tria proponit Rituale c.7. n.7. Primum est assidua oratio; eritque optima, quam composuit, & recitabat ante studium S. Thomas, inserta in ejus opusculis, & incipiens: *Creator ineffabilis* &c. Eritque optimum, quotidianum Missæ sacrificiũ ad hunc etiam effectum applicare, ut Deus nobis conferat *scientiam Sanctorum.* Secundum medium proponitur studium probatorum Auctorum, Catechismi præsertim. Author aliquis potest esse probatus, vel per auctoritatem Ecclesiæ Romanæ, vel per authoritatem alicujus particularis Ecclesiæ, vel per communem acceptationem Theologorum: Primi semper præferantur aliis: & secundi in illâ Ecclesiâ præferantur tertiis. Præter Tridẽtinum, & Authores superiùs adductos, quos optimum erit, legere sæpiùs in fonte. S. Carolus commendat Confessoribus Pastorale S. Gregorii, libros Sancti Joannis Chrysostomi de Sacerdotio, Summam S. Antonini, & si quam aliam Episcopus utilem judicaverit. Libellus Romæ editus inscriptus *Avvertimenti di S. Carlo*, &c. est omninò necessarius. Sed principia doctrinæ Moralis continet Summa S. Thomæ: Virtutes, & vitia in generali explicantur 1. secundæ. Agit de virtutibus, & vitiis in specie 2.2. De Sacramentis 3. p. à qu.60.

cum toto ferè ſupplemento. Sanè Angelici dogmata inconcuſſa, tutiſſimaque appellavit Alexander VII. Imò nullius Sancti doctrinam à Deo Eccleſia univerſalis orat intelligere, ut doctrinam Aquinatis, in Collectâ ſuæ feſtivitatis orans *da nobis, quæſumus, & quæ docuit, intellectu conſpicere, & quæ egit, imitatione complere.* Habet hæc Angelica doctrina compendium totius Moralis, quam Spiritus Sanctus docuit in Eccleſiaſtico, in Evangelio, in Epiſtolis Apoſtolorum: quos etiam libros curabit Confeſſor legere ut verbum Dei, & ut fundamentum, ſuper quo ædificant omnes Theologi. Plura etiam hujuſmodi fundamenta ſunt in Jure Canonico, cujus volumina legat Confeſſor ſaltem quoad illam partem, quæ tangit forum conſcientiæ, & deciſionem caſuum Moralium, relictâ Juriſperitis parte illâ, quæ tangit forum exterius. Sciat antiquitùs caſus omnes non ita obvios per Confeſſorem fuiſſe communicatos Epiſcopo, qui, adhibito Theologorum conſilio, ſi deciſio videretur paulò profundior, conſulebatur Apoſtolica Sedes. Ex hac, re per Theologos doctiores acritèr examinatâ, prodibat oraculum; & inde compactum eſt aureum volumen Decretalium. Tertium medium à Rituali propoſitum comparandæ ſcientiæ eſt *prudens conſiliũ peritorum.* Huic exquirendo ſcimus antiquitùs conveniſſe Monachos ex collationibus Caſſiani. Has ex Breviario aſſiduè pervolutabat S. Thomas. Quilibet ferè Ordo Regularis, etiam Camaldulenſium, ſta-

bili-

bilivit hujuſmodi lectiones, ſeù collationes de caſibus conſcientiæ, & ſanè cum magno populorum fructu, qui ſanctè illas frequentant; quem fructum intendens SS. D. N. CLEMENS XI. præcepit eaſdem collationes, ſeù lectiones in Urbe omnibus Confeſſariis, ut dictum eſt c. 10. num. 2. & 14.

13. D. Quia Confeſſor dicitur Miniſter Sacramenti Pœnitentiæ, vellem ſcire, quæ differentia intercedat inter Pœnitentiam, ut eſt Virtus, & ut eſt Sacramentum?

M. Ex Catechiſmo c. 6. à n. 4. habes, quomodo diſtinguantur ſacramentum, & Virtus Pœnitentiæ. Quia verò clarius id percipitur, ſi explicetur juxtà Theologiam S. Thomæ, ſcito nomine Virtutis Pœnitentiæ, intelligi habitum, quem Deus infundit in voluntate: quando infundit in eſſentiâ animæ habitum gratiæ ſanctificantis, ut ſit filia Dei, & in reliquis potentiis infundit habitus, ut operentur operationes proprias filiæ adoptivæ Dei: & hic habitus Pœnitentiæ inclinat homines ad actus, ſeù operationes, quæ ſunt dolere, confiteri, & ſatisfacere pro peccato, ut eſt offenſa Dei: ſecundò, nomine Pœnitentiæ, veniunt iſti actus, ſive perfecti, ſive imperfecti: ſi ſint perfecti eliciuntur à nobis per habitum pœnitentiæ, & conſequentèr à nobis juſtificatis: uti nomine caloris veniunt omnes gradus & perfecti, ut octavus, & imperfecti, ut reliqui priores: Imperfecti actus Pœnitentiæ ſunt à nobis ante habitum (dependentèr tamen à ſpeciali auxilio Dei). Habitus

Pœnitentiæ nullo modo eſt ſacramentum: Actus autem ſunt materia proxima ſacramenti: quare Pœnitentia ſacramentum diſtinguitur à Pœnitentiâ virtute, ſicut homo à corpore: ſacramentum enim eſt quoddam totum, cui abſolutio deſervit loco formæ, & prædicti actus loco materiæ.

13. D. Adſuntne aliquæ propoſitiones damnatæ, quę tractent de Miniſtro Sacramenti Pœnitẽtię?

M. Duas per ſe, & directè ſpectantes ad juriſdictionem, damnavit Alex. VII. nempè, 13. & 16. quæ tangũt juriſdictionem in generali: quę tãgunt juriſdictionẽ ſuper reſervata, innuentur ſuo loco.

CAPUT XIII.

De partibus materialibus hujus ſacramenti.

1. D. QUia tactum eſt aliquid de materia, dicatur mihi magis diſtinctè, quæ ſit materia ſacramenti Pœnitentiæ?

M. Materia duplex eſt: Remota, & Proxima: Remota ſunt peccata hominis Chriſtiani commiſſa poſt baptiſmum: Subdiſtinguitur: alia enim eſt neceſſaria ſimùl, & ſufficiens, nempè, peccata mortalia certa Chriſtiani, commiſſa poſt baptiſmum, & nunquam ritè confeſſa: Alia eſt materia neceſſaria, non ſufficiens, nempè, peccatum mortale dubium, quod ex unâ parte tenemur confiteri: S. Thomas ſuppl. qu. 6. art. 4. ad 3. nàm in dubiis tutior pars eſt eligenda: ex aliâ

ne

ne sacramentũ exponatur periculo nullitatis, non possumus de illo solo absolvi, sed tenemur addere aliud certum, vel mortale, vel veniale: Tertia tandem est materia sufficiens, nempè, peccatum veniale, vel etiam mortale, aliàs semel ritè confessum. Tridentinum sess. 14. c. 5. S. Thom. 3. p. q. 84. ar. 2. & suppl. q. 2.

2. D. Quæ est materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ?

M. Sunt tres actus Pœnitentis, Cordis Contritio, Oris Confessio, Operis Satisfactio. Ad hos reducuntur illa quinque dicta in *Instructione pro ordinandis* cap. 11. n. 26.

3. D. Præparans se ad audiendas confessiones, præsertìm in Examine Romano, debet callere Theologiam Moralem, ut Sapientia est; Audivi multos ibi reprobatos, quia habebant scientiam, non sapientiam: Ex S. Thomâ 1. p. q. 1. ar. 8. *Sapientis est ordinare*: Isti habebant scientiam de quibusdam tractatibus, sed non sapientiam: nec enim sciebant ordinatè: multò minùs habebant Sapientiam perfectam: hæc est speculativa simùl, & practica ex eodem 2. 2. q. 45. art. 3. Desiderans ego habere Theologiam Moralem ordinatè, & cum respectu ad praxim, peto instrui, ut ordo exigit, de singulis partibus materialibus Sacramenti Pœnitentiæ, ita quod de illis perfectè addiscam quæstiones non metaphysicas, sed quæ faciunt ad praxim pro Confessore ordinario; & primò de Contritione?

M. Præparans ſe ad confeſſiones, ut dignè exerceat triplex officium Judicis, Doctoris, ac Medici, circà contritionem ſciat ſequentia: primò: Contritio importat ſaltèm duos actus: alterum, quo dolemus de peccato præterito: alterum propoſiti de cavendo futura. (S. Thomas ſuppl. q. 1. ar. 1.) Secundò: uterque actus debet eſſe ſuper omnia (q. 2. ar. 4.) ita quod plus doleat de offensâ Dei, quàm de aliis malis, & proponat vitare potiùs offenſam Dei, quàm cætera mala: Id tamen ſufficit in generali: non eſt neceſſarium dicere: *Eligam potiùs, quàm peccare, infernum* (ibid. ad 4. & quodl. 1. ar. 9. ubi ait: *Stultè faceret, qui ſe, vel alium ſollicitaret* ad ita explicandum in particulari, eſſetque *inducere ad tentationem, & præbere occaſionem peccandi*.) Sufficit etiam, quod uterque ſit ſuper omnia *Appretiativè*, non *Intenſivè*. (Hi termini explicantur in *Inſtructione pro ordinandis* cap. 11. num. 28. 29.) S. Thomas ſuppl. qu. 3. artic. 1. Sed & vide Catechiſmum cap. 6. num. 8. Tertiò: Contritio, ut ſit materia ſacramenti debet eſſe ſenſibilis, quia omne ſacramentum eſt ſignum ſenſibile quo ad materiam, & formam. *Inſtructio pro ordinandis* c. 11. n. 2. S. Thomas 3. p. q. 60. a. 4. Senſibilis autem dicitur Contritio conſiſtens in actu volutatis, quia conjungit ſibi actum aliquem externum Virtutis Pœnitentiæ. Hi actus externi ſunt gemitus, lachrymæ, tunſio pectoris, vocalis confeſſio &c. (3. p. q. 84. a. 9. ad 1.) Per hos reddita ſenſui ſubjecta contritio fit materia ſacramenti:

menti: quartò: Cõtritio mortalium debet esse universalis, & de omnibus, suppl. q. 3. a. 2. ubi ad 2. notentur illa verba: *Debet non solum de peccato, sed de oblivione ejus dolere, quæ ex negligentiâ contigit*: si enim debet conteri de oblivione, debet illam confiteri, etiam quoad numerum. Vide Catechismum c. 6. n. 11. Dicitur autem nniversalis dolor, quando formale motivum est universale, quanquàm materialitèr explicem aliqua solùm peccata, v.g. oblitus in examine duorum criminum contrà Castitatem, recordor decem contrà justitiam, & memorans illa decem, doleo, quia per illa offendi Deum summè bonum contritione perfectâ, vel imperfectâ, quià Deum offendens, infernum promerui: Motivum hoc est universale, conveniens omni peccato; & ideò cum tali dolore confitens absolvor directè à decem, indirectè à duobus oblitis: At si dolerem illis decem offendisse Deum, ob turpitudinem injustitiæ revelatam à Deo Ecclesiæ, motivum hoc est particulare, utpotè non conveniens illis duobus contrà castitatem; propterea in tali casu à nullo absolverer, quia Deus non dimidiat veniam. Curet tamen Confessor, ut Pœnitens doleat etiam materialitèr de omnibus juxtà monitum S. Caroli c. 11. n. 42. S. Thomas suppl. q. 2. a. 6. Quintò: Dolor debet esse supernaturalis, hoc est, regulatus à fide, quæ est principium supernaturalitatis (57. prop. damnata ab Innocentio XI.) 2. 2. q. 16. a. 1. quare non sufficit timor pœnæ temporalis, quia fides non docet peccanti imminere talem pœnam,

sicu-

ſicuti docet imminere pœnam alteriùs vitæ: ibid. q.19.a.2.ad 4.*Timor ſervilis, & initialis reſpiciunt pœnam, per quam homines attrahuntur ad Deum, divinitùs inflictam, & comminatam.* Alios actus contritioni annexos ex Tridentino vide c.4. & 3. p. q.85. a.5. Sextò: dividitur Contritio in Imperfectam, & Perfectam. Differentia utriuſque poſita eſt in *Inſtructione pro ordinandis* c.11. n.27. ſeqq. & n.31. dictum eſt alterutram ſufficere huic ſacramento, accipiendo imperfectam, ut ſemper acceperunt antiqui Scholaſtici pro Attritione includente Amorem Dei initialem. Vide ſuprà Tridentinum c.4. n.13. E contrà plures Theologi recentiores aſſerunt ſufficere dolorem ex metu gehennæ ortum, etiam nullo interveniente actu imperfecto charitatis in Deum, propter ſe ſuper omnia dilectum. Hanc opinionem Alexander VII. prohibuit notari cenſurâ. Ego ſuſtinui mordicùs neceſſitatem Amoris Dei in diſſertatione ſuper hoc editâ de anno 1698. Abſit tamen, ut Examinatorès velint obligare ad hanc ſequendam: Semper in quęſtionibus controverſis relinquunt optionem examinato; Rejiciunt tamen dolorem ex gehennæ metu ortum ſine ullo reſpectu ad Deum, quem plures Eccleſiæ particulares jàm damnarunt, ut omninò inſufficientem. Septimò: Contritio ut ſit materia proxima Sacramenti, debet connecti aliis partibus ejuſdem, v.g. poſt elicitam contritionem, ad pedes Confeſſarii, propono præ verecundiâ tacere aliquod peccatum, quod aperio deinde inductus

Con-

Confeſſarii monitis: in hoc caſu novus dolor eſt eliciendus: primi enim vis, & efficacia fuit interrupta quoad ſacramentum, per ſubſequens ſacrilegium, & univerſalitèr omne peccatum mortale interrumpit efficaciam præcedentis doloris. Nonnulli diſputant, an contritio ſerotina valeat pro confeſſione ſequentis manè: Tu ex illo principio, vide an illa confeſſio procedat in virtute contritionis heſternæ: Valebit enim confeſſio, ſi ita procedat: non valebit, ſi ita non procedat. S. Thomas 3.p.q.84.a.1.ad 3. ſuppl.q.7. art.3.ad 3.

4. D. Dicta num. præcedenti de primâ parte materiali hujus Sacramenri, videntur ſufficere præparanti ſe ad exercendum munus Confeſſoris ordinarii, & cogitanti profundiùs callere Theologiam Moralem. Ille habet in compendio doctrinam Contritionis. Hic citata loca, ex quibus eliciat rationes: quare ſtudium hujus ſcientiæ faciliùs redditur ex triplici capite: primò ſi rationes hìc inſererẽtur, cõfunderetur, qui ſolùm capax eſt ſcientiæ ordinariæ, ut exerceat triplex munus Judicis, Doctoris, & Medici: ſecundò volumen creſceret, & præ pretio fugerent illud comparare plures, qui aliàs habent libros nominatos c. 12. n. 12. tertiò aqua purior eſt in fonte, quàm in rivo; & Moralis adæquat magis intellectum hauſta ex fonte Scripturæ, Conciliorum, Patrum, ac primorum Magiſtrorum; quàm ex liberculis. Igitur optimè conſultum eſt cuilibet, notando libros, quos ſibi provideat Confeſſor; & ego pedetentim, juxtà redditus be-

beneficii, ac patrimonii, ſtudeo illos comparare, conſciùs plurima, ex ignorantiâ Confeſſorum, vigere peccata, quæ tollerentur, ſi ad hoc munus deputati, quotidiè legerent aliquid ex prædictis libris; quidquid tamen ſit de aliis: de me rationem Deo reddere teneor, acerbiſſimè puniendus, niſi ſciam neceſſaria: quare inſtructus circà primam partem materialem hujus ſacramenti, peto inſtrui circà ſecundam, quæ eſt *Oris Confeſſio?*

M. Oris confeſſio eſt actus virtutis Pœnitentiæ, &, ut ordinatur ad abſolutionem, eſt ſecunda pars materialis ſacramenti: Ut rectè fieret, antiqui aſſignarunt ſexdecim conditiones comprehenſas iis verſibus.

Sit ſimplex, humilis confeſſio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, diſcreta, libens, verecũda,
Integra, ſecreta, lachrymabilis, accelerata,
Fortis, & accuſans, & ſit parere parata.

S. Thomas ſuppl. q. 9. a. 4. eas mirabilitèr explicat oſtendens, quæ ſint de neceſſitate, & quæ de congruitate. Ad captum Confeſſoris ordinarii diſſeram de illis, juxtà terminos, quibus utuntur Caſuiſtæ: Primò igitur confeſſionem debet præcedere diligens examen conſcientiæ: Tridentinum ſeſs. 14. c. 5. Quantum temporis in hoc inſumendum ſit, vide ex S. Carolo c. 11. n. 15. Catechiſmus etiam c. 6. n. 11. præcipit reiterare confeſſionem, quando nimìs remiſſum præceſſit examen. Hoc eſt neceſſarium, ne homo ſe exponat periculo omittendi aliquod peccatum: quare qui in manè confeſſus eſt,

eſt, & paulò poſt ut celebret, vult confiteri de actu impatientiæ, v.g. commiſſo poſt confeſſionem, non peccat, confitens abſque prævio examine, quia certus eſt moralitèr, quod nullum relinquet peccatum: è contrà non confeſſus per annum, v.g. invalidè confitetur ſine examine, quanquam caſu diceret omnia: id enim eſt per accidèns: aliàs verè periculo ſe exponit. Secundò: confeſſio debet eſſe ſine mendacio. S. Thomas ſuppl. q. 6. a. 4. Videatur Magiſter c. 3. n. 20. Tertiò: confeſſio debet eſſe integra. Sed integritas eſt duplex: alia materialis: alia formalis: Materialis conſiſtit in explicando peccatorum commiſſorum ſpeciem, numerum, & circumſtantias explicatu neceſſarias: Formalis eſt, quando quidèm, ob aliquod impedimentum, vel morale, vel phyſicum, omittitur aliquod peccatum, ſed tamen pœnitens dicit omnia, quæ poteſt, cum animo dicendi reliqua ſuo tempore, & cum dolore univerſali de omnibus etiam, quæ omittit, juxtà dicta n. 3. de dolore univerſali. Sine integritate formali confeſſio eſt invalida. Homo dicitur integer materialitèr, ſi habet omnia membra: ſi deſit aliquod, ſed habeat eſſentialia hominis, dicitur integer formalitèr. Natura tendit ad conſtituendum hominem materialitèr, & formalitèr integrum: Præter intentionem naturæ naſcitur homo mancus ex defectu virtutis in ſemine. Ita Pœnitens debet intendere confeſſionem materialitèr, & formalitèr integram. Invalidè, & ſacrilegè confitetur, ſi præ verecundiâ nolit facere integram

ma-

materialitèr (loquendo de mortalibus) ſed ſi ex parte ſuâ faciat, quantum poteſt, defectuſque proveniat ex alio impedimento, vel phyſico, vel morali, utpotè formalitèr integra, erit valida. Difficultas eſt ſtabilire in particulari, an hoc, vèl illud impedimentum ſufficiat. Ex Rituali c.7. n.28. impedimentum phyſicum, quo deficeret vox infirmum, ſufficit. Idem dic, ſi poſſet quidèm loqui, ſed indè augeretur notabiliſſimè infirmitas, quia præceptum juris divini cedit præcepto juris naturæ non damnificandi propriam ſalutem. E contrà ex 59. propoſitione ab Innocentio XI. damnatâ, non ſufficit impedimentum morale conſurgens ex frequentiâ populi ad hoc ſacramentum; ſed neque conſurgens ex timore infamandi ſe ipſum apud Confeſſorem: benè tamen conſurgens ex timore gravi, & juſto infamandi complicem. Ex vi hujus regulæ diſſerendum de aliis caſibus particularibus.

5. D. Ad confeſſionem ex parte Pœnitentis, ſequitur obligatio ſigilli ex parte Confeſſarii; quare peto, quid importet hoc ſigillum?

M. Circà ſigillum vide c.3. n.21. & ex c. *Omnis utriuſque* c.8. n.4. nàm ibi clarè innuitur, quomodo ſe debeat gerere Confeſſarius. Videatur etiam S. Thomas ſuppl. q.11. Sigillum dicitur obligatio ſtrictiſſima proveniens ex jure Eccleſiaſtico, divino, & naturali, non revelandi audita in confeſſione, quæ ſi revelarentur, redderent odioſam confeſſionem. Hinc non tenemur ex vi ſigilli cælare actus virtuoſos, vel indifferentes, in confeſſione auditos,

ditos, quia, docendo posse hæc dici, non redditur odiosa confessio, sed benè tenemur ex vi sigilli naturalis cælare actus virtuosos, juxtà intentionem Pœnitentis. E contrà redditur odiosa, si doceatur posse dici peccata, vel defectus etiam naturales, ut quod sim illegitimè natus &c. Cælanda sunt, esto ex revelatione immineret salus, & ex occultatione ruina mundi totius, nàm reddere odiosam confessionem est malùm majus, quàm ruina mundi: Confessor obligatur hoc sigillo, etiam si ex defectu dispositionis non absolvat Pœnitentem, imò etiam si sacrilegè hic confiteatur; dummodò illa confessio habeat aliquem ordinem ad sacramentum, & Pœnitens habeat animum se accusandi Sacerdoti tanquàm Ministro Christi. Sed non tenetur, si Pœnitens simularet confessionem, sed re verà sub eà simulatione vellet trahere Confessorem ad turpia, vel ad rebellionem in Principem: vel si Hæbræus fingeret hoc, ut appareret Christianus, quia nullus ex his ordinat hunc actum ad confessionem, sed ad simulationem confessionis. Confessor ita audiens hujusmodi simulantes, obligaretur ex vi secreti naturalis in delictis privatis, quæ tenemur cælare, sed teneretur revelare delictum rebellionis, delicta contrà Sanctum Officium, & similia delicta publica. Ita obligat hoc sigillum, ut neque possimus uti scientiâ in confessione habitâ, esto nullum omninò esset periculum revelandi personam. Ita ex decreto Sanctæ Inquisitionis damnante propositionem contrariam de anno 1682.

quod

quod ut clariùs intèlligatur, fingamus electionem per vota ſecreta inſtare in communitate undecim Regularium, ſex, de quorum numero ſum ego, adhærentibus Petro. Interim ex illius confeſſione agnoſco Petrum eſſe hæreticum, ambire dignitatem ſimoniacè, ut ſeminet hæreſim &c.; eſto nunquam detegi poſſit, quis receſſerit à Petro, non poſſum ego uti tali ſcientiâ ad negandum ſuffragium, quia ſcio vice-Dei, non ut homo: ſecùs eſt, ſi aliundè ſcirem: tamen notat S. Thomas quæſt. citatà, eſſe cavendum, ne cæteri ſcandalizentur, dùm de eo, quod ſcivit in confeſſione Sacerdos, & aliis viis, differit cum aliis.

6. D. Quid eſt operis Satisfactio, quæ dicitur tertia pars materialis ſacramenti Penitentiæ?

M. Plenam Satisfactionis doctrinam habebit pręparans ſe ad confeſſiones ex Tridentino ſeſ. 14. c. 8. quam ſæpiùs attentè leget, non contentus recolere concluſiones ex illo traditas c. 5. n. 43. nàm ibi Spiritus Sanctus inſtruit circà illam pleniſſimè. Sed, & Catechiſmum c. 6. n. 12. S. Thomam à ſuppl. q. 12. ad 16. Rituale adductum c. 7. nu. 22. & ſeqq. Satisfactio poteſt ſumi duplicitèr, prout eſt in propoſito, & prout eſt in executione. Prout in propoſito, eſt pars eſſentialis ſacramenti Pęnitentiæ. Aliqui docent ad confeſſionis validitatam ſufficere, quod Pœnitens velit agere pœnitentiam in Purgatorio, poſſe propterea reſpuere Pœnitentiam à Confeſſore injunctam. Hæc opinio fortè

non

non placet Sanctæ Inquisitioni, nec eam audire volunt Examinatores Urbis, nam ex c. 3. n. 15. Clavis ligat ad pœnitentiam. Satisfactio in executione est pars integralis sacramenti, & per consequens ex opere operato remittit pœnam solvendam in Purgatorio, quatenùs cum illà nobis applicatur satisfactio Christi; & ita Pœnitens curare deberet, ut opera satisfactoria, quæ sibi ultrò est assumpturus, sibi imponerentur à Confessore; nàm ultrò assumpta solum valent ex opere operantis; ut à Confessore imposita valent ex opere operantis, quantùm de se possunt, & ex opere operato, quia sunt instrumenta, quibus applicatur nobis satisfactio Christi. Pœnitens igitur tenetur acceptare pœnitentiam, & illam adimplere quàm primum. Imò ex Rituali c. 7. n. 15. debet Confessor interrogare, an adimpleverit pœnitentiam præcedentis confessionis; & illum ordinariè non audiet, nisi priùs satisfaciat, quandò differt sine rationabili causâ. Ex 15. propositione damnatâ ab Alexandro VII. nequit pœnitens propriâ authoritate sibi substituere, qui adimpleat illam. Vide rationem c. 6. n. 12.

7. D. Valet nè Satisfactio à Pœnitente facta, dum est in peccato mortali?

M. Vide S. Thomam suppl. q. 14. a. 2., & c. 3. n. 6. c. 6. n. 12. Inde apparet peccatorem in peccato mortali adimplentem pœnitentiam, in anteriori confessione impositã satisfacere obligationi contractæ cum Confessore, coram Deo tamen, non

ſatisfacit per illam pœnis ſibi debitis in Purgatorio ratione criminum priùs confeſſorum. Fructus bonorum operum eſt triplex, Meritum, Impetratio, & Satisfactio: Secundus, & tertius fundantur in primo; quare cùm per bona opera in mortali exercita, peccator nihil de condigno mereatur, neque ſatisfacit. De congruo tamen quodlibet opus bonum eſt valdè utile; præſertìm, quando volens Confeſſor probare conſuetudinarium v.g., differt abſolutionem; & interìm, dùm probat, imponit partem pœnitentiæ: Imò ita ordinariè fieri debet, dùm differtur abſolutio.

8. D. Prodeſt multùm, ſi præparans ſe ad confeſſiones, craſsâ Minervâ ſaltèm, ſciat diſtinctionem inter meritum de condigno, & de congruo. In docendo diebus Dominicis doctrinam Chriſtianam, experior excitari fideles etiam rudiores audiendo explicatos quoſdam articulos, à Caſuiſtis recentioribus relictos, ut ajunt, Scholaſticis?

M. Inſtructioni fidelium ſanè magis conferunt quęſtiones aliquæ omninò Caſuiſtis intactæ quàm illæ ab Alexandro VII. vocatæ *corruptela Chriſtianæ vitæ*. S. Thomas 1. 2. q. 114. a. 6. explicat utrumque meritum: Homo meretur de condigno apud Principem, quandò tali actioni, ut à tali elicitæ debetur tanta merces, vel præmium: De congruo meretur, quandò tale præmium non debetur tali actioni, ſed congruum eſt, quod Princeps, ob ſuam magnanimitatem, remuneretur operantem magis, quàm ſibi debeatur ſimpliciter.

citèr. Hæc verò, qui rudiores inſtruit in doctrinâ Chriſtianâ, explicabit, pro eorum captu, exemplis, præſertìm Parabolâ patrisfamilias relatâ Matth. 20. 1.

9. D. Dicendum eſt, quibus modis poſſimus Deo ſatisfacere, ut Confeſſor ſciat, quas pœnitentias debeat imponere?

M. Modos ſatisfaciendi explicat Tridentinum ſeſs. 14. c. 9. S. Thomas ſuppl. q. 15. & tacti ſunt ex Catechiſmo c. 6. n. 12. Satisfacimus primò flagellis à Deo immiſſis, & patientèr toleratis: ſecundò jejuniis; (quo nomine venit omnis afflictio corporis voluntariè aſſumpta) tertiò oratione (quo nomine venit omnis elevatio mentis in Deum) quartò eleemoſinis (quo nomine veniunt quatuordecim opera miſericordiæ. S. Thomas in 4. d. 15. q. 2. a. 2. qu. 2. docet in oratione includi jejunium; & in eleemoſinâ jejunium, ac orationem. Vide illum. Quare Confeſſor imponens aliquod opus miſericordiæ imponit triplex genus ſatisfactionum.

10. D. Quomodò debebit ſe gerere Confeſſarius in imponendis pœnitentiis?

M. Confeſſor injungit pœnitentias, ut Judex, & Medicus: Ut Judex, ad ſatisfaciendum de præteritis; ut Medicus, ad cavendum futura. Ex Rituali c. 7. n. 23. habet, quas pœnitentias imponere debeat. Porrò notandum ex S. Thomâ ſuppl. q. 18. a. 4. quod Medicus malè faceret, ſi omnibus laborantibus eodem morbo applicaret eandem

medicinam, univerſalitèr ab Hippocrate preſcriptam contrà talem morbum. Debet quidem dirigi ex præſcripto Hippocratis; at ulteriùs conſiderare complexionem infirmi, vires, tempus, &c. quibus conſideratis, quia non omnis complexio eſt apta medicinæ adeò efficaci, quantum poterit, cuilibet aptabit medicinam Hippocratis. Et ita Confeſſor, præcipiet ſatisfactionem pro ratione ſtatus, ut Rituale ait c.7. n.22. aptando illam Canonibus antiquis. Aliquæ tamen medicinæ ſunt univerſales pro omni morbo, & niſi contrarium ſuadeat evidens neceſſitas, omninò applicandæ, ut Diæta, &c. Confeſſor primò videbit an Eccleſia Romana vel ſuus Epiſcopus pro tali delicto determinaverit aliquàm hujuſmodi, & ad unguem ſervari curabit. In Bullâ Cœnæ lædentes libertatem Eccleſiaſticam, debent ſatisfacere, revocando, & delendo è libris decreta contrà illam facta, reddendoque certiorem de hac revocatione Sedem Apoſtolicam, & hoc adimpleri debet ante abſolutionem. Reus contrà edictum Sancti Officii, poſt trigintâ dies, nequit abſolvi, niſi ſatisfaciat actu denunciando. Abſolvendus in articulo mortis debet ſatisfacere per juramentum de ſtando mandatis Eccleſiæ, & ſatisfaciendo parti læſæ, teneturque convaleſcens quàm primùm exequi jurata, ſub pœnâ incidendi in novam excommunicationem, niſi obediat. Hæ Penitentiæ, ſunt imponendæ juxtà præſcriptum Superioris, & Canonum, ſeù conſtitutionum Apoſtolica-

rum

rum ; quarum propterea curabit Confeſſor habere perfectam notitiam. Ex Tridentino ſeſs. 24. c. 8. de ref. publicè peccantibus injungenda eſt publica pœnitentia, & ſolus Epiſcopus eam poteſt commutare in ſecretam.

11. D. Confeſſor debet ne imponere pœnitentias ſecundum Canones pœnitentiales antiquos?

M. Eccleſia in Concilio Tridentino collecta multùm deſideravit, ut redderetur priſtinus fervor veterum pœnitentiarum, quà proptèr pleni ſpiritu Matris, filii obedientes, Parochi, Concionatores, & Confeſſores, quilibet in exercendo ſuo officio, curabunt inflammare populum ad illum fervorem; ſicuti tamen Eccleſia neminem obligat, ita nec ipſi obligent, ſed oſtendant, quantum ædificationis oriretur in populo, ſi peccator, præſertìm publicus, ultrò ſuſciperet prædictas pœnitentias, quarum ritus extat in Pontificali Romano p. 2. Et verò Catechiſmus c. 6. n. 12. commendat, ut Confeſſor indicet pœnitenti qualitatem pœnitentiæ olim per Canones taxatam; Canoneſque ideò S. Carolus collegit diſtinctè per præcepta Decalogi, quæ violamus. In *Inſtructione pro ordinandis* c. 38. ex eodem Sancto adduxi Canones pœnitentiales pro Eccleſiaſticis peccantibus. Vide illas c. 38. tamen conſiderâ plures ex illis pœnitentiis fuiſſe diminutas, vel auctas noſtris temporibus, & poſſe plus prodeſſe, ſi Confeſſor ſciat, quæ nùnc vigeant, quam, quæ olim viguerint, & jàm obſoleverunt. Igitur contrà pri-

mum Decalogi præceptum eſt primò hæreſis, cujus pœnæ ſunt excommunicatio in Bullà Cœnæ, & aliæ imponendæ per Inquiſitores, quæ paſſim legi poſſunt apud varios: ſecundò ſunt diverſa ſuperſtitionum genera; Pœnas etiam imponunt Inquiſitores, & Confeſſarii eſt ſcientes hujuſmodi peccata obligare ad revelationem juxtà edictum S.Officii, ut poſſint ſubjici prædictis pœnis. Contrà ſecundum præceptum eſt primò blaſphemia, cujus peccati pœnitentiam habes in Bullâ *Sixti V.*, perjurium, quod, præter alias, incurrit pœnam infamiæ. Violatio voti, quæ punitur juxtà varias Conſtitutiones Religionum. *Simonia*, cujus pœnam ſingularem habes in *Inſtructione pro ordinandis* c. 40. n. 40. Circà tertium violantes feſta, & jejunia, variè puniuntur, juxtà varias determinationes cujuslibet Eccleſiæ. Circà quartum indicanda maximè erit peccanti contrà conſanguineos, & ſuperiores, pœna celerioris mortis ab ipſo Deo comminata, ultrà alias pœnas ab Eccleſiâ ſtatutas, præſertim excommunicationis in Bullâ Cœnæ, per ſchiſma recuſantibus obedire Sanctæ Matri Eccleſiæ. Violans quintum per irregularitatem ita punitur, quod in totà vità non poſſit ampliùs communicare, niſi communione laicà. Ulteriùs punitur excommunicatione occidens Clericum, vel procurans abortum animatum: Et aliqui etiam in Bullà Cœnæ. Sexto præcepto opponuntur plura vitia graviora, & minùs gravia. Concubinarii, & Adulteri pœnas renovavit

Tri-

Tridentinum ſeſs. 24 c. 8. Augenturque, ſi peccatum hoc ſit ſacrilegium, &c. In Bullâ Cœnæ adſunt plures Canones contrà violantes ſeptimum præceptum aliquibus gravioribus peccatis. Circà octavum prohibens injurias verborum, erit maximè ponderanda pœnitentia reſtitutionis famæ, major ſanè, quàm reſtitutio rerum: hæc enim fieri poteſt in occulto; at qui injuriavit, idem tenetur ſe retractare, etiam cum juramento affirmans ſe fuiſſe calumniatorem, &c. Contrà nonum, & decimum oſtendet peccata, quanquam in animo commiſſa, apud Deum conſtituere reos, ac ſi verè commiſiſſent furta, adulteria, &c. Ut inculcet gravitatem criminis, inducatque reum ad pœnitentiam ſalutarem, Confeſſor addat ſi placet, pœnas multò graviores, etiam mortis, inflictas in foro civili crimini particulari, cujus pœnitens ſe accuſat. Ita ex magnitudine veterum novarumque pœnitentiarum Canonicarum, nec non civilium; ex magnitudine pœnarum alterius vitæ, ſed principalitèr ex deſiderio ſatisfaciendi Deo, perficiet, quntùm poterit, amorem, & dolorem initialem pœnitentis, ut ſibi deſideret augeri pœnitentias, quas imponet non juxtà deſiderium, ſed ſecundum, quod *ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit* ergà infirmos procedens, ut Rituale præſcribit c. 7. n. 22.

12. D. Poſſumus ne ſatisfacere Deo alitèr, quàm per hujuſmodi pœnitentias.

M. Præparans ſe ad confeſſiones notabit ex ma-

lignitate noſtrorum temporum oriri, quod communitèr non poſſint imponi antiquæ pœnitentiæ; quamvis Confeſſor oſtendat neceſſitatem ſatisfaciendi Deo, rigorem veterum Canonum, gravitatem pœnarum Purgatorii &c., nemo tamen reperitur, qui ſe ſubjiciat. Ne igitur alienentur à ſacramento, juvabit illos ſuadens recipere Indulgentias, circà quas optimum erit legere ſtabilita per Tridentinum ſeſs. 25. & per S. Thomam ſuppl. q. 25. 26. & 27. Porrò circà illas Confeſſor ſciat, quod bona morientis in Republicâ ſine hæredibus applicantur ærario publico, ex quo Princeps, ut adminiſtrator, cum causâ, poteſt illa educere in ſubſidium reliquorum ſubditorum; & ita in Eccleſiâ, ſatisfactiones Chriſti, B. Virginis, & Sanctorum, quæ ſuperabundarunt ipſis, reponuntur in theſauro Eccleſiæ, Summuſque Pontifex, vel Epiſcopi, ſecundum quod illis eſt conceſſum, poſſunt applicare cum causâ ſatisfactiones illas aliis Chriſtianis; & hæ ſunt Indulgentiæ, quę valent ad remittendas pœnas in Purgatorio debitas pro peccatis anteà deletis quoad maculam: quare Indulgentiam, etiam Plenariam, vel Jubilæum, nemo acquirit, niſi de illis peccatis, quæ Chriſtianus per dolorem ante delevit, quoad maculam, & quia ſolum eſt Sanctorum, ita de omnibus venialibus dolere, ut deleant omnem maculam, ita ſolùm eſt Sanctorum acquirere Indulgentiam omnium peccatorum plenariam, ſed acquirent de illis, quorum maculam delent, dummodò

modò obſervent præſcripta à concedente Indulgentias; quare Confeſſor à pœnitente interrogatus de modo acquirendi Indulgentiam, excitabit primò ad maximum dolorem de peccatis; ſecundò conſiderabit attentè formulam Indulgentiæ, curabitque ad ungnem ſervari conditiones ibi præſcriptas, etiamſi variè illam explicent Doctores, quia Indulgentia prodeſt juxtà intentionem concedentis explicatam in verbis, ut ſonant, non interpretatam juxtà mentem unius, vel alterius Doctoris.

13. D. Quæ differentia eſt intèr Indulgentiam ad tempus, Indulgentiã plenariam, & Jubilæum.

M. In Indulgentiâ ſeptem annorum, v.g. de theſauro Eccleſiæ nobis applicatur ſatisfactio, quæ poſſit tollere pœnam Purgatorii, quæ tollebatur per pœnitentiam, ſecundum Canones antiquos, continuatam annis ſeptem; & ita differendum de reliquis. Indulgentiâ plenariâ tollit omnem pœnam in Purgatorio debitam pro peccatis, de quibus dolemus juxtà formulam: Jubilæum, circà remiſſionem pœnæ nihil differt ab Indulgentiâ plenariâ, ſed ſolum addit poſſe nos abſolvi à peccatis, & cenſuris reſervatis, commutari vota &c. juxtà formam Jubilæi.

14. D. Circà partes ſacramenti Pœnitentiæ materiales, adſunt ne aliquæ propoſitiones damnatæ à Romanis Pontificibus?

M. Circà materiam remotam hujus ſacramenti Alexander VII. damnavit 11. Circà materiæ proximę

ximæ primam partem, nempè dolorem, Innocentius XI. damnavit 57. Circà ſecundam, nempè, Confeſſionem, Alexander VII. damnavit 14. & Innocentius XI. 59. Conſideranda eſt etiam 56. Circà tertiam, nempè, ſatisfactionem adeſt 15. Alexandri VII. Circà ſigillum duas damnavit Sancta Inquiſitio Romana de anno 1682. Etiam 64. & 65. Innocentii XI. reſpiciunt diſpoſitionem neceſſariam pro hoc ſacramento. Et quoad Indulgentias, prout ſpectant ad ſatisfactionem, vide 37. Alexandri VII.

CAPUT XIV.

De Formâ Sacramenti Pœnitentiæ.

1. PRęparans ſe ad confeſſiones, ſufficientèr, quantum opus eſt Confeſſori ordinario, inſtructus de partibus materialibus hujus ſacramenti in genere, curabit eodem modo inſtrui circà formam, nempè, verba abſolutionis. Totum ſcientificè diſcet ex S. Thomà 3. p. q. 84. a. 3. & quoad praxim ex Rituali, ex quo habebit, quæ ſint eſſentialia, quæ addita ex conſuetudine laudabili Eccleſiæ, quando hæc poſſint omitti, quando addenda ſit abſolutio ab excommunicatione &c. Nullam hæc difficultatem patiuntur, ſed indigent ſolùm Sacerdote prudenti, ac reſpiciente Eccleſiæ ritus, eo pietatis oculo, quo filius reſpicit ritus à matre ſtabilitos, matrique dictatos

à Spi-

à Spiritu Sancto: nàm ita fiet, ut ad unguem observet omnia, & quidem juxtà spiritum matris nos obligantis, modò sub mortali, modò sub veniali.

2. D. Potest nè Sacerdos addere, vel tollere verba ad formam absolutionis ab Ecclesiâ præscriptam?

M. Super istà quæstione generali ad omnia sacramenta, vide S. Thomam 3. p. q. 60. a. 8., & de sacramento Pœnitentiæ in speciali q. 84. a. 3. Tridentinum sess. 4. cap. 3. etenim invalidum erit sacramentum, si essentialia mutentur, ita quod non significent, quod habent causare. Tridentinum declarat hæc pertinère ad essentiam, *Ego te absolvo*, &c. Disputant aliqui an per ly *&c.* tanquàm essentialia velit sequentia, *à peccatis tuis*. Quia dubium est fundatum, quoad praxim tu ne tere tempus, sed adhibè semper illa verba, uti teneris juxtà primam propositionem ab Innocentio XI. prohibitam; Cætera verba non sunt essentialia, Vide *Instructionem pro ordinandis* cap. 40. n. 9. sed tamen juxtà præscriptum Ritualis proferantur clarè, ac distinctè, ut sententiæ verba, etiam non essentialia, solet proferre Judex. Qui syncopant in illis, id faciunt cum gravi scandalo fidelium (ut etiam Ecclesiastici, præsertìm in choro psallentes divinum officium.) Vide dicta cap. 7. num. 30.

3. D. Potest ne Sacerdos addere conditionem in proferendo formam sacramenti?

M. Paulò fusiùs est tractandus hic punctus, ob fun-

fundamentum, quod præparanti ſe ad confeſſiones debebit ſervire tanquam univerſale principium decidendis caſibus infinitis, ubi benè penetretur. Aliquid circà conditiones dictum eſt in *Inſtructione pro ordinandis* c. 40 n. 22. Si ponatur conditio de futuro, nullum ſacramentum eſt validum, eſto deinde conditio verificetur, eſto cras reſtituat, non valet ſacramentum, ubi dicerem, *ſi cras reſtitues, ego te abſolvo*: nec enim poteſt ſuſpendi effectus ſacramenti, ſed ſtatim vel operatur totum, vel nunquam. Conditio de præſenti, vel de præterito non invalidat, ſed peccaret ſacerdos illam apponens ad libitum, & abſque convenienti neceſſitate: nec enim debet variare ritum ab Eccleſiâ determinatum, ſed ubi extat neceſſitas, apponitur licitè. Ut autem videamus, quæ ſit iſta neceſſitas, ſtabiliendum eſt illud principium univerſaliſſimum: *De duobus malis minus eſt eligendum.* Hoc principium valet tantum in malis phyſicis, non in peccatis. Valet enim, quando eſt neceſſitas eligendi alterutrum, & peccatum eligere non neceſſitamur. S. Thomas 2.2. q. 43. a. 7. ad 5. nec enim peccamus eligendo, quod eligimus neceſſariò. Contingit tamen aliquid eſſe peccatum ſub unà circumſtantiâ, quod non eſt tale ſub aliâ; ſic occidere hominem de ſe eſt peccatum; quod non eſt tale, ſi conſideretur homo, ut noxius Reipublicæ, & occidatur ab habente poteſtatem publicam. Similitèr variare ritum formæ ſacramenti de ſe eſt peccatum, ſed non eſt tale, ſi apponatur

in

in circumstantià, quod sit necessitas apponendi. Confessor non excuset eum, qui de duobus peccatis eligit minus, quia principium illud non habet locum in malis moralibus. Tamen si ego sim paratus furari, vel occidere Paulum, Petrus videns me nolle ab utroque cessare, potest consulere minus: quia in tali casu non cooperatur, nèc influit in furtum, ad quod sum paratus, sed influit solùm, ut non occidam; non tamen Paulus poterit consulere mendacium leve in tali casu (esto sit minùs malum) quia non sum paratus ad hoc, & per consequens consulendo influeret, quare tene hanc regulam: Non pecco, si consulo minùs malum, ad quod socius jàm est patatus: pecco, si consulò minus peccatum, ad quod non est paratus. In praxi tamen conare, ut avertas quodlibet etiam minimum peccatum, quià difficile est ita te custodire, ut nullatenùs, ita consulendo, velis tale peccatum. Secundò etiam circà mala physica, principium illud valet tantùm, quando extat vera necessitas: Injustè v. g. Hæbræus me invadit ad mortem; ego è contrà, scio, quantùm sciri potest, me esse in gratià: Non possum vivere, nisi talitèr me defendam, quod indè sequatur Hæbræi occisio: Imminent duo mala: mors mea temporalis ex unâ parte: ex aliâ mors temporalis, & æterna Hæbrei: Hoc secundum est malum physicum multò majus primo: nec tamen teneor ad evitandum hoc secundùm, incurrere primum, quia non est necessitas alterutrum eligendi, sed

Hæ-

Hæbræus voluntariè se constituit in tali periculo. E contrà idem Hæbræus habens infantem moribundum, mihi minatur mortem, si baptizem: extat necessitas eligendi mortem mei, vel damnationem æternam infantis; debeo eligere illud, ut minus malum: non ita, si moribundus esset adultus (& aliàs ex officio non teneor baptizare) quia adultus non est in necessitate, sed potest sibi providere per baptismum flaminis.

4. Descendendo ex hoc principio ad conditiones de præterito, vel de præsenti apponendas in sacramentis, tria mala physica veniunt considerandа: primum est variare ritum ab Ecclesiâ determinatum; secundum exponere sacramentum periculo nullitatis: tertium exponere animam periculo damnationis: primum est minimum: secundum est majus primo, minùs tertio: tertium est maximum; quia semper finis prævalet mediis. In necessitate Confessor providebit majori malo, apponetque conditionem, ne sequatur vel periculum damnationis, vel periculum nullitatis; extrà necessitatem peccabit apponens conditionem. Hìnc decide casus plurimos: v. g. Petrus confitens exponit peccatum dubium (quod est quidèm materia necessaria, sed non sufficiens) absque ullo certo; suade illum, ut apponat certum. Et si non possit id obtineri, potes absolvere sub conditione, quia tollere peccatum est finis, ad quem sacramenta sunt instituta, ut media; & sic differendum de reliquis.

5. D.

5. D. Stabilita præcedentibus numeris multùm mihi proderunt excepturo confeſſiones ſuo tempore. Quia ſtatuitur finem eſſe majus bonum mediis, agnoſco inde gravitatem peccatorum: quæ ſunt in Deum, de ſe, & cæteris paribus erunt graviora peccatis in proximum, quia proximus eſt medium, & Deus eſt finis: Peccatum directè tendens in vitam ſpiritualem proximi, de ſe gravius erit peccato tendente in vitam corporalem, quia hæc eſt medium reſpectu illius. Ita peccans cum fæminâ, eo fine directè, ut hæc Dei gratiam perdat, gravius peccat, quàm ſolùm tollens vitam corporalem per homicidium: ſecùs, ſi tantùm intenderet delectationem peccando cum fœminâ, (ut ſemper contingit: nec enim quis eſt adeò pravus, ut directè intendat in ſocio amiſſionem gratiæ) nàm in tali caſu homicidium, tollens vitam, eſt gravius fornicatione ſolùm tollente meliùs, & ordinatiùs eſſe vitæ. Intelligo furtum eſſe minus peccatum detractione; quia bona exteriora ſunt medium ad famam. Intelligo furtum, & detractionem eſſe minus peccatum homicidio: nam vita hominis conſervatur per bona exteriora, & per famam, ut per media. Intelligo juſtiſſimè damnatas opiniones aſſerentium homicidia poſſe eligi ad conſervanda bona, vel famam, quia eligebant majus malum, ſcilicèt, jacturam vitæ ad fugiendum minus. Ad dirigendas conſcientias, ex hoc principio addiſco plurima, quæ ſi eſſent addiſcenda particularitèr, deberem evolvere libros innumeros,

meros, & confunderer in eorum lectione ob varias Doctorum opiniones; è contrà ſtabilito tali principio, ſufficit in particulari cognoſcere, quod hìc, & nùnc ſit malum majus, quod minus; & id etiam facilè cognoſcitur ex illà regulà, quod finis prævalet mediis; quare peto, ut quàm plura mihi dentur hujuſmodi principia univerſalia; magis enim, & breviori tempore proficiam. Interim quæro, an in caſu aliqno poſſim ſimulare me abſolvere, v. g. magnus vir nequit abſolvi; quia perſeverans in occaſione proximà; ſed ſi virilitèr reiiciatur, ſtatìm me dimittet, electurus Confeſſorem alterius communitatis, qui abſolvet illum etiam indiſpoſitum, cum graviſſimo detrimento meæ. Igitur ne patiar hoc grave damnum, & ne alium Confeſſorem exponam periculo ſacrilegiorum in abſolvendo indiſpoſitum, videor mihi poſſe in tali caſu ſimulare abſolutionem?

M. Contingit aliquotiès pœnitentem, utpotè indiſpoſitum, non poſſe abſolvi, nihilominùs ille, ut conſulat ſuæ famæ, petit ſaltèm benedici, & benedicendus eſt; tùnc enim nihil agitur ſimulatè reſpectu Pœnitentis, cum quo res habetur; & propterea, reſpectu illius, ſignum, quod aſſumitur, non trahitur ad ſignificandum aliud ab eo, ad quod aſſumitur; & ſi circumſtantes putent illum verè abſolvi, non propterea dicitur ſimulari abſolutio, quia cum illis res non agitur. Simulare cum ipſo pœnitente adminiſtrationem ſacramenti, non licet, neque ubi urgeat metus gravis

ex

ex propositione 29. Innocentii XI.; & multò minus ex metu perdendi Pœnitentem. Nec dicendum est, quod ab aliis absolvetur: hoc enim est judicium temerarium, quia nemo est ita immemor suæ salutis, ut velit committere tàm grande sacrilegium, sed si alii tantùm auderent, in die ultimà *Unusquisque* Gal. 6. *suum onus portabit*, non aliorum.

6. D. Circà formam hujus sacramenti extat ne aliqua propositio damnata per Romanos Pontifices?

M. Vide 29. ab Innocentio XI. damnatam, quę ut potè universalis ad omnia sacramenta, hoc etiam includit.

CAPUT XV.

Adducuntur Canones antiqui Pœnitentiales.

AUdisti ex Cathechismo c. 6. n. 12. convenire multùm, quod Confessor indicat pœnitenti, quam Pœnitentiam præscripserunt antiqui Canones alicui peccato. Idem præcipit S. Carolus, imò in examine Confessorum, ut dicetur p. 2. c. 64. n. 37. vult de approbando ad confessiones experimentum sumi.

An rectè Canones Pœnitentiales teneat.

illos ad hoc Sanctus ipse collegit; & ideò hìc illos inserendos credidi, postquam de formâ sacramenti actum est, ut illos respiciat Confessor in imponendà pœnitentiâ.

CANONES POENITENTIALES,

Quorum cognitio Parochis, Confeſſoribuſque neceſſaria eſt, diſpoſiti pro ratione ordineque Decalogi.

PATRES docuerunt, quàm neceſſaria admodum ſit Sacerdotibus, qui in audiendis pœnitentium Confeſſionibus verſantur, Canonum pœnitentialium ſcientia. Etenim ſi omnia quæ ad pœnitendi modum pertinent, non prudentiâ ſolum, ac pietate, ſed juſtitiâ etiàm metienda ſunt: certè norma hæc è Canonibus pœnitentialibus ſumatur, oportet. Sunt namque ii quaſi regulæ quædam, quibus cùm ad culpæ commiſſæ gravitatem rectè dignoſcendam; tùm ad imponendam pro illius ratione veram pœnitentiam, Sacerdotes Confeſſarii ità diriguntur, ut ubi ſingula, & quæ ad peccati magnitudinem, & quæ ad pœnitentis ſtatum, conditionem, ætatem, intimumque cordis contriti dolorem pertinent, accuratè perpenderint; tùm demùm pœnitentiam, judicio, ac prudentiâ ſuâ moderentur. Atque hæc quidem, omniſque alia, quæ multiplex eſt, hujus neceſſariæ cognitionis ratio à Patribus explicata, facit, ut quemadmodùm loco ſuo ſuprà dictum eſt, Canones pœnitentiales pro Decalogi ratione diſpoſiti, in hanc libri partem referantur, unde aliqua eorum notitia ab ipſis Confeſſariis Sacerdotibus ſumi poſſit.

PRÆ-

PRÆCEPTUM PRIMUM.

Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.

CANONES POENITENTIÆ,

Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.

QUi à fide Catholicà desciscens, intimo summoque prævaricationis suæ dolore affectus ad Ecclesiam redierit, pœnitentiam aget annis decem.

Quo temporis spatio decurso, ei communio præstari debet.

Qui dæmoni immolaverit; in pœnitentiâ erit annis item decem.

Qui more gentilium elementa coluerit; qui vel segetibus faciendis, vel ædibus exstruendis, vel arboribus conserendis, vel nuptiis contrahendis, inanem signorum fallaciam observaverit: pœnitentiam aget annos duos feriis legitimis.

Qui ritu paganorum observarit calendas Januarii, in pœnitentiâ erit annos item duos per legitimas ferias.

Qui festa gentilium celebrarit; pœnitentiam aget itidem annos duos legitimis feriis.

Qui feriam quintam in honorem Jovis honoraverit; pœnitens pane, & aquâ victitabit dies quadragintâ.

Qui conviviis gentilium, & eſcis immolatitiis uſus erit; publicam pœnitentiam aget.

Qui comederit de idolothito, pœnitens victitabit pane, & aquà dies trigintà.

Qui cum Judæo cibum ſumpſerit, pœnitens erit, dies decem pane, & aquà victitans.

Qui auguriis, & divinationibus ſervierit, quivè incantationes diabolicas fecerit; pœnitens erit annos ſeptem.

Mulier incantatrix pœnitentiam aget annum: vel, ut alio canone cavetur, annos ſeptem.

Qui herbas medicinales cum incantationibus collegerit, pœnitentiam aget dies viginti.

Qui magos conſuluerit; quivè domum ſuam induxerit aliquid, arte magicà exquirendi causà; in pœnitentià erit annos quinque.

Qui ædes Magicis cantionibus luſtrat, aliud vè-tale admittit; & qui ei conſentit, quivè conſulit; in pœnitentià erit annos quinque.

Qui tempeſtatum immiſſor erit: pœnitentiam aget annos ſeptem, tres in pane, & aquà.

Qui verò crediderit, particepſvè fuerit; annum unum per legitimas ferias.

Si quis ad faſcinum præcantaverit; pœnitentiam aget quadrageſimas tres in pane, & aquà.

Si quis ligaturas, aut faſcinationes fecerit: pœnitens erit annos duos per legitimas ferias.

Si quis ſortilegus erit; pœnitentiam aget dies quadragintà.

Si quis in codicibus, aut in tabulis ſorte ductà

res

res futuras requisierit; pœnitens erit dies quadragintà.

Respiciens furta in astrolabio; annis duobus.

Si quis aliquid comederit, aut biberit, aut super se portarit ad evertendum judicium Dei; pœnitentiam aget ut Magus.

Si quis Clericus, vel Monachus, postquam Deo voverit, ad Sæculum redierit; pœnitentiam aget annos decem, quorum tres in pane, & aquà.

PRÆCEPTUM II.

Non assumes nomen Dei tui in vanum.

CANONES POENITENTIÆ.

Si quis contrà hoc præceptum aliquo modo peccarit.

QUicumque sciens pejeraverit; quadragintà dies in pane, & aquà, & septem sequentes annos pœniteat, & nunquam sit sinè pœnitentià, & nunquam in testimonium recipiatut; & post hæc communionem percipiat.

Si quis sciens pejerat in manu Episcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi, vel in cruce consecratà, altarivè; pœnitentiam aget annos tres: in cruce non consecratà annum unum.

Qui perjurium in Ecclesià fecerit: pœnitentiam aget annos decem.

Qui seiens pejerat Domini impulsu; pœnitens erit quadragesimas tres, & ferias legitimas. Do-

minus autem, quia præcipit; quadragintà dies in pane, & aquà, & ſeptem ſequentes annos.

Si quis ſciens pejeraverit, alioſque in perjurium induxerit, pœnitens erit dies quadragintà in pane, & aquà, & ſeptem ſequentes annos: & tot perjuria jejunabit, quot homines in perjurium induxerit.

Si quis ſuſpicatus ſe ad perjurium induci, ex conſenſu jurat: pœnitentiam aget dies quadragintà, & ſeptem annos ſequentes, & nunquam ſinè gravi pœnitentiâ erit.

Si quis per cupiditatem perjurium fecerit, carinam in pane, & aquà jejunet, & quandiù vivit omnes ſextas ferias: item.

Si quis per cupiditatem pejeraverit, omnes res ſuas vendet, & pauperibus diſtribuet; Monaſterium ingreſſus jugi ſe pœnitentiâ ſubdet.

Si quis coactus, neceſſitateque aliquâ impulſus perjurium commiſerit, in pœnitentiâ erit quadrageſimis tribus: item.

Si quis coactus pejeraverit; pœnitens quadragintà diebus, pane, & aquà victitet, ac prætereà omnibus ſextis feriis.

Si quis ſeductus ignorans, & poſteà cognoſcit, pœnitentiam aget annum unum, vel quadrageſimas tres, vel dies quadragintà.

Qui compellit alium, ut falſum juret, quadragintà dies in pane, & aquà, & ſeptem annos in pœnitentiâ erit.

Si quis jusjurandum, quo ſe Regi, & Domino

ſuo

ſuo ſe adſtrinxerit, violaverit: in Monaſterio pœnitentiam aget omnibus diebus vitæ.

Si quis ſe jure jurando obſtrinxerit, ut cum aliquo litiget, nec pacem cum eo reconciliet: pœnitentiam aget dies quadragintà in pane, & aquà, per annum à Sacrà Communione ſegregatus, ad charitatem verò celeriter redeat.

Si quis per Capillum Dei, aut per caput ejus juraverit: ſi ſemel neſciens fecerit, pœnitens aquà, & pane ſeptem dies victitet: ſi ſecundò, ac tertiò monitus, idem fecerit, dies quindecim.

Si per Cœlum, aut per aliam aliquam creaturam, dies item quindecim.

Si quis blaſphemat, tandiù pœnitens erit, quamdiù impœnitens permanſit.

Si quis Deum, vel Beatam Mariam Virginem, vel aliquem Sanctum publicè blaſphemaverit: prò foribus, Eccleſiæ diebus Dominicis ſeptem, in manifeſto, dum Miſſarum ſolemnia aguntur, ſtet; ultimoque ex illis die, ſine pallio, & calceamentis, ligatus corrigià circà collum: ſeptemque præcedentibus feriis ſextis in pane, & aquà jejunet, Eccleſiam nullo modo tunc ingreſſurus; ſingulis item ſeptem illis diebus Dominicis, tres, aut duos, aut unum pauperem paſcat, ſi poteſt, alioquin aliâ pœnitentiâ afficiatur: recuſans, Eccleſiæ ingreſſu interdicatur; in obitu, Eccleſiaſticâ Sepulturâ careat. Dives à magiſtratu mulctetur pœnâ ſolidorum quadragintà, alioqui trigintà, ſeù viginti.

De hoc deteſtabili peccato extat ſanctio Leonis X. Pontificis, in Concilio Lateranenſi, Seſſione nona.

PRÆCEPTUM III.

Sabbata Sanctifices.

CANONES POENITENTIÆ.

Si quis contrâ hoc præceptum aliquo modo peccarit.

QUi opus aliquod ſervile, die Dominico, feſtovè fecerit; pœnitentiam aget tres dies in pane, & aquà.

Qui die Dominico opus terrenum fecerit, qui navigarit, aut equitarit, dies ſeptem pœnitentiam aget.

Si quis per comtemptum in Dominicà jejunaverit; pœnitens erit hebdomadam unam: ſi iterum, dies viginti; ſi prætereà tertium, dies quadragintà.

Si quis ante Eccleſias, vel die feſto, ſaltationes (quas ballationes vocant) fecerit; emendationem pollicitus, pœnitentiam aget annis ttibus. In græco codice: clericus deponatur, laicus excommunicetur.

Si quis pranſus Miſſæ interfuerit, pœnitens erit dies tres in pane, & aquà.

Si quis Sacram Communionem ſumpſerit poſt aliquam, vel mininam deguſtationem; pœniten-

tentiam aget dies decem in pane, & aquà.

Si quis in Ecclesiâ confabuletur, cùm divina fiunt; pœnitens erit dies decem in pane, & aqua.

Si quis festa Paschę, Pentecostes, Natalis Domini (nisi infirmitate impediente) alio loco celebrarit, quàm ubi domicilium habet, pœnitens erit dies item decem in pane, & aquà.

Si quis jejunia à Sanctâ Ecclesiâ indicta violarit; pœnitentiam aget dies viginti in pane, & aquà.

In Quadragesimà, carne sine inevitabili necessitate vescens; in Paschà non communicet, ac prætereà à carne abstineat.

Qui in quadragesimà jejunium violaverit; pro uno die pœnitentiam aget dies septem.

Si quis jejunium quatuor temporum non custodierit, pœnitens erit dies quadragintà in pane, & aquà.

Qui neglexerit in quatuor his solemnitatibus, die Cœnæ Domini, in Paschà, Pentecoste, & in Natali Domini Sacram Communionem sumere; aget pœnitentiam in pane, & aquà dies viginti.

PRÆ-

PRÆCEPTUM IV.

Habeas in honore Parentes.

CANONES POENITENTIÆ.

Si quis contrà hoc præceptum aliquo modo peccarit.

QUi Parentibus maledixerit: quadragintà dies pœnitens ſit in pane, & aquà.

Qui Parentes injuriâ affecerit, tres annos.

Qui percuſſerit, annos ſeptem.

Qui expulerit; tamdiù pœnitens, quamdiù in impietate permanſerit.

Si quis contrà Epiſcopum Paſtorem, & Patrem ſuum inſurrexerit; uno in loco, Monaſteriovè pœnitentiam aget omnibus diebus vitæ ſuæ: Addit Gtatianus, ut in primis omnia bona ejus præſcriptione publicentur, deinde in uno Monaſterio, &c.

Eâdem pœnitentiâ afficiatur, qui contrà Presbyterum.

Si quis contrà Epiſcopum Paſtorem, & Patrem ſuum conſpiraverit; gradu ſuo amovebitur. Itidem ſi inſidias tetenderit.

Si quis in eo conſpiraverit, ut Epiſcopi doctrinam, vel præcepta irrideat, vel ſubſannet; aget in pane, & aquà pœnitentiam dies quadragintà.

Quâ pœnitentiâ etiam afficiatur, ſi quis ità conſpi-

ſpiraverit, ut ejus miniſtrorum præcepta contemnat.

Si quis item Presbyteri, Parochivè ſui præcepta irriſerit; pœnitens item erit dies quadragintà in pane, & aquà.

PRÆCEPTUM V.

Non occides.

CANONES POENITENTIÆ:

Si quis contrà hoc præceptum aliquo modo peccarit.

QUi Presbyterum occiderit; Pœnitentiam aget annos duodecim: item.

Si quis Sacerdotem voluntariè occiderit; carne, & vino abſtineat cunctis diebus vitæ ſuæ; quotidiè, exceptis feſtis, Dominiciſque diebus, jejunet: non equitet, non arma ferat, non Eccleſiam ingrediatur quinque annis: ſed pro ejus foribus ſtet.

Poſt quinque annos Eccleſiam ingrediatur, licet: nondum verò communicet, ſed inter audientes ſit. Decimi anni curſu confecto, communicet, & equitet, licet.

Qui vel ipſe, vel de ejus conſilio, aliquem Eccleſiaſtici ordinis hominem, aut Pſalmiſtam, aut Oſtiarium, aut Lectorem, aut Exorciſtam, aut Acolythum, aut Subdiaconum, aut Diaconum, aut Presbyterum; per ſingulos ordines ſingulariter

pœ-

pœnitentiam agat: pro Psalmistà carinam unam, nempè, quadragintà dies in pane, & aquà; pro Ostiario itidem: pro Lectore itidem: pro Exorcistà similiter: pro Acolytho similiter: pro Subdiacono similiter: pro Diacono similiter. Quà propter omnis, qui interfecerit voluntariè Presbyterum, ita pœnitere debet, ut octo homicidia commissa, & nunquam debet esse sine pœnitentià.

Si quis Presbyter Presbyterum occiderit, pœnitentiam aget annos viginti octo.

Si quis Presbyterum armis contrà se irruentem occiderit; pœnitens erit annos decem.

Si quis Patrem, aut Matrem, fratrem, aut sororem occiderit; toto vitæ suæ tempore non suscipiat Corpus Domini, nisi in obitu, abstineat à carne, & vino, dum vixerit, jejunet secundà, & quartà, & sextà ferià: item.

Si quis parricidium fecerit, idest, Patrem, aut Matrem, sororem, patruum, amitam, aut materteram occiderit: si casu, neque per iram fecerit; ut homicidii spontè commissi pœnitentiam aget; si spontè, & iratus; pro foribus Ecclesiæ per annum stabit, Deum orans. Anno peracto, in angulo Ecclesiæ per annum item stabit; quibus peractis, si pœnitentiæ fructus in eo conspicietur, Sacræ Communionis particeps fiet. Carne abstinebit totà vità: quotidie jejunabit præter dies festos: à vino, cervisià, mellità, abstinebit dies hebdomadæ tres. Pedibus, quocumque ierit, iter faciet: armis nunquam utetur, nisi contrà Paganos: uxo-

rem

rem si non habet, nunquam ducet: item,

Qui voluntariè genitorem suum, aut genitricem occiderit; extrà patriam septem annis exul fiat; tunc demum usque ad mortem cum fletu, & gemitu pœniteat; si autem nolenti accidit, decem annis pœniteat judicio Sacerdotis.

Qui voluntariè filium suum, vel filiam suam, vel germanum, aut germanam suam occiderit; quinque annis extrà metas ipsius terræ exul fiat: deinceps viginti annis pœniteat. Qui verò voluntariè avum suum, vel aviam suam, vel nepotem suum, vel patruum, avunculum, seù amitam, sivè materteram, aut filium, vel filiam germani sui, aut germanæ, seù consobrinum suum, sivè consobrinam suam occiderit, idest, à tertiâ usque ad septimam: si verò tertia fuerit, duodecim annis inermis pœniteat, si quarta, undecim annis pœniteat: si quinta, decem: si sexta, novem: si septima, octo annis pœniteat, si autem nolens, arbitrio Sacerdotis pœniteat. Qui voluntariè patrem suum, aut matrem, vel filium, aut filiam de sancto lavacro, seù fratrem, sivè sororem in Christo, aut Dominum suum, vel Dominam, seù uxorem suam occiderit; quinque annis extrà metas ipsius terræ exul fiat: tùnc demùm quindecim annis inermis pœniteat. Si verò nolens, septem annis pœniteat. Qui vitricum suum voluntariè occiderit, aut novercam, seù privignum, sivè privignam, vel socerum suum, aut socrum suam, seù generum suum, sivè nurum; decem annis pœniteat;

teat; si verò nolens, quinque annis pœniteat.

Si quis filium non sponte occiderit: ut homicidii sponte commissi pœnitentiâ afficietur.

Quæ mulier filios suos necarit; peractâ septennali pœnitentiâ, in Monasterium detrusa, monasticam vitam perpetuò regulariter aget.

Si quę mulier post partum filium, filiamvè sponte interfecerit; pœnitentiam aget annos duodecim: & nunquam erit sine pœnitentiâ.

Paupercula, si ob difficultatem nutriendi, id commiserit, annos septem.

Si qua Mulier sponte abortum fecerit, pœnitentiam aget tres annos: si nolens quadragesimas tres: item.

Mulier partum suum perdens voluntariè, antè quadragintâ dies, pœnitens erit annum: si verò post quadragintà dies, annos tres, si verò postquam editus est in lucem, tanquam homicida.

Quæ sceleris occultandi causà filium necarit; pœnitentiam aget annos decem.

Qui nolens filium oppresserit: Si post baptismum, pœnitentiam aget dies quadragintà in pane, & aquà, oleribus, ac leguminibus: abstinebit ab uxore dies totidem. Deinde pœnitens erit tres annos per legitimas ferias, tres prætereà quadragesimas in anno observabit. Si antè baptismum, quadragintà dies, ut suprà, & quinquennii prætereà penitentiam explebit.

Cujus parvulus sinè Baptismo per negligentiàm moritur, tres annos pœniteat; unum in pane,

ne, & aquà; infans infirmus,& paganus commendetur Presbytero; si moritur absque baptismo, deponatur, & si per negligentiam parentum fuit, annum unum pœniteat.

Cujus filius sine Confirmationis Sacramento moritur; parentes, quorum negligentià id factum est, pœnitentiam agent annos tres.

Si quis explendę causà libidinis, vel odii meditatione, ut non ex eo soboles nascatur, homini, aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non possit generare, aut concipere; homicida teneatur.

Occidisti uxorem tuam, legitimo matrimonio sociatam, sinè causà mortis; non tibi resistentem, non insidiantem quoquo modo vitæ tuæ; non inveniśti eam cum alio viro, nefariam rem facientem: sed incitatus à diabolo, impio inflammatus furore, latrocinii more, atrocior, & crudelior omni belluà, eam gladio tuo interemisti,& nunc, post mortem ejus,addis iniquitatem,filiorum tuorum improbe prædo: qui matri non pepercisti, & filios tuos ideò orphanos feciśti, ut superinduceres mortis causam post mortem. Et per unum homicidam, & reprobum testem incusare vis mortuam, hoc nec Evangelium, nec ulla divina, humanaque lex concedit, ut unius testimonio, etiam idoneo, aliquis condemnetur, vel justificetur. Quantò magis per istum tam flagitiosum, & sceleśtum, nec illa viva debuit condemnari; nec tu poteris post ejus mortem excusari. Prius causa cri-

criminis ſubtiliter erat inveſtiganda;& tunc,ſi rea fuiſſet inventa, ſecundùm legis tramitem debuit excipere ultionis vindictam; nam ſi verum (quod abſit) fuiſſet, ſicut ille adulter mentitus eſt; poſt ſeptem annos,pœnitentiâ peractâ,dimittere eam per approbatam cauſam poteras, ſi voluiſſes: occidere eam nullatenus debuiſti.

Duo conſilia proponimus tibi, acceptà tecum deliberatione duorum, elige magis quod placeat, & miſerere animæ tuæ: & tu hìc in iſto anguſto tempore poſitus, ne ſis tu ipſe tuimet homicida, & in æternum pereas. Relinque hoc malignum ſæculum, quod te traxit ad tam immaniſſimum peccati facinus; multorum fratrum precibus adjutus, obſervà cuncta ſimplici animo, quæ tibi ab Abbate fuerint imperata,ſi fortè ignoſcat infinita Dei bonitas peccatis tuis: iſtud conſilium, ut certiſſimè ſcias, leviùs, ac ſalubriùs eſt; ut ſub alterius cuſtodià lugeas deflenda peccata. Secundum autem conſilium tale eſt. Arma depone, & cuncta ſæcularia negotia dimitte, carnem, & ſanguinem omnibus diebus vitæ tuæ non comedas, excepto uno die Reſurrectionis Domini. Cæteris temporibus in pane, & aquà, & interdum leguminibus, & oleribus pœniteas. In jejunio, & vigiliis, & orationibus, & eleemoſynis perſeverà omni tempore. Vinum, & medonem, & mellitam, & cerviſiam nunquam bibas; niſi in illis tribus diebus. Uxorem ne ducas, concubinam non habeas, adulterium non facias, abſque conjugio in per-

perpetuò permaneas. Nunquam te in balneo laves, equum non ascendas, causam tuam, & alterius in Conventu fidelium non agas; in conviviis lætantium nunquam sedeas: in Ecclesiâ segregatus ab aliis Christianis, post ostium, humiliter stes; ingredientium, & egredientium orationibus te supplicitèr commendes. Communionis Sacri Corporis, & Sanguinis Domini cunctis diebus vitæ tuæ indignum te existimes; in ultimo termino vitæ tuę, pro viatico (si observaveris consilium) ut accipias, tibi concedimus. Sunt & alia multa duriora, quæ tibi, juxtà pondus tanti facinoris essent adjicienda, sed si hæc omnia, quæ suprà misericorditèr dicta sunt, perfecto corde, Deo auxiliãte, perfeceris, & custodieris; confidimus de immensâ clementiâ Dei, remissionem tuorum peccatorum te habiturum; & secundum boni, justique pastoris imperium resolvat te Sancta Ecclesia ab hoc vinculo peccati in terris, ut per ipsius gratiam, qui eam suo sanguine redemerat, sis solutus in Cœlis. Sin autem alitèr feceris, & Sanctæ Matris Ecclesiæ salubre consilium despexeris; ipse tibi sis judex; in laqueo diaboli, quo irretitus teneris, maneas: sanguisque tuus sit super caput tuum, & sub indissolubili anathemâ permaneas: donec Deo, & Sanctæ Ecclesiæ satisfacias.

Si Mulier Maritum suum causâ fornicationis veneno interfecerit, aut quacunque arte perimere facit, quia Dominum, & Seniorem suum occidit, sæculum relinquat, & in Monasterio pœniteat.

Qui mortem ſibi conſciverit: pro eo nulla in Miſsà commemoratio fiat, neq; cum pſalmis, ejus cadaver ſepeliatur.

Si quis ſpontè hominem occiderit, ad januam Eccleſiæ ſemper erit, & in obitu communionem recipiat: ſi caſu necarit, pœnitentiam aget annos ſeptem, ex alterius canonis præſcripto, annos quinque.

Si quis hominem necare voluerit, neque hoc ſcelus patrare potuerit; ut homicida pœnitentiâ afficietur.

ALIUS CANON
de homicidio voluntario.

Si quis homicidium ſpontè commiſerit, vel odio, vel poſſidendæ hæreditatis causà: primò jejunet in pane, & aquâ; deinde pœnitentiam agat annis ſeptem; primo anno poſt illos quadragintà dies, à vino, caſeo, piſce abſtinebit; in ſecundo, & tertio, ſimilitèr jejunet: tertiam autem, & quintam feriam, ac Sabbatum redimere poteſt. Reliquis quatuor annis jejunabit in ſingulis tres Quadrageſimas; primam ante Paſcha, alteram ante diem feſtum Sancti Joannis Baptiſtæ, tertiam ante Nativitatem Domini.

Si quis fecerit homicidium prò vindictà parentum, ità pœnitentiam aget, ut homicida voluntarius. Itidem pro vindictà fratris.

Qui prò vindictà fratris, annum unum, & in ſe-

sequentibus duobus annis, tres quadragesimas, & legitimas ferias.

Si quis per iram subitam, aut per rixam hominem necarit; pœnitentiam aget annos tres.

Si quis jussu domini homicidium perpetrarit; dies quadragintà in pane, & aquâ, & prætereà septem annos sequẽtes per legitimas ferias jejunabit.

Qui in Bello publico, jussu Principis legitimi, tyrannum interfecerit, pœnitens erit tres Quadragesimas per legitimas ferias.

Qui liber, jubente majore suo, innocentem occiderit, pœnitentiam aget annum unum, & sequentes duos, tres quadragesimas, & legitimas ferias.

Qui homicidii auctor fuit ob consilium, quod dedit, erit in pœnitentiâ quadragintà dies in pane, & aquâ, cum septem sequentibus annis.

Qui insidiatus est alicui, ut ab aljis occidatur, licet ipse non occiderit; pœnitentiam aget quadragintà dies in pane, & aquâ, & septem sequentes annos observabit.

Qui accusarit aliquem, ob eamque accusationẽ occisus est, quadragintà dies in pane, & aquâ cum septem sequentibus annis in pœnitentiâ versari debet. Sin autem ob accusationem debilitatus est; tres quadragesimas pœnitebit per legitimas ferias.

Qui insanus homicidium perpetrarit, leviorem pœnitentiam explebit.

Qui publicè pœnitentem occiderit, tanquam de homicidio spontè commisso duplicem pœnitentiam aget.

Qui furem, aut latronem interfecerit; quadragintâ dies ab Eccleſiæ ingreſſu abſtinebit: & præterea in tertiâ feriâ, & in ſextâ, & in ſabbato jejunabit.

Si quis caſu homicidium fecerit, pœnitens erit quadragintâ dies in pane, & aquâ: his peractis biennio ab oratione fidelium ſegregatus non communicabit, neque offeret. Poſt bienium in Communionem orationis ſuſcipietur: offeret autem, non tamen communicabit. Poſt quinquennium ad plenam communionem recipietur: à cibis abſtinebit, arbitratu Sacerdotis.

Qui hominem tamquam feram aliquam latentem inopinatò occiderit; quadragintà dies pœnitentiam aget in pane, & aquâ, & quinque ſequentes annos, arbitratu Sacerdotis.

Si plures homines unum, per rixam adorti occiderint: quicumque eorum plagam ei inflixerit, tanquam homicida pœnitentiam aget.

Qui homicidio, quod poſtea factum eſt, conſenſerit; pœnitentiam aget annis ſeptem; tres in pane, & aquà; ſin autem voluerit, nec verò potuerit; tres tantùm annos; Si quis nolens homicidium patrarit, pœnitebit quinque annis, & duobus in pane, & aquà.

Si quis aliquem vulneraverit, vel ei aliquod membrum præciderit; pœnitentiam aget anno uno per legitimas ferias; ſique cicatrix gravis eſt, ut vulneratum deformem reddat; quadragintâ etiam dies pœnitebit in pane, & aquâ.

Si

Si quis ictum proximo dederit, nec nocuerit; tridui pœnitentiam aget in pane, & aquâ: Clericus, unius anni, & mensium sex.

Si quis aliquem per iram percutiens debilitaverit; solutâ medicamenti impensâ, si laicus est, pœnitens erit quadragintâ dies in pane, & aquà, si Clericus, duas quadragesimas: si Diaconus: septem mensibus; si Presbyter, uno anno.

Si quis Episcopus homicidium fecerit: in pœnitentiâ sit quindecim annis, dignitatisque gradu amoveatur, vitæque suæ cursum peregrinando conficiat.

Presbyter pœnitens erit annos duodecim: quatuor ex his in pane, & aquà; & Sacerdotii gradu privetur: Diaconus annos decem; tres ex his in pane, & aquà: Clericus inferioris ordinis annos septem; tres in pane, & aquà.

Si quis fratri suo, quem oderit, reconciliari non vult: tamdiù in pane, & aquâ pœnitentiam aget, quoad reconcilietur.

PRÆCEPTUM VI.

Non furaberis.

CANONES POENITENTIÆ.

Si quis contrà hoc præceptum aliquo modo peccarit.

QUi furatus est aliquid de Ecclesiæ supellectili, vel thesauro: quod sustulit, reddet;

& tres carinas cum septem sequentibus annis pœnitebit.

Qui sacras Reliquias furatus est, illis restitutis, septem carinas jejunabit.

Pecuniam Ecclesiasticam furatus, quadruplum reddet; si quid item de ministerio Ecclesiæ aliquo modo surripuerit, pœnitens erit annos septem.

Si quis vel Ecclesiasticas obligationes rapuerit, vel rapientibus consenserit; quadruplum restituat, & canonicè pœnitens erit.

Sacrilegus, rerumvè Ecclesiasticarum invasor, uno anno extrà Ecclesiam Dei maneat; secundo anno prò foribus Ecclesiæ, sine communione maneat; tertio anno in Ecclesiâ inter audientes sit sine oblatione; carneque, vinoque, abstineat, præterquam in Paschà, & die Natali: quarto anno, si fructuosus triennio pœnitentiæ fructus extiterit, communioni fidelium restituatur. Eà lege ut spondeat, se in posterum tale quidquam non commissurum, ac prætereà sinè esu carnis, & potatione vini, usque ad septennium pœnitens permanebit.

Qui Ecclesiam incenderit, illam restituet, pœnitentiamque aget annos quindecim, & in pretium det pauperibus. Itidem qui incendio consenserit.

Si quis malo studio, vel odio, vel ulciscendæ injuriæ causà, incendium commiserit, commitivè jusserit, curaverit, aut incendiario auxilium, vel consilium scientèr dederit; excommunicetur;

si mor-

ſi mortuus erit, Chriſtianâ ſepulturà carebit. Nec verò abſolvetur, niſi damnum pro facultatibus reſarciverit; juretque, ſe in poſterum tale facinus nunquam admiſſurum. Pœnitentia prætereà hęc ei conſtituetur, ut Hieroſolymis, aut in Hiſpaniâ in ſervitio Dei totum annum permaneat.

Si quis ſepulchrum violaverit, pœnitens erit annos ſeptem; è quibus tres in pane, & aquâ.

Qui ſepulchrum infregerit, ut defuncti ſepulti veſtimenta furaretur; pœnitens erit annos duos per legitimas ferias.

Qui de oblationibus, quæ Eccleſiis factæ ſunt, aliquid retinuerit; pœnitens erit dies quadragintà in pane, & aquâ.

Qui decimam ſibi retinuerit, aut dare neglexerit; quadruplum reſtituet, & pœnitentiam aget dies viginti in pane, & aquâ.

Qui hoſpitalis domus adminiſtrator aliquid de adminiſtratione ſubtraxerit, reſtituet, quod abſtulit, pœnitenſque erit annos tres.

Qui pauperem oppreſſerit, ejuſque bona abſtulerit: reddet ei ſuum, & pœnitens erit dies trigintà in pane, & aquâ.

Clericus furtum capitale faciens; ſeptennii pœnitentiam explebit, laicus quinquennii: & quod furatus eſt, reddat.

Si quis per neceſſitatem, cibum, vel veſtem furatus ſit; in pœnitentiâ erit hebdomadas tres; ſi reddiderit, jejunare non cogitur.

Qui fregerit noctu alicujus Domum, aut aliquid

auferet: pretium reddet, & pœnitentiam aget annum in pane,& aquâ; ſi non reddit,annos duos.

Si quis furtum de re minori ſemel, aut bis fecerit; reſtitutâ re, pœnitentiam aget annum unum.

Qui rem inventam non reddit,furtum committit; idcircò tanquam de furto pœnitentiam aget.

Si quis uſuras accipit, rapinam facit, ideòque quicunque illam exegerit, pœnitentiam aget annis tribus, uno,in pane, & aquâ.

PRÆCEPTUM VII.

Non mœchaberis.

CANONES POENITENTIÆ.

Si quis contrà hoc præceptum aliquo modo peccarit.

SI Laicus ſolutus cum fœminâ ſolutâ concubuerit, pœnitens erit annos tres, & quantò ſæpiùs, tantò majori pœnitentiâ afficietur.

Itidem qui cum ancillâ coierit.

Uxor, conſcio viro mœchata, ne in obitu quidem communicabitur: ſi dignam pœnitentiam egerit,poſt decem annos,Sacram Communionem ſumet.

Si quis Uxorem nolentem, adulterium perpetrare coegerit; pœnitentiam aget dies quadragintâ in pane, & aquâ, & ſeptem prætereà annos, è quibus unum in pane item, & aquâ.

Si quis conjugem fornicari conſenſerit; diebus omni-

omnibus vitæ in pœnitentiâ erit arbitrio periti Sacerdotis.

Vir ſolutus, ſi cum alterius uxore adulterium commiſerit: pœnitentiam aget annos ſeptem, mulier quinque.

Mulier ſoluta, cum alterius marito adulterium patrans, pœnitentiâ afficietur decennali: ille quinquennali.

Si quis maritus ſemel lapſus eſt, pœnitentiam aget annos quinque.

Si ſæpius mœchatus eſt, in fine mortis eſt conveniendus: ſique promiſerit ſe ceſſaturum, dabitur ei communio.

Qui ſæpè fornicatur, laicus cum laicâ, pœnitentiam aget tres annos.

Si quis Uxorem ſimul, & Concubinam habuerit, in pœnitentiâ erit annos ſeptem, & ampliùs pro ratione culpæ.

Maritus ſi ancillâ concubinâ utitur, pœnitentiam aget annum unum, quadrageſimas tres, & legitimas ferias tribus menſibus. Illa, ſi invita violatur; quadragintà dies, ſi conſentiens, quadrageſimas tres, & legitimas ferias.

Qui cum Uxore ſuâ turpiter concubuerit, pœnitens erit quadragintà dies.

Si quis adoleſcens cum Virgine peccaverit; pœnitentiam aget annum unum.

Qui puellam, aut mulierem libidinosè obtrectaverit, ſi Clericus eſt, quinque dies, ſi Laicus tres dies pœnitentiam aget; Monachus, vel Sacer-

cerdos, à ministerio suspensus, pœnitens erit dies viginti.

Si quis in balneis cum muliere se lavaverit, pœnitentiam aget triduo.

Qui concupierit Virginem, quam postea uxorem duxerit, pœnitentiam aget annum unum per legitimas ferias: si verò non duxerit, annos duos per legitimas ferias.

Si quis mulierem alii desponsatam in matrimonium duxerit, eam dimittet: & pœnitens erit quadragintà dies in pane, & aquâ, cum septem annis sequentibus.

Vidua, quæ stuprum admiserit, pœnitentiam aget annum totum, & prætereà in altero anno dies jejuniorum.

Si quis cum uxoris suæ sorore per imprudentiam fornicationem admiserit; pœnitentiam sibi indictam aget, si probaverit, se tale scelus inscientèr feciſſe.

Cum duabus sororibus fornicatus, pœnitentiam aget toto suæ vitæ tempore: item.

Qui cum duabus sororibus, vel cum hovercà, vel cum sorore suà, vel cum amitâ, vel cum nuru, vel quod deniquè incestum admiserit, ab ingressu Ecclesiæ abstineat annum unum: quo anno, præter festos dies, pane solùm, & aquà utetur, arma non feret, osculum nemini præbebit, Sacram Communionem, nisi pro viatico, non sumet, sex deinde annis Ecclesiam ingredietur; sed carne, & vino, & sicerà non utetur, nisi festis diebus.

Postea

Posteà verò duobus annis, quando carne vescetur, à potu vini abstinebit: quod si biberit, carne non vescetur, nisi Dominicis diebus, & præcipuis festis: deinde usque ad obitum perpetuò, præter festos dies, à carne abstinebit. Tres legitimas ferias singulis hebdomadis jejunabit, & quadragesimas tres singulis annis legitimè custodiet.

Qui incestum fecerit, ei alii, annorum duodecim, alii, quindecim, alii, decem, alii, septem pœnitentiam constituunt.

Quicumque Sacerdos spiritualem filium violaverit, dignitatis honorem amittet, & perpetuam pœnitentiam aget.

Qui item Sacerdos hoc facinus admiserit, omni muneris sui functione mulctatus, pœnitentiam etiam peregrinando aget annos quindecim: deindè in Monasterium abiens toto vitæ tempore ibi Deo serviet: fœmina autem res suas in eleemosynam pauperibus conferet, in Monasterioque Deo serviet omnibus vitæ suæ diebus.

Si Episcopus hoc admiserit; pœnitentiam aget annos quindecim.

Qui Monialem violarit: pœnitens sit annis decē.

Presbyter, si fornicationem admiserit, sponte confessus, pœnitentiam aget annos decem hoc modo: tribus mensibus à cæteris remotus, pane, & aquâ jejunabit, diebus autem festis modico vino, piscículis, & legumine utetur: sacco indutus humi cubabit, diu, noctuque misericordiam Dei implorans.

De-

Deindè unum annum, & sex mensesin pœnitentiâ, jejunioque panis, & aquæ explebit, præter festos dies, in quibus vino, & sagimine, caseo, oviſque canonicè uti poterit. Finito primo anno, & dimidio, Sacrę Communionis particeps fiet, Psalmos in choro ultimus canet, Officia minora geret. Posteà verò quàm septimum pœnitentiæ annum expleverit, omni quidem tempore, prætèr Paschales dies, singulis hebdomadis per legitimas ferias in pane, & aquâ jejunabit.

Qui cum brutis coierit; pœnitentiâ afficietur annorum decem, & diuturniori etiàm prò personæ conditione.

Qui contrà naturam cojerit; si servus est, scopis castigabitur; & pœnitebit annos duos: si liber est, & matrimonio junctus, annos decem; si solutus, annos septem: pueri dies centum; laicus matrimonio conjunctus si in consuetudine habet, annos quindecim: si Clericus, de gradu amotus, ut laicus pœnitentiam aget: qui cum fratre tale scelus admiserit, ab omni carne abstinebit, pœnitensque erit annos quindecim: si Clericus, diuturniori, & graviori pœnitentiâ afficietur.

Mulier in se, aut cum alterâ fornicans, pœnitentiâ afficietur duorum annorum. Vir se inquinans, primò dies decem; si iterùm dies viginti, si tertiò dies trigintâ: sique nefariè agere perget, pœnitentiæ accessio ei fiet; si puer, dies quadragintâ, si major quindecim annis, dies centum.

Puer parvulus oppressus à majore, hebdoma-

dam

dam jejunabit: si consenserit, dies viginti: si coinquinatus erit, dies centum: si voluntatem suam expleverit, annum unum.

Qui complexu fœminæ, vel osculo polluitur; pœnitentiam aget dies trigintâ: qui contactu inverecundo, menses tres.

Qui concupiscit mente, sed non potuit; dies decem pœnitentiam aget.

Qui turpiloquio, aspectuque polluitur negligens, nec verò peccare voluit, pœnitentiam aget dies viginti: si verò impugnatione tentationis, & cogitationis inquinatur, pœnitebit itèm dies viginti.

Quicumque lenocinium exercuerit, pœnitentiam aget annos duos per legitimas ferias: item.

Qui hoc facinus admiserit, Sacram Communionem non accipiet, nisi in fine.

Si quæ mulier cerussâ, aliovè pigmento se oblinit, ut aliis viris placeat; pœnitentiâ afficietnr annorum trium.

PRÆCEPTUM VIII.

Non falsum Testimonium dices.

CANONES POENITENTIÆ.

Si quis contrà hoc præceptum aliquo modo peccarit.

QUi affirmarit verum, quod falsum est; pœnitentiam aget, ut adulter, ut homicida,

cida, qui spontè id facinus admiserit.

Qui falso testimonio consenserit : pœnitens erit annos quinque.

Qui proximo falsum crimen obiicit, pœnitentiâ afficitur, ut falsus testis.

Qui proximo peccatum imputarit, priusquàm seorsùm eum arguerit; primùm illi satisfaciens, pœnitentiam aget tres dies.

Si quis contrà proximum linguâ lascivus erit, triduanà pœnitentiâ expiabitur.

Si quis murmuraverit, judicio Sacerdotis pœnitentiam aget pro culpæ gravitate.

Si quis convitium manifestum fratri intulerit, diuturnà expiabitur pœnitẽtiâ pro modo peccati.

Si quis facilè detraxerit, falsumque in hoc dixerit, pœnitens erit dies septem, in pane, & aquâ.

Qui falsitatem, fraudemvè in ponderibus, & mensuris admiserit; pœnitens erit in pane, & aquâ dies viginti.

Falsarius, in pane, & aquà pœnitentiam agat, quamdiù vivit.

PRÆCEPTUM IX.

Non concupisces rem Proximi tui.

CANONES POENITENTIÆ.

Si quis contrà hoc præceptum aliquo modo peccarit.

REm alienam nefariè concupiscens, avarusque, pœnitens erit annis tribus.

Qui

Qui aliena furari concupiscit, furtum est; qui itèm aliena rapere cupit, rapina est: qui res Ecclesiæ furari appetit, sacrilegium est: ideò cum nefariè cnncupiscendo gravitèr peccet, ut peccati mortalis pœnitentiam aget, Sacerdotis arbitratu.

Qui rem aliquam proximi pretiosam invenire cupit, ut illam sibi retineat: mortale peccatum concipit, cujus pœnitentiam aget, ut suprà dictum est de furto.

PRÆCEPTUM X.

Non desiderabis Uxorem Proximi tui.

CANONES PŒNITENTIÆ.

Si quis contrà hoc præceptum aliquo modo peccarit.

SI quis concupiscit fornicari: si Episcopus, pœnitens erit annos septem: si Presbyteer, quinque; si Diaconus, vel Monachus, tres, è quibus unum in pane, & aquâ; si Clericus, aut Laicus, annos duos.

Si quis in somnis ex immundo desiderio polluitur; surgat, & cantet septem Psalmos pœnitentiales.

Si Clericus, aut Laicus ex malà cogitatione, concupiscentiàque semen effuderit; pœnitens erit dies septem.

CA-

CANONES POENITENTIÆ de ſeptem peccatis capitalibus.

CApitalia peccata, quæ principalia etiam vocantur, utpotè è quibus omnia vitia principium habent, ſunt, ſuperbia, vanagloria, avaritia, luxuria, ira, gula, & acedia.

Pro capitali, mortalique crimine pœnitentia ſeptem annorum indicitur, niſi peccati gravitas, & perſonæ ſtatus ſeveriorem, diuturnioremque pœnitentiam requirat.

Pro capitali crimine pœnitentiam aget, laicus annos quatuor, Clericus quinque, Subdiaconus ſex, Diaconus ſeptem, Presbyter decem, Epiſcopus duodecim.

Sed demonſtratæ jam paulò ante ſunt pœnitentiæ, quæ ex Canonum diſciplinâ conſtituuntur ferè pro peccatis mortalibus, quæ ex bis ſeptem capitalibus vitiis originem trahunt. Prò gulæ autem vitio ſunt hi præcipui pœnitentiæ Canones.

CANONES POENITENTIÆ de gulâ, & ebrietate.

SAcerdos imprudentèr ebrius factus, pane, & aquâ pœnitentiam agat dies ſeptem: ſi negligentèr, dies quindecim: ſi per contemptum, dies quadragintâ.

Diaconus, & alius Clericus ebrius factus, arbi-

arbitrio Sacerdotis pœnitens erit.

Monachus ebrius, pane, & aquâ mensibus tribus: si Clericus, viginti dies.

Laicus ebriosus gravitèr arguatur, & pœnitentiam agere à Sacerdote cogatur.

Qui humanitatis gratiâ alium inebriare cogit, pœnitentiam aget dies septem; si per contemptum dies trigintà.

Qui ad bibendum invitat plusquàm naturæ satis est, pœnitentiam agat.

Qui præ ebrietate, & crapulà vomitum fecerit, si Presbyter, aut Diaconus, pœnitentiam agat dies quadragintà.

Si Monachus, aut Clericus, dies trigintà.

Si Laicus, dies quindecim.

Si Laicus itèm, à vino, & carne abstineat dies tres.

Si quis gulæ causà, antè horam legitimam jejunium fregerit; duos dies pœnitentiam aget in pane, & aquâ.

Si quis nimio cibo se ingurgitaverit, ut indè dolorem senserit; unum diem pœnitentiam in pane, & aquâ.

CANONES POENITENTIÆ
de variis peccatis.

SI quis Sacerdos Missam canit, neque communicat; per annum pœnitentiam agat, nec verò intereà celebret.

Sacerdos excommunicatus, si celebrat; tribus annis pœnitens sit, hebdomadisque singulis, feriâ secundâ, quartâ, & sextâ, à vino, & carnibus jejunet.

Sacerdos, Sacerdotii sui gradu, ordineque in perpetuum amotus, si celebrare audet, privatur communione Corporis, & Sanguinis Jesu Christi, usque ad ultimum diem, & in excommunicatione est, viaticum tantùm in fine sumens.

Si gutta Sanguinis Christi in terram cadit; Sacerdos in pœnitentiâ sit quinquagintà diebus, si super Altare, & ad pannum unum transit, diebus duobus, si usque ad pannos duos, diebus quatuor, si usque ad tres, diebus novem, si usque ad quatuor, viginti diebus.

Si incautè dimisit; quamvis nil nefandi acciderit; tribus mensibus, à sui muneris administratione amovetur.

Qui per ebrietatem Eucharistiam vomit; si Laicus est, quadragintà diebus; si Clericus, sexagintà, si Episcopus, nonagintà diebus; si Infirmus pœnitentiam agat diebus septem.

Scientèr rebaptizatus, si propter hæresim hoc scelus admittit, pœnitentiâ afficiatur septem annorum, quartâ, & sextâ feriâ jejunans, tribus itèm quadragesimis in pane, & aquâ.

Si verò prò munditiâ hoc facere putarit: eum pœniteat tribus annis, quod si ignorantèr, non peccat: sed ideò non promovendus, licet sit excellens.

Si Episcopus, Presbyter, Diaconusvè spontè

tè est rebaptizatus; quandiu vivit, pœnitens sit; alii verò Clerici, & Monachi, & Moniales, ab hæreticis volentes rebaptizari, pœnitentiam agant duodecim annis.

Sacerdos, qui interest clandestinis desponsationibus, per triennium ab officii sui administratione amovetur.

Sacerdos, qui palliis Altaris mortuum involvit, pœnitens sit decem annis, & quinque mensibus: Diaconus autem annis tribus, & sex mensibus.

Qui Legata Pia Ecclesiæ non soluit, & uno anno pœnitens erit per legitimas ferias.

Qui vir faciem suam transformaverit habitu muliebri, & mulier habitu viri, emẽdationem pollicitus, annis pœnitens sit tribus.

Infirmos, aut vinctos visitare negligens, pœnitentiam aget dies decem, pane, & aquâ victitans.

DECLARATIONES.

CONfessarius, cum ex iis, quæ conscripta sunt, intelligat pro ratione, & temporum, & personarum diversas pœnitentias fuisse, earumque redimendarum certam rationem adhibitam esse: arbitrio tamen suo illis omnibus mitigandis, moderandisque aget, ut initio traditum est.

De pœnitentiâ per legitimas ferias constitutâ; Confessarius animadvertat, eo nomine intelligi feriam secundam, quartam, & sextam, canonum legibus pœnitentiæ, jejunioque præscriptas.

Carinæ jejunium, quod aliquando pœnitentiali canone cavetur, id appellatur, quod per quadragintà dies in pane, & aquâ fiebat, ut sæpè numero Buchardus interprætatur. Carinam alii dicunt, quidam carenam, alii carentenam, alii quadragenam.

Pœnitentia per tres quadragesimas indicta, ità intelligitur, ut cui imponebatur, is in anno pane, & aquâ jejunaret quadragesimas tres: quarum prima est ante diem Natalem Domini; altera antè Pascha Resurrectionis, tertia, quæ scilicèt per dies tredecim ante diem festum Sancti Joannis Baptistæ agebatur, quemadmodum ex Concilii Saleguſtadiensis decreto perspici potest.

CAPUT XVI.

Observationes nonnullæ circà prædictos Canones.

1. RItuale adductum c.7.n.22.præcipit semper pœnitentiam imponi *convenientem, & salutarem, quantum spiritus, & prudentia suggesserit, habità ratione status, conditionis, sexus, ætatis, & dispositionis pœnitentium.* Admonetque Confessorem, *ne pro gravibus peccatis levissimas pœnitentias imponat*, quia connivens peccatis, alienorum criminum particeps efficeretur, ut anteà innuerat Tridentinum sess. 14. c.8. Hæc notavit Rituale pro defectu, qui solet faciliùs contingere, ut Confessores declinent in dandà leviori pœniten-

nitentiâ; non ita facilè contingit, quod excedant in dandâ graviori; Cæterùm dicitur, quod hisce temporibus plures eò tendunt, ut excitent antiquum Pœnitentiæ spiritum. quia hìc adducti sunt veteres Ecclesiæ Canones, putabunt fortè nonnulli eos reducere ad praxim; Id certè laudabilissimum erit; sed tamen, ut cum animarum fructu contingat, non minor prudentia requiritur. Ne igitur Confessor, legens prædictos Canones, existimet omnes pœnitentes ad eorum amussim esse dirigendos, placuit hìc addere sequentes observationes.

2. Primò: ex Rituali adducto, pœnitentiæ injunguntur, ut remedium, seù medicina pro novâ vitâ, & ut castigatio præteritorum criminum. Pœnitentiæ ut medicinales applicandæ sunt ad instar medicinæ corporalis, cujus ex Angelico c. 13. n. 10. tantum sumitur, quantum necesse est restituendæ sanitati; habeturque ratio complexionis, & dispositionis infirmi, gravitatis morbi &c. quare omnia regulabis juxtà ibidem dicta.

3. Secũdò: Ut pœnitentiæ sunt castigatio præteritorũ criminũ, Confessor considerabit Judicem, & Sæcularem, & Ecclesiasticũ habere quidem pœnas à jure taxatas; nihilominùs ut plurimum in taxandâ pœnâ, summum jus est summa injuria, per excessum peccatur contrà justitiam. Vide dicenda ex S. Thomâ suo loco de Injustitiâ per excessum.

4. Tertiò: id totum magis debet habere locum in imponendis pœnitentiis, quæ unicè debent

esse medium ad salutem Animæ; cui quærendæ spiritu Augustini deberet plenus esse Confessor. Hic ep. 144. novæ editionis notat, quod ne ramus aliquis moriatur, facimus arbori vulnus, & ita inserimus ramum excisum; & ita vult, quod ad dandam animæ vitam, permittamus aliquod vulnus rigori Ecclesiastico; Et ita, si benè consideremus, Romana semper processit Ecclesia: Doctrinam, & dogma semper servavit intactum: quoad disciplinam remisit aliquid antiqui rigoris, ubi è contrà Græci zelantiores disciplinæ, ac pœnitentiarum, errarunt multiplicitèr circà doctrinam grandi animarum detrimento.

5. Tertiò Confessor animadvertat prædictorum Canonum pœnitentias, ut plurimum, esse publicas, & esto ex Catechismo 2.p.c.5.n.68. antiqua Ecclesia observaverit, *etiam in occultis criminibus, quæ graviora essent, interdum* indicere pœnitentiam publicam, nùnc tamen, servandum Rituale adductum c.7.n.25. præcipiens, ut Confessores *pro peccatis occultis, quantumvis gravibus, manifestam pœnitentiam non imponant*, quòd maximè cavebunt in filiis familias &c., quibus si jejunia præter ordinem, & sine prudentiâ imponantur, parentes possunt suspicari de aliquo gravi crimine.

6. Quartò audiatur S. Carolus §. 21. suorum monitorum. *Confessor debet scire Canones Pœnitentiales: esto enim moderandi sint arbitrio prudentis, & discreti Confessoris* (quid importent hæc prudentia, & discretio, vide c.8.n.12.) *habito respectu ad contri-*

tio-

tionem Pœnitentis, qualitatem, & diversitatem personarum, aliasque circumstantias, nihilominus juvabit semper respicere ad illos, & illis ut regulis se conformare, ut judicaverit conveniens; & esto non imponat pœnitentiam Canonis, debebit illam sæpiùs indicare Pœnitenti; juxtà Catechismum c.8.n.12. *quò illum excitet ad majorem contritionem, & ad exequendam tantò promptiùs pœnitentiam injunctam, hauriens utilitatem ex Ecclesiæ hodiernâ benignitate, quâ secum utitur in leniendo rigorem pristinum.*

7. D. Ad quid ergo S. Carolus in Confessore adeò zelavit notitiam Canonum Pœnitentialium, si nunquam potest Confessor imponere pœnitentias in illis indictas.

M. Augustinus dicebat præceptum diligendi Deum non posse impleri perfectè in hac vitâ, & propterea quærebant, cur datum sit hoc præceptum, si nequit in hac vitâ impleri: Porrò de perfect. justitiæ rat. 16. respondit. *Cur non præciperetur homini ista perfectio, quamvis eam in hac vitâ nemo habeat? nec enim rectè curritur, si quò currendum est, nesciatur? quomodò autem sciretur, si nullis præceptis ostenderetur.* Iterum tamen pro praxi confer hæc cum iis, quæ ex S. Thomâ sunt dicta cap. 13. à num. 10.

CAPUT XVII.

De Excommunicatione.

1. EX Rituali adducto c. 7. n. 8. Confessarius debet scire casus, & censuras reservatas Apostolicæ Sedi, vel Ordinario, ne ex n. 16. absque speciali facultate audeat ab illis absolvere, & etiamsi excommunicatio non sit reservata, debet scire Confessor, an pœnitens in illam inciderit, quò illum priùs absolvat à censurâ, & deinde à peccato. Tres præcipuè pœnas, ac censuras infligit Ecclesia, nempè, excommunicationem, suspensionem, & interdictum. (Irregularitas, ut dictum est in *Instructione pro ordinandis* c. 19. n. 18. non est censura, sed impedimentum canonicum, à quo non absolvimur, sed dispensamur: vide ibidem dicta c. 40. n. 39.) & forma consueta absolvendi à Rituali præscripta, præponit absolutioni à peccatis absolutionem hujusmodi trium censurarum: *Dominus Noster, Jesus Christus*, &c. *Absolvo te ab omni vinculo* &c. Circà suspensionem, & Interdictum, non est aliquid speciale suggerendum Confessori ordinario. Si casus contingat, poscat tempus ad consulendum libros, & Jurisperitos, qui non desunt.

2. D. Quia Pœnitens absolvendus à peccatis, quando indiget, primùm absolvendus est ab excommunicatione, Confessor ordinarius debet es-

se

se circà illam aliqualitèr instructus; quare peto, quid sit excommunicatio?

M. Ut habeas perfectè rationem excommunicationis, lege S. Thomam supp. à q. 21. ad 25. advertens, quod q. 24. a. 1. paucas nominat excommunicationes reservatas Papæ, quia tùm temporis aliæ non extabant, sed crescente malitià, necesse fuit multiplicare pœnas. In hoc tamen capite agetur tantùm de excommunicatione in genere; nàm de reservatis commodiùs erit agere in sequenti, cum de reservatione. Igitur antequam sciatur, quid sit excommunicatio, danda est illius divisio: alia enim est excommunicatio major, alia minor.

3. D. Quid est excommunicatio minor, & quem effectum facit in homine Christiano?

M. Excommunicatio minor est censura Canonica, per quam homo privatur participatione passivà sacramentorum: quare ita excommunicatus, nec potest administrare, nec recipere sacramenta, & recipiens, vel administrans absque prævià absolutione peccat mortalitèr. S. Thomas q. 23. a. 1. cum commentario Porrectæ. Et quia hæc excommunicatio tantùm privat participatione sacramemtorum, non usu jurisdictionis, ideò Superior ita excommunicatus absolvens subditum ab aliâ excommunicatione, absolvit validè, & sine peccato, sed absolvens à peccatis, absolveret validè, & cum peccato ex parte suâ. Incurritur hæc excommunicatio minor, ex hoc, quod homo,

in

in caſibus, ſibi prohibitis civilitèr cõmunicat cùm excommunicato majori excommunicatione, denunciato nominatìm per cedulones, vel publico percuſſore Clerici, quæ communicatio civilis non eſt peccatum mortale, ſed tantùm veniale. S. Thomas q. 23. a. 3. Hinc notâ, quod contrà praxim antiquam Eccleſiæ, novi quidam Theologi docent, hominem cum ſolis peccatis venialibus, poſſe ſuaderi, ſed non poſſe prohiberi à Confeſſario, vel alio ſuperiore, ut abſtineat à perceptione Euchariſtiæ. Si ab illà prohibetur, qui ſemèl tantùm ſalutat excommunicatum, adeò ut communicans in tali ſtatu, peccet mortalitèr, multò magis poterit prohibere perceptionem Euchariſtiæ Pœnitenti, qui eſt involutus multis venialibus, & nullum fructum recipit in frequentando Euchariſtiam. Videant, quid hi recentiores doceant contrà Eccleſiæ ſenſum, & expreſsè contrà mentem S. Thomæ ibidem ad 3. dicentis: *Qui etiam ſine culpà quandoque ab Euchariſtiâ arctatur, ut patet in ſuſpenſis, vel interdictis, quia tales pœnæ quandoque alicui pro culpâ alteriùs, quæ in eis punitur, inferuntur.* Quæ dicta ſunt in gratiam opinionis multùm figentis pedes inter recentiores. Cæterum, quoad praxim, id eſt relinquendum prudentiæ, ac ſpiritui Directoris, qui ut prudentèr dirigat, priùs legat S. Thomam 3. p. q. 80. a. 10. præſertìm ad 3., nèc ſtabiliantur Regulæ generales, ubi quilibet dirigendus eſt ſecundùm ſuam capacitatem, & diſpoſitionem.

4. D. Quid est excommunicatio major: & quem effectum facit in homine Christiano?

M. Excõmunicatio major ex S. Thomà suppl. q. 21. a. 1., & quodl. 11. a. 9. est censura Canonica privans hominem Christianum participatione sacramentorum (in hoc convenit cum minore) & communione fidelium. Ex hac generalitate Doctores concludunt excommunicatum excommunicatione majori, primò non posse recipere, nec administrare sacramenta (poterit tamen Parochus assistere matrimonio, quia non administrat, sed assistit tanquam testis qualificatus) secundò non potest adsistere missæ, nec officiis divinis (si tamen obligatur ad Horas Canonicas, tenetur illas recitare privatìm, loco, *Dominus vobiscum* dicendo *Domine exaudi orationem meam* &c. ut Subdiaconus: tertiò fit inhabilis ad beneficià; quartò si antecedenter habuit beneficium, pro tempore, quo est excommunicatus, non facit fructus suos. Hos, & similes effectus videndos fusiùs apud Authores, facit etiam nùnc excommunicatio major.

5. D. Audivi, quod habeat alios quinque effectus comprehensos illis versibus.

Si pro delictis anathema quis efficiatur,
Os, orare, vale communio, mensa negatur,

quos etiam peto mihi explicari?

M. Per os intelligitur, quod non licet alloqui excommunicatum: per *orare*; quod non licet applicare pro illo suffragia Ecclesiæ, aut effundere pre-

preces cum illo: per *Vale* intelligitur, quod non licet eum ſalutare: per *Communio* intelligitur, quod non licet cum illo facere contractus: per *Meuſa* intelligitur, quod non licet comedere cum illo; & quidem ante Martinum V. quælibet excommunicatio latę ſententię habebat omnes hos effectus. At in prædicto Concilio Martinus V. conſiderans, illos eſſe nimis oneroſos populo innocenti, & nihil immutans circà effectus excommunicationis pro parte ipſius excommunicati, reſtrinxit pro parte communicantium cum ipſo excommunicato, decrevitque, ut adhùc prædicti quinque effectus vigerent reſpectu excommunicati, qui eſſet publicus Clerici percuſſor, vel qui eſſet nominatim à legitimo Superiore denuntiatus, ut talis. Alitèr excommunicati privantur bonis ſuperiùs prædictis, quatenùs poſſunt prodeſſe ipſis, ſed non quatenùs obeſſent aliis; & ita Parochus, vel Epiſcopus excommunicatus non poteſt licitè uti juriſdictione ſpirituali, quia hoc cederet in bonum ſuum, ſed non privatur valido uſu juriſdictionis (quando non ſit denunciatus, vel publicus Clerici percuſſor) quia hoc cederet in damnum commiſſæ plebis: quare, ut dictum eſt c. 12. n. 9. excommunicatus denunciatus, nec licitè, nec validè abſolvit: non denunciatus illicitè abſolvit, ſed validè, quia hoc nimis cederet in damnum plebis, ſi cogeretur iterare ſacramentum. Et notandum, quod in adminiſtrando ſacramentum pœnitentiæ (idem dic de reliquis) peccant mortaliter

liter tàm peccator, quàm excommunicatus; non tamen sufficit, ut excommunicatus, in confessione accuset se illicitè administrasse sacramenta, sed debet accusare se administrasse ligatum excommunicatione majori: Peccator absolvens peccat solùm contrà jus divinum de administrando rectè sacramenta: excommunicatus autem peccat in hoc, & præterea contrà præceptum Ecclesiæ in eo, quod prohibitus usu jurisdictionis ab Ecclesiâ concessæ sibi, & non suspensæ quoad effectum pro fidelibus, eâ tamen utitur: quare debet in confessione explicare hoc duplex peccatum: quæ omnia debet advertere præparans se ad confessiones.

6. D. Habeo aliquid difficultatis circà secundum effectum enumeratum in illo versu, nempè, orationem: credo enim, quod, sicut possum orare pro infideli, ita possim orare pro excommunicato: quin imò Ecclesia in Parascæve orat pro schismaticis, & Hæreticis, qui sunt excommunicati, pro Judæis, & Paganis.

M. De hoc articulo agit S. Thomas suppl. q. 21. a. 1. ad 1. & 2. cujus doctrina ut faciliùs percipiatur, sciendum, ut dictum est in *Instructione pro ordinandis* c. 8. n. 47. quod in nono Symboli articulo credimus *Communionem Sanctorum*, scilicet, fructum orationum, & bonorum operum communicari inter justos, modo ibi explicato, quæ communicatio fit independenter à quacumque orantis intentione, sicut in corpore physico nutrimentum bo-

bonum, de quo participat unum membrum, participant alia membra, etiamſi homo nihil cogitet de hoc: Membra mortua in corpore phyſico non participant prædictum influxum, ſed tantummodò illum, qui provenit ex intentione ſumentis medicinam, ut proſit tali membro; pro iis verò membris, quæ jam ferro ſunt ſeparata, nullam homo accipit, aut intendit accipere medicinam; & ita peccatores in corpore Eccleſiæ accipiunt illum influxum orationum, quem intendit Eccleſia ſemper orans, non ſolum pro juſtis, ſed etiam *pro omnibus Orthodoxis, atque Catholicæ, & Apoſtolicæ fidei cultoribus*. Pro iis, qui ſunt foris, Eccleſia non orat, niſi in Paraſcæve, & tunc ſolùm petit pro iis, ut fiant membra Eccleſiæ. Sic ergo prohibemur orare pro excommunicatis, quando oramus in perſonâ Eccleſiæ, ut in Miſsâ; in quâ, quia ad *Memento* juxtà Rubricam poteſt orare pro Chriſti fidelibus *ad ſuam voluntatem*; & ità tunc orat ut perſona privata, poterit orare Deum, ut excommunicatis *detur ſpiritus pœnitentiæ, quo ab excommunicatione ſolvantur*. Etiam ad hoc poterit privatà intentione dirigere cætera divina officia; & more periti Medici aget. Hic ubi diverſa membra patiuntur, & poteſt ſubvenire cuilibet, utique ſubvenit. At verò ſi mors imminet, & ex curatione membrorum timere poteſt acceleratione mortis, unicè huic præcavendæ incumbit. Excommunicatus patitur maximum malum in eo, quod eſt præciſus ab Eccleſiâ, & poteſt etiam aliquando

quando pati minora mala, ut paupertatem &c., veruntamen timeri prudentèr potest, quod à paupertate sublevatus, magis in excommunicatione sordescat: quare orandus est unicè Deus, ut illi tribuat spiritum pœnitentiæ.

7. D. Incurrit ne solùm excommunicationem minorem, qui communicat cum excommunicato, in orationibus Ecclesiæ, includens excommunicatum vitandum in illis, quas agit in personâ Ecclesiæ?

M. Si orat tali modo pro excommunicato non vitando, nullam, neque majorem, neque minorem excommunicationem incurrit, quia à tempore Martini V. Ecclesia declaravit, se à suis orationibus non excludere hujusmodi excommunicatos. At si essent vitandi, & excommunicati à Papâ, tùnc Sacerdos ita orans in divinis officiis incurreret majorem excommunicationem, c. *significavit* de sent. exc. ubi statuitur regula generalis, quòd Clericus communicans in divinis cum excommunicato à Papâ, incurrit majorem excommunicationem. Porrò exceptiones, aut limitationes hujus regulæ, præparans se ad confessiones, poterit videre apud Canonistas celebriores, qui commentantur prædictum textum;

8. D. Est ne alius casus, in quo incurratur excommunicatio major ob participationem cum excommunicato?

M. Ex c. *Nuper*, & ex c. *Si concubinæ* de sent. exc. incurrrit excommunicationem majorem, qui

qui cum homine jàm nominatìm excommunicato communicat in eo crimine, propter quod fuit excommunicatus : quare ad praxim, si fœmina fuit nominatìm excommunicata ob fornicationem : qui peccavit cum illà ante publicationem excommunicationis, non incurrit, hanc pœnam, sed incurrit, si peccet post denunciationem.

9. D. Sunt ne aliqui casus, in quibus participans cum excommunicato excusetur ab incursu excommunicationis ?

M. Participans cum excommunicato incurrit, ut dictum est, in excommunicationẽ majorem, in duplici casu : primò si Clericus illum admittat ad divina; secundò: si participet in crimine, pro quo fuit excommunicatus; & quidem constat neminem pro hoc secundo posse excusari à pœnâ, nisi adsit ignorantia, quæ sufficiat excusare secundum Canones. Si possit dari casus extraordinarius, præter ignorantiam superiùs dictam, quæ partìcipantem in divinis cum excommunicato nominatìm denuntiato excuset, videantur Canonistæ celebriores, ac Theologi : Confessori ordinario nihil refert id scire; imò passim experimur maximum detrimentum, in eo, quod personæ ordinariæ ex quibusdam libellis hauriunt quasdam exceptiones à regulis generalibus in quibusdam circumstantiis omninò extraordinariis, in quibus per Epichejam regula generalis non potest habere locum; & ipsi utuntur prędictis exceptiònibus pro omni-

omni casu etiam ordinario. Id multò magis habet locum in hac materiâ excommunicationis, in quâ ruina ingens animarum oritur, si simplex Confessarius ex se, absque judicio Superioris, cujus est excommunicare, decidat hunc, vel illum casum non comprehendi in edicto excommunicationis; quare viam ordinariam proponat calcare præparans se ad confessiones: quod si contingat casus extraordinarius, qui videatur exceptus, post diligens studium, requirat etiam Superioris judicium, antequam decidat. Hæc dicta sunt de majori excommunicatione. Circà minorem, assignantur quinque casus, in quibus absque illius incursu potest communicare cum excommunicato vitando, & comprehenduntur illo versu.

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

de quibus S. Thomas q. 23. a. 1. dicitur *Utile*, quandò cum excommunicato loquimur in ordine ad vitam æternam: dicitur *lex*, quandò tenemur communicare cum illo ex lege matrimonii: dicitur *humile*, quando quis ante excommunicationem fuit subjectus excommunicato subjectione filii ad patrem, & servi ad dominum, vel è contrà (jurisdictio autem non excusat: quare subditus non potest communicare cum Principe:) Dicitur *res ignorata*: nàm ignorantia excusat: dicitur *necesse*, quia etiam excusor agens ob convenientem necessitatem cum excommunicato.

10. D. Petrus v. g. in Indiis fuit denunciatus excommunicatus; nùnc autem hìc in Urbe com-

moratur, ubi ſcio ſolus ego excommunicationem, teneornè illum evitare?

M. Teneris illum evitare in divinis (occultè tamen) in crimine, ob quod fuit excommunicatus: quoad communicationem verò civilem, teneris illum evitare in occulto, non in publico, & dic de illo, ut de peccatore occulto, cujus peccatum nequis publicare, ſicuti nec pœnam excommunicationis occultam.

11. D. Quoniam pœnæ non incurruntur ab ignorantibus, vellem ſcire, quæ ignorantia excuſet ab incurſu excommunicationis?

M. C. de conſt. in 6. dicitur: *Ut animarum periculis obvietur, ſententiis per ſtatuta quorumcumque Ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes. Dummodò eorum ignorantia craſſa non fuerit, aut ſupina.* Sic igitur ab incurſu cenſurarum Eccleſiaſticarum ignorantia etiam probabilis excuſat, dummodò ſit verè probabilis, quod tamen ex ſe non definiet ordinarius Confeſſor; & videbit, quæ dicentur de ignotantiâ c. 35.

12. D. Audivi dicentes, quod timenda ſit omnis excommunicatio, etiam injuſta, vellem ſcire, quomodò id verificetur, & qualitèr id contingere poſſit?

M. Id explicat mirabilitèr ſuo more S. Thomas q. 21. a. 4., ad cujus perfectam intelligentiam tu conjunge, imò prælege, quæ dicentur par. 2. c. 19. de judicio temerario ex eodem S. Doctore: conformiter ad quæ dicendum, quod excommu-

nicatio

nicatio ſi ſit nulla, non eſt timenda: dicitur autem nulla, quando fit per judicium uſurpatum, ut judicet, qui non habet authoritatem hìc, & nunc excommunicandi talem, vel non poteſt judicare tali modo, v.g. ſine monitionibus, &c. Gloſſa c. *Præſenti* de ſent. exc. in 6. aſſignat duodecim caſus, in quibus eſt nulla. Præparanti ſe ad confeſſiones utile erit ſcire prædictos caſus, ſed magis quoad judicium fori contentioſi, quàm fori pœnitentialis, in quo ſemper abſolvet ad cautelam; & niſi omninò manifeſtiſſima ſit nullitas, nullatenùs ſe ingeret. Sicuti dicitur de Judice ſæculari, quod damnans homicidam, peccat, ſi damnet ex odio, non ex affectu juſtitiæ, ſed tamen juſtè damnatur homicida: ita dicendum de excommunicante. Sicut in judicio ſæculari dicitur, quòd ſub pœnâ mortis vocatus à Judice, ubi adſunt indicia ſufficientia, debet obedire, & ſi non obediat, hoc ipſo fit reus mortis; ita dicendum, quod in ſimili caſu, in Eccleſiaſtico judicio, fiet reus excommunicationis: ſicut in judicio ſæculari dicitur, quod damnatus, quia v.g. noluit abnegare fidem, debet humilitèr ſuſtinere mortem potius, quàm obedire. Idem dicendum in Eccleſiaſtico: excommunicatur, v.g. quis, quia non vult cohabitare uxori, cum quà habet impedimentum dirimens occultum, ſed certum, cujus contrarium apparet in judicio Eccleſiæ, in hoc caſu ex c. *Inquiſitioni* extrà de ſent. exc. debet excommunicationem ſuſtinere humilitèr potiùs, quàm fornicariè conjungi fœminæ

minæ, ſive petendo, ſive etiam ſolùm reddendo.

13. D. Excommunicatio incurriturnè ſtatim ac homo commiſit delictum, cui eſt annexa excommunicatio?

M. Ad decidendum hoc in particulari, conſideranda ſempèr attentè ſunt verba comminantis excommunicationem: ſi enim dicatur *ſub pœnâ excommunicationis ipſo facto incurrendâ*, & ſint aliæ conditiones, tùnc delicto commiſſo, delinquens eſt ſtatìm excommunicatus quoad ſe, licèt nondum denunciatus quoad alios: At ſi dicatur tantùm *ſub pœnâ excommunicationis*, tùnc non erit excommunicatus, quoad uſque Superior infligat talem pœnam; & Sacerdos illud committens, ſi celebret, non fit irregularis &c.

14. D. Quia ſufficientèr dictum eſt de causâ formali excommunicationis, dicatur aliquid de materiali?

M. Jam n. 3. dictum eſt, quod minoris excommunicationis cauſa materialis poteſt eſſe peccatum veniale. De majori hæc ait S. Th. ſuppl. q. 21. a. 3. *Quia excommunicatio eſt graviſſima pœnarum: pœnæ autem medicinæ ſunt, & Sapientis Medici eſt, à levioribus incipere medicinis, & minus periculoſis, ideò excommunicatio infligi non debet, etiam pro peccato mortali, niſi contumax fuerit, vel non veniendo ad judicium, vel ante terminationem judicii ſine licentiâ recedendo, vel determinationi non parendo. Tùnc enim, poſtquam monitus fuerit, ſi contempſerit, contumax reputatur, & excommunicari debet à Judice, jàm non*

am-

ampliùs habente, quod contrà ipſum faciat. Igitur ex ratione ſatis congruà, non omne peccatum mortale debet eſſe materia excommunicationis, ſed contumacia, per quam non ſit locus alteri medicinæ ad tollendum peccatum. Porrò id obſervandum præcipit Tridentinum ſeſs. 25. de ref. cap. 3. Brevitatis gratià non adduco textum, qui tamen ſæpè relegendus eſt: etenim multi deficiunt, & aſſumunt pro primo remedio, quod eſſe debet ultimum, imò illud ſæpè aſſumunt pro defectibus qui directè, & proximè ſunt contrà gubernium œconomicum, aut politicum: remotiſſimè, & omninò indirectè ſunt contrà Deum. Præparans ſe ad confeſſiones, quia poteſt proceſſu temporis fieri Superior cum poteſtate excommunicandi, vel peti de conſilio ab hujuſmodi Superioribus, attendat, quà prudentià velit procedendum in hac materià Spiritus Sanctus, Author prædicti capitis.

15. Plures aliæ quęſtiones agitantur de excommunicatione, præſertìm circà cauſam efficientem; ſed meo videri, ordinario Confeſſori; ſufficiet delibatio prædictarum. Illud videtur neceſſarium Cõfeſſori ordinario, ut particularitèr ſciat ſaltẽ principaliores excommunicationes, cenſuras, & pęnas Eccleſiaſticas: & cum plures in compendio redegerint antiquiores; non invenio ex Modernis, qui omnes illas collegerit; quare in hoc maximè laudandus eſt zelus Canonici Nicolai Antonii Cuggiò; Sanctiſſimi D. N. Clementis XI. oraculo de-

putati à ſecretis pro examine Cleri in Urbe. Hujus operâ,& improbo labore collectus eſt Cathalogus hujuſmodi Cenſurarum, & inſertus libello *Avvertimenti di S.Carlo* &c. tertiæ editionis, de anno 1702. Hunc igitur dabo c. 19. ut omnes illum habere poſſint præ manibus.

16. D. Extat nè aliqua propoſitio damnata, circà id, quod in præſenti capite dictum eſt de Excommunicatione ?

M. Extat 44. Alexandri VII. loquens generalitèr de omni cenſurà, & conſequentèr includens excommunicationem.

CAPUT XVIII.

De reſervatione caſuum, & Cenſurarum.

1. EX Rituali c.7. n. 8. Confeſſor *ſciat caſus Sedi Apoſtolicæ, & Ordinario ſuo reſervatos.* Et hęc ſcientia omninò eſt neceſſaria: quilibet enim Judex debet ſcire, quouſque ſe extendat ſua juriſdictio, cujus ſi terminos tranſiliat, invalida eſt ſententia. In omni autem Republicà benè ordinatà ſunt conſtituti tales termini, ita quod inferiores Judices, habeant ſolùm judicare minora delicta, & ordinaria cognitio graviorum reſervatur Judici ſuperiori, & graviſſima tandèm judicat ipſe Princeps, vel quos ipſe deputat ex commiſſione ſpeciali. Sapientiſſimum hunc ordinem ſervatum eſſe, & ſervari debere in Eccleſiâ

defi-

definivit Tridentinum sess. 14. c. 7. Porrò circà hanc reservationem plura peti possunt, sed præparans se ad confessiones, observabit specialitèr sequentia.

2. D. Quid est reservatio casuum, seù censurarum?

M. Est restrictio jurisdictionis; per quam Superior jurisdictionem commissam inferiori Judici restringit, ita quod illam non habeat pro absolvendis certis casibus, aut censuris. Hìnc inferas nullatenùs absolvi pœnitentem, qui dùm peccavit, invincibilitèr ignoravit reservationem. Fingamus enim, quod Princeps, me omnimò invincibilitèr ignorante, in Republicà restrinxerit jurisdictionem alicujus Judicis, hic non potest me judicare, quia jurisdictionem confert non mea ignorantia, sed Superioris authoritas.

3. D. Quid faciet Sacerdos, ubi ad ipsum accedit Pœnitens involutus aliquo casu reservato?

M. Rituale c. 7. n. 16. solùm dicit, quod *non absolvat, nisi priùs obtentà facultate à Superiore.* S. Carolus §. 14. ait, quod *admoneat pœnitentem, ut se sistat coràm habentibus facultatem*, sed addit, *ubi Confessor aliunde judicaret non convenire, ut se præsentet Pœnitens, Confessor ipse petat facultatem absolvendi.* Et sanè possunt contingere plurimi casus, in quibus ex unà parte, ob absolutionem, adeunda est Apostolica Sedes: ex alià impossibile est pœnitenti adire. In hujusmodi casibus exigitur prudentia, & charitas Confessoris, ut pœnitenti subveniat,

ſi verè petit; & aliàs habet juſtum impedimentum non operandi ex ſe ſolo. In hoc autem verè plena charitate Sacra Pœnitentiaria providit, ut ſequitur.

Inſtructio Parochorum, & Confeſſariorum pro caſibus, quorum abſolutio, ſeù diſpenſatio à Sacrâ Pœnitentiariâ Apoſtolicâ impetratur.

4. *Cum ſæpè ſit experientiâ compertum plurimos utriuſque ſexus Chriſti fideles, & præcipuè in longinquis degentes, cenſurarum vinculis, votorum obligationibus, matrimoniorum impedimentis, nec non Irregularitatum, & caſuum quoquo modo reſervatorum ligaminibus adſtrictos, ad Sanctam Sedem, ejuſque S. Pœnitentiariam ſpectantibus irretitos, in illis lachrymosè perſiſtere, & continuis conſcientiæ agitationibus laboriosè perdurare, cujus mali cauſas ex ſimilibus provenire innotuit.*

5. *Primò, eò quod Parochi, vel alii, ad quos hujuſmodi Pœnitentes recurrere contingit, in pagis, aut locis ruralibus degunt, & viam, modumque recurrendi ad præfatam Sacram Pœnitentiariam ignorant, nec aliquem hìc Romæ agnoſcunt, ad quem ſupplicationes dirigant, unde Pœnitentes perplexos dimittunt, quibus, cum ad Ordinarium accedendi (fœminis præſertìm) verecundia, aut timor aditum intercludat, conſilium ulteriùs requirere neſcientes, remedium deſperant, & in prædictis vinculis, obligationibus,*

bus, impedimentis, inhabilitatibus, & casibus reservatis, cum periculo damnationis insordescunt.

6. Secundò evenit, quod Pœnitentes egeni recognitionem pro sollicitatione, & labore Agentium Romæ commorantium, exolvere non valentes, inconsolati, ac conscientiæ motibus concussi, in periculoso statu manere coguntur, & fortè (quod pejus est) sibi persuadent S. Pœnitentiariæ Tribunal, aliquid lucri pro litteris prædictis recipere, cum reverà S. Pœnitentiariæ Ministri, nec aliquid quamvis minimum, nec etiam spontè oblatum umquam recipiant, & gratis omnia exhibentes, singulos ad se recurrentes serenà fronte complectantur.

7. Tertiò accidit etiam nonnunquam per inadvertentiam exponentium, ut gratiæ juxtà expositæ obtentæ, irritæ evadant, eò quia casus, & circumstantias necessarias reticeant; undè fit, quod litterarum Executores, casu postea Pœnitentium examinato, rem aliter se habere, quàm expressum fuerat, comperiant, & gratias subreptitias, aut obreptitias esse inveniant: quare Pœnitentes confusi remanent, & spe novæ dispensationis se carere putantes, in prædictis vinculis, obligationibus &c. miserabiliter remanent.

8. Quare gratum Deo, & utile fidelibus futurum esse speratur, si iste modus recurrendi ad ipsam Sacram Pœnitentiariam proponatur.

9. Confessores itaque, cum Pœnitentes præfatis vinculis irretitos ad se accedere contigerit, casuum qualitates, & præfatorum casuum circumstantias considerent, causasque dispensationum, aut commutatio-

num

num exprimant, & caveant, ne, quod occultum est, publicum faciant, præsertim impedimenta occulta matrimoniorum: nàm publica, vel ad publicum redacta, non pertinent ad Sacram Pœnitentiariam.

10. *Etsic prefati Confessores, seù Pœnitẽtes poterunt casus præfatos cum dictis circumstantiis, & causis exponere, sive latino, sive quocumque alio idiomate propriæ regionis; nàm S. Pœnitentiaria suos ex quacumque regione Pœnitentiarios subordinatos habet; & exprimant insuper in fine expositionis casus, nomen, cognomen, cui sit à S. Pœnitentiariâ rescribendum, etiamsi ipsum nomen, & cognomen sit fictitium: Itemque modum, per quem responsio secura dirigi possit, significando, scilicèt, vulgari nomine Oppidum, seù Civitatem, & Regionem, cum datà mensis, & anni in hunc modum.*

Intus incipiant Epistolam, seù supplicationem sic.

Eminentissime, & Reverendissime Domine.

11. *N. Mulier emisit votum simplex Castitatis: manet in periculo incontinentiæ, nisi nubat: supplicat sibi votum commutari ad effectum contrahendi matrimonium.*

Terminent epistolam, seù supplicationem sic.

Dignetur Eminentia Vestra rescribere ad N. N., & exprimant nomen, & cognomen, cui est rescribendum: Ad Civitatem N. exprimendo nomen civitatis. Per oppidum N. exprimendo vulgari nomine, nomen Oppidi. Et dirigere Breve, seù gratiam simplici Confessario, Magistro in Theologiâ, sivè Decretorum Doctori, sive Parocho, cui Pœnitens aperuit suam con-

conscientiam, ne ipse Pœnitens, & præsertim fœminæ cogantur circumire pro executione gratiæ Sacræ Pœnitentiariæ.

Dirigant epistolam, seù supplicationem, scribendo extrà, seù à foris, in hunc modum.

Eminentissimo, & Reverendissimo Domino,
Domino Cardinali Majori Pœnitentiario.
Romam.

12. *Et si tardaverit responsio, Confessarii rescribant, ne fortè sit deperdita, & nunquam desperent Pœnitentes.*

13. *Monentur insuper Parochi, sive Confessarii, ad quos præsentes litteræ pervenerint, illarum notitiam, quibus poterunt, pro animarum salute communicare.*

14. D. Verè Mater pia est Sedes Apostolica, & pii ejus Ministri, qui provident fidelibus non tantùm remedia, sed & modum omnem faciliorem, ut possimus consequi prædicta remedia. Ego sanè in posterùm utar hac benignitate pro salute Pœnitentium; & præterea juxtà ultimum Sacræ Pœnitentiariæ monitum communicabo notitiam hanc, quibus potero. Sed interim, quid agere debeo, dùm expectatur Sacræ Pœnitentiariæ responsum?

M. In prædictâ Instructione audisti nominata præsertim quinque: primò censurarum vincula: secundò votorum obligationes: tertiò matrimoniorum impedimenta: quartò irregularitates:

quin-

quintò caſus quoquo modo reſervatos; de quibus pro praxi agendum eſt diſtinctè. Igitur ſi prædicta vincula ſint publica, nullum poteſt eſſe ſcandalum, ſi quis abſtineat, ſed imò ſcandalum eſſet, ſi non abſtineret: quando autem ſunt occulta, poteſt oriri ſcandalum, ſi quis abſtineat: Ubi igitur extrà articulum mortis (in quo nulla eſt reſervatio) accedat Pœnitens cũ aliquâ cenſurâ, vel caſu reſervato Sedi Apoſtolicæ, & Confeſſor, qui ſe obtulit ad impetrandam facultatem abſolvendi viâ prædictâ, noverit magnum oriri ſcandalum, niſi tùnc pœnitens communicet, ſuadebit pœnitentem, ut recurrat ad Epiſcopum, vel ejus Vicarium, qui habent facultatem juxtà Tridentinum ſeſs. 24. c. 6. exceptis caſibus Bullæ Cœnæ, vel ut recurrat ad Regulares privilegiatos, juxtà eorum privilegia, de quibus dictum eſt c. 9. nu. 5. quod ſi nullus expectari poſſit recurſus, abſque magno ſcandalo, tùnc eſt duplex opinio: Alii dicunt poſſe hujuſmodi reum communicare cum ſolo actu contritionis: Alii, quod teneatur confiteri non reſervata, & reſervata ſimplici Confeſſario, qui ad obviandum ſcandalo, primùm imponet pœnitenti onus comparendi quàm primùm coram Superiore, poſteà illum abſolvet, remanebitque abſolutus à non reſervatis directè, à reſervatis indirectè. In praxi hanc deduces: nàm actus perfectæ contritionis eſt valdè difficilis. Circà vota, non video ſcandalum in illis adimplendis. Poſſet ſolùm figurari caſus, quod obligatus voto caſtitatis,

&

& in periculo proximo incontinentię debeat communicare. Hic autem debet tractari, ut ex S. Carolo dictum est c. 11. n. 30. & si faciat, quod est in manu suâ, orando &c. non erit periculum proximum: si non faciat, sibi imputet, qui deficit: Circà matrimonii impedimenta, potest contingere casus, quod alter conjugum contraxerit cum impedimento occulto dirimente, affinitatis provenientis ex copulâ illicitâ cum sorore, v. g. Multi super hoc casu in examine deficiunt, asserentes posse conjugem conscium impedimenti reddere, sed non petere; tamen re verà, quia matrimonium est invalidum, illa redditio esset fornicaria, & per consequens semper illicita, etiamsi redderetur ad evitandam mortem; nèc alitèr audire volunt, aut debent Examinatores, à quibus semper vidi justè reprobatos, qui dicebant posse reddi, non peti. Igitur si casus contingat Confessori, dùm expectatur dispensatio Apostolica, ostendat pœnitenti, quod est obligatus ad omninò abstinendum, & aliis viis abducat conjugem, ne sibi instet pro redditione debiti: & insupèr moneatur, quod, obtentà dispensatione, ante usum matrimonii, debent renovare consensum, prudentèr tamen, ita quod non detegatur prior invaliditas, per hæc, vel similia verba, quòd *se amant affectu maritali* &c. Circà irregularitatem potest contingere casus in Religiosâ communitate, ubi scandalum sit, si aliquis non celebret: quod tamen est difficile: nec enim desunt media, ut quis abstineat absque publi-

blicatione delicti graviſſimi, ob quod incurrit irregularitatem: Caſus, & à Jure, & à Doctoribus prætermittitur, quia creditur moralitèr impoſſibilis; quare nec ego quidquam ex me determinabo circà illum.

15. D. Qui habens caſum reſervatum, confitetur nulliter habenti facultatem, teneturnè iterùm adire Superiorem, quandò valide volet confiteri?

M. Doctores diſtinguunt; etenim ſi comparet coràm ipſo Superiore, qui reſervavit, tunc volunt reſervationem ceſſare, & poſſe abſolvi à quolibet: ſi verò confiteatur habenti facultatem delegatam, ut in Jubilæo, vel etiam in articulo mortis, tunc tenetur iterum adire Superiorem, quia facultas abſolvendi conceſſa eſt pro confeſſione validà, non invalidà: ſed caſus iſtos non debemus ſomniari: nulla enim fit pietatis acceſſio ex eorum ſolutione.

16. D. Poteſtnè ſimplex Confeſſor abſolvere caſum, quando dubitat de reſervatione?

M. Poteſt eſſe dubium Juris, & dubium facti: Dubium juris eſſet, ſi v. g. perfectè neſciret tabellam caſuum reſervatorum: unde dubitat de juriſdictione ſpectante ad valorem ſacramenti; & in hoc dubio habet locum damnatio primæ propoſitionis ab Innocentio XI. facta: ſecundò poteſt eſſe dubium facti; Pœnitens dubitat, num ſua hæreſis fuerit externa, vel interna tantùm. Circà hoc dubium facti, diſtinguendum eſt: ſi agitur de dubiè reſervatis Papæ, non poteſt abſolvi. Si loquamur

de

de aliis, dicendum est posse absolvi à simplici Confessario, quia, ubi vult Superior reservare casus dubiè contentos, id explicat.

17. D. Audivi, quod alii casus reserventur ratione sui, & alii ratione censuræ, vellem scire, quid hoc importet?

M. Hoc est verissimum, interceditque differentia, quod casus reservatus ratione censuræ, ubi semel, etiam extràjudicialitèr ablata est censura, potest sacramentalitèr absolvi à quocunque Confessario. Ita hæresis hoc modo reservata, ubi quis comparuit coràm Superioribus, & illi absolverunt à censurâ extrà sacramentum (nec enim solent sacramentalitèr audire redeuntes) absolvi potest per quemcunque Confessarium. Ordinariè loquendo, quotiès alicui peccato annexa est excommunicatio Papalis reservata, illud reservatur ratione censuræ: non ita, si Episcopalis.

18. D. Qui commisit delictum reservatum in illà Diœcesi, potestnè absolvi, si accedat ad Diœcesim, in quà non est reservatum?

M. Ex c. 9. n. 5. potest absolvi, nisi accedat in fraudem: dicitur autem accedere in fraudem, si ad hoc solum veniat: etenim tunc vult eludendo subterfugere judicium sui Superioris, & si ex Tusculo, v. g. ubi homicidium reservatur, veniat Romam ob aliquod negotium, & existens Romæ velit confiteri, poterit illum quilibet absolvere. Si verò accedat ad Pœnitentiarios constitutos in Basilicis per Sacram Pœnitentiariam, poterit

rit absolvi, etiamsi ad hoc solum veniat, quia tùnc recurrit ad Superiorem sui Superioris, nempè, ad Romanum Pontificem, ut Caput universalis Ecclesiæ, cujus Ministri sunt prædicti Pœnitentiarii. At reliqui Confessores Urbis, habentes jurisdictionem ab Eminentissimo Vicario, sunt Ministri Pontificis, ut Episcopi Romani; & sic ad istos accedens pœnitens, accedit ad parem, non ad Superiorem sui Episcopi.

19. Intelligitur nè reservata Papæ omnis excommunicatio inflicta per Sedem Apostolicam?

M. Sit regula generalis, quam pluriès firmant Sacri Canones, ut excommunicatio per Papam inflicta non censeatur reservata, nisi illam implicitè saltem, sibi reservatam Papa pronunciet.

20. D. Regulares privilegiati, quid possunt in casibus reservatis Romano Pontifici?

M. Hujusmodi Regulares non debent uti prædictis privilegiis, nisi prius attentè illa considerent, & percipiant, quousque extendantur. Et primò omnium legenda est Extravag. Sisti IV., quæ incipit. *Et si Dominici* de pœn., & rem. secunda sub hoc principio. Plura privilegia absolvendi, & dispensandi concesserat Sistus. Sed quia id cedebat in damnum animarum, per dictam Extrav. declaravit privilegia per se concessa non debere extendi ad casus ibi expressos, quorum plures hodiè continentur in Bullâ Cœnæ. Qui sunt extrà Bullam Cœnæ, & amplius absolvi non vult per Extrav. sunt hi: primò generalitèr omnis læsio libertatis

Eccle-

Ecclesiasticæ: secundò violatio interdicti positi à Sancta Sede: tertiò mutilatio, vel occisio Clerici constituti in sacris: quartò simonia contracta in Ordine vel beneficio. Circà vota prohibet, commutari votum peregrinationis ultràmarinæ, visitationis liminum Apostolorum Petri, & Pauli, & Jacobi in Compostellà, nec non Castitatis, ac Religionis. Igitur privilegiati considerent, num super hos casus habeant privilegium ex concessione hujus Papæ: nàm hoc est revocatum ita, quod nullibi possint absolvere, neque in Urbe, neque extrà Italiam: Secundò privilegia quantumvis ampliſſima regulari debent juxtà restrictionem Clementis VIII. (intrà Italiam, extrà Urbem) positam c. 10. n. 6. & declarationes Clementis X. datas c. 9. n. 5. Porrò Clemens VIII. voluit posse uti privilegiis, quando ea fuerint in usu. Etiam in toto Orbe prohibentur absolvere delinquentes contrà Constitutiones de electione Romani Pontificis editas, alteram à Gregorio XV. de anno 1621. & alteram ab Urban. VIII. de an. 1625. Adsunt insuper Theologi primæ notæ, qui asserunt privilegia Regulárium non posse extendi ad eos casus, qui sunt prohibiti Eminentissimo Majori Pœnitentiario; nec enim percipiunt; quomodo in toto orbe Regulares innumeri possint indistinctè super illa delicta, quorum absolutionem Romanus Pontifex denegat suo primario Ministro, tot specialibus notis digno. Et secundum hanc opinionem prædictorum Magistrorum, ultrà casus jàm ex-

pressos, Regularis Privilegiatus non potest etiam in occultis, etiam in foro conscientiæ, absolvere illos, qui, vivente Romano Pontifice, tractant de Successore deligendo; secundò: neque violantes constitutionem Urbani VIII. editam de anno 1631. contrà inquirentes per Astrologiam judiciariam de statu Christianæ Reipublicæ, vel de vitâ, aut morte Romani Pontificis pro tempore existentis; quia in Bullâ Innocentii XII. super facultatibus Majoris Pœnitentiarii, delicta hujusmodi exclusivè, quoad dictum Pœnitentiarium, reservat sibi Pontifex. Tertiò: Major Pœnitentiarius, ex Urbano VIII. nequit absolvere ab excommunicatione incursâ propter violatum juramentum, quod emittunt Officiales Congregationis Rituum circà Sanctorum Canonizationem. Et secundum istos Magistros neque ab illâ potest absolvere Privilegiatus. Quid ego sentiam, non est necessarium exponere, certum est; quod si contingeret casus in praxi, nunquam absolverem, nec aliis consulerem, ut absolverent, sed dimitterent hujusmodi gravissimos peccatores, ut ex difficultate absolutionis in posterum omninò abstinerent.

21. Virtute Jubilæi potest nè simplex Confessarius absolvere pœnitentes à quibuscumque casibus reservatis?

M. Quilibet Judex, cujus iurisdictio in aliquo particulari casu extenditur per patentes supremi Principis, antequam exerceat ministerium juris-

dictio-

dictionis ſibi commiſſę, ſemper attentè conſiderat, & obſervat omnia, etiam minima verba prædictarum Patentium, Confeſſor, ne ſibi exprobretur *Filii hujus ſæculi prudentiores ſunt filiis lucis* Luc. 16. multò magis obſervabit minutatim Jubilæi formulam, à quà non declinabit, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram, illam ſibi videat inferiùs cum obſervationibus.

22. D. Quas in foro ſacramentali pœnitentias debet imponere Confeſſor, quando abſolvit excommunicatos?

M. Hic punctus eſt neceſſarius Confeſſori ordinario pro duplici caſu: primò: pro Jubilæis; & ſecundò: pro mortis articulo. Et volens ſatisfacere ſuo muneri, ſemper ante omnia conſiderabit particularitèr, nùm, in abſolvendo à tali excommunicatione, Superior exigat ſpecialem aliquam pœnitentiam: hæc enim erit imponenda. In Jubilæo nullatenùs poteſt abſolvi excommunicatus, à legitimo Superiore declaratus ut talis, niſi infrà tempus Jubilæi ponatur pœnitentia, per quam ſatisfaciat, aut concordet cum partibus: ſi non ſit declaratus ut talis, poterit abſolvi, etiam in caſibus Bullæ Cœnæ; dummodò prius pro pœnitentiâ deſtiterit, cũ propoſito ulteriùs ſimilia nõ cõmittendi, & abſolvitur in foro conſcientiæ tantùm; adeò ut ſi conveniatur in foro judiciali pro tali delicto, debeat ſatisfacere ſuo Superiori. In articulo mortis, quilibet, etiam ſimplex Sacerdos, poteſt abſolvere quemlibet excommunicatum, etiam denun-

ciatum, etiam ab hæreſi, dummodò præſtet cautionem, & in defectum hujus, juramentum, ſi poteſt, de ſtando Eccleſiæ mandatis, & de ſatisfaciendo parti læſæ. Hâc pœnitentiâ præmiſſâ abſolvetur, & remanebit directè abſolutus ab omni excommunicatione, & peccato; ita tamen, quod, ſi convaleſcat, teneatur ad obediendum ſe præſentare Superiori, & ſi non obediat, ob illud peccatum inobedientię, incidit in excommunicationem eodem modo reſervatam, ac erat illa, ſuper quà fuerat abſolutus.

23. D. Adſunt nè aliquæ propoſitiones prohibitæ, tangentes abſolutionem caſuum reſervatorum?

M. Alexandri VII. tertia tangit abſolutionem caſuum reſervatorum in Bullà Cœnę: quarta tangit ſpecialitèr crimen hæreſis reſervatum in primo §. Ejuſdem Bullæ: 12. verò tangit abſolutionem reſervatorum ab Epiſcopis.

24. D. Adſunt nè aliquæ pœnæ contrà audentes abſolvere à caſibus, vel cenſuris reſervatis?

M. Præſumentes abſolvere ab excommunicationibus reſervatis in Bullà Cœnæ, contrà tenorem dictæ Bullæ, in eàdem excommunicantur, & Pontifex declarat, quod gravius temporalitèr, & ſpiritualitèr, ut noverit expedire, procedet contrà ſic præſumentes: non tamen ibi reſervatur hæc excommunicatio; ſed vide c. 21. n. 7.

CA-

CAPUT XIX.

Dantur Canones Bullæ in Cœnâ Domini.

1. UT Confessor dicatur servare ordinationem Ritualis datam c.7. n.8. non sufficit in generali scire, quid sit Censura &c. sed specialitèr debet scire, qui casus reservati sint Apostolicæ Sedi, & qui Episcopo. Porrò Episcopales hìc non possunt adduci, quia varii juxtà varias diœceses; quare adducentur tantùm Papales, & quidem in hoc capite reservati in Bullâ Cœnæ; cujus brevitatis gratiâ omitto præfationem.

2. Canon primus: *Excommunicamus, & anathematizamus... quoscunque Hussitas, Wiclephistas, Lutheranos, Zuinglianos, Calvinistas, Ugonotos, Anabaptistas, Trinitarios, & à Christianâ Fide Apostatas, ac omnes, & singulos alios Hæreticos, quocunque nomine censeantur, & cujuscunque sectæ æxistant, ac eis credentes, eorumque receptatores, fautores, & generalitèr quoslibet illorum defensores, ac eorumdem libros hæresim continentes, vel de Religione tractantes, sine authoritate nostrâ, & Sedis Apostolicæ scientèr* (notà) *legentes, aut retinentes, imprimentes, seù quomodolibet defendentes, ex quavis causâ, publicè, vel occultè, quovis ingenio, vel colore; necnon Schismaticos, & eos qui se à nostrâ, & Romani Pontificis* (ut Pontifex, non ut est Prin-

ceps dominii temporalis) *pro tempore exiſtentis obedientiâ pertinaciter ſubtrahunt, vel recedunt.*

3. 1. Ut ſit Apoſtata, & Hæreticus, non ſufficit ignorare, etiam vincibiliter, myſteria fidei, etiam neceſſaria neceſſitate medii, ſed requiritur habere poſitivum errorem in intellectu contrarium fidei cum pertinaciâ. Dubius in fide eſt talis. Apoſtatans externè à fide, ſed intùs tenens fidem, non eſt talis, uti neque blaſphemans hæreticaliter. Hi tamen, licet non excommunicentur hìc, ſunt denunciandi Sanctæ Inquiſitioni.

4. 2. Qui ſint receptatores &c. vide dicenda de injuſtitiâ, ſupèr illud carmen, *Juſſio, conſilium*, &c. verbo *Recurſus*.

5. 3. Quid requiratur ad incurrendam hujuſmodi excommunicationem, vide ſuo loco.

6. 4. Qui ſint Schiſmatici. Vide de Charitate, cui ſchiſma opponitur.

7. Can. ſecundus: *Item omnes, & ſingulos cujuſcunque ſtatus, gradus, ſeù conditionis fuerint: Univerſitates verò, Collegia, et Capitula, quocunque nomine nuncupentur, interdicimus, ab ordinationibus, ſeù mandatis noſtris, & Romanorum Pontificum pro tempore exiſtentium, ad univerſale futurum Concilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio, conſilio, vel favore appellatum fuerit.*

8. Can. tertius: *Item omnes Piratas, Curſarios, & Latrunculos maritimos, diſcurrentes mare noſtrum* (Status Eccleſiaſtici) præcipuè à *Monte Argentario, uſque ad Terracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores, & defenſores.* 9. 1. Pi-

9. 1. Piratæ &c. non sunt, mare Pontificium, etiam ut prædentur, ligna eorum, quibus sui Principes declararunt bellum, nec qui discurrens hoc mare, causà negotiorum prædaretur casu aliam navim, esto non inimicam, sed qui ad hoc exiret, ut prædaretur quomodocunque. Hic, etiamsi nihil prædetur, dummodò talitèr discurrat mare Pontificium, excommunicatur.

10. Can. quartus: *Item omnes, & singulos, qui Christianorum quocunque navibus, tempestate, seù in transversum (ut dici solet) jactatis, vel quoquo modò naufragium passis, sive in ipsis navibus, sive ex eisdem ejecta in mari, vel in littore* (maris utique non fluminis) *cujuscunque generis bona, tàm in nostris Tyrrhæni, & Adriatici, quàm in cæteris cujuscunque maris* (non fluminis) *regionibus, & littoribus, surripuerint, ita ut nec ob quodcunque privilegium, consuetudinem, aut longissimi, & immemorabilis temporis possessionem, seù alium quencunque prætextum, excusari possint.*

11. *Christianorum*; quare non Turcharum, aut Gentilium; An autem Hæreticorum, qui, ut baptizati, sunt verè Christiani? Probabilius est, quod non, quia videtur Pontifex velle favere obedientibus sibi, non rebellibus. Peccabunt tamen surripientes bona Hæreticorum, quibus non est declaratum bellum, quod communiter est declaratũ contrà Turchas; At si aliquis Princeps habeat cum his pacem, hujus subditi etiam peccabunt.

12. *Surripuerint*: quare non excommunicatur,

nec peccat, qui bona hæc accipit, ut ſervet ſuo domino, vel deferat ad loca deſtinata de mandato Principis, ut ſerventur domino; qui autem ſurripuit, deinde pœnitens reſtituit, non poteſt adhùc abſolvi.

13. De Conſuetudine, vide ſuo loco.

14. Can. quintus: *Item omnes, qui in terris ſuis nova pędagia, ſeù Gabellas, præterquam in caſibus ſibi* (nota hoc) *à jure, ſeù, ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentiâ permiſſis imponunt, vel augent, ſeù imponi, vel augere prohibita exigunt.*

15. Can. 6. *Item omnes falſarios* (etiam per abraſionem unius verbi, vel litteræ) *litterarum Apoſtolicarum, etiam in formâ Brevis, ac ſupplicationum, gratiam, vel juſtitiam concernentium per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vice-Cancellarios ſeù gerentes vices eorum, aut de mandato ejuſdem Romani Pontificis ſignatarum, nec non falsò publicantes litteras Apoſtolicas, etiam in formâ Brevis, & etiam falsò ſignantes ſupplicationes hujuſmodi, ſub nomine Romani Pontificis, ſeù Vice-Cancellarii, aut gerentium vices prædictorum.*

16. Can. 7. *Item omnes illos, qui ad Saracænos, Turchas, & alios Chriſtiani nominis hoſtes, & inimicos, vel Hæreticos, per noſtras, ſive hujus Sanctæ Sedis ſententias expreſsè, & nominatìm declaratos deferunt, ſeù tranſmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, ſtannum, chalybem, omniaque alia metallarum genera, atque bellica inſtrumenta, lignamina, canapem, funes, tàm ex ipſo canape, quàm aliâ quacunque mate-*

materiâ, & ipsam materiam, aliaque hujusmodi, quibus Christianos, & Catholicos (ut tales) *impugnant, nec non illos, qui per se, vel alios de rebus statum Christianæ* (ut Christiana est) *Reipublicæ concernentibus, in Christianorum perniciem, & damnum ipsos Turchas, & Christianæ Religionis inimicos, nec non Hæreticos, in damnum Catholicæ Religionis, certiores faciunt; illisque ad id auxilium, consilium, & favorem quomodolibet* (notâ hoc) *præstant. Non obstantibus quibuscunque Privilegiis, quibusvis personis, Principibus, Rebuspublicis, per nos, & Sedem prædictam hactenùs concessis, de hujusmodi probibitione expressam mentionem non facientibus.*

17. Hìc comprehenduntur, qui ob lucrum, hebdomadatim, vel mẽsuatim &c. mittunt ad Hæreticos, vel Turchas, quæ Italicè dicuntur *Avvisi*, præsertìm ex Urbe, plena mille mendaciis, vel etiam veritatibus de Curiâ Romanâ, in maximum Religionis Catholicæ damnum; quare ad id maximè attendat Cõfessor, præsertìm in Urbe.

18. Can. 8. *Item omnes impedientes, seù invadentes eos, qui victualia, seù alia ad usum Romanæ Curiæ necessaria adducunt, ac etiam eos, qui ne ad Romanam Curiam adducantur, vel afferantur, probibent, impediunt, seù perturbant, seù hæc facientes defendunt per se, vel alios, cujuscunque fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis, & status, etiamsi Pontificali, seù Regali* (notà hos terminos primùm in hoc Canone nominatìm expressos) *aut aliâ quavis Ecclesiasticâ, vel mundanâ præfulgeant dignitate.*

19. Prin-

19. Princeps non incurret, si universalitèr vetet extrahi hæc è suo statu, quia indiget, esto inde sequatur, quod non adducantur ad Urbem, quia tùnc facit id in favorem sui populi, sed si vetat extrahi, specificando, ne adducantur ad Curiam, incidit, quia facit in odium Romanæ Curiæ.

20. Can. 9. *Item omnes illos, qui ad Sedem Apostolicam venientes, & recedentes ab eadem, suà, vel aliorum operà interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent: nec non illos omnes, qui jurisdictionem ordinariam, vel delegatam, à Nobis, vel nostris Judicibus non habentes, illam sibi temerè vendicantes, contrà morantes in eâdem Curiâ audent perpetrare.*

21. Qui sint hi venientes, vel recedentes &c. vide suo loco.

22. Secundam hanc excommunicationem incurrit solum vindicans sibi temerè jurisdictionem: quare ex vi hujus Canonis non excommunicatur occidens &c. morantem Romæ, quando id facit ex odio &c. non tamen sibi vendicans jurisdictionẽ.

23. Can. 10. *Item omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seù deprædantes Romipetas, seù peregrinos ad Urbem; causà devotionis, seù peregrinationis, accedentes, & in eà morantes, vel ab ipsà recedentes, & in his dantes auxilium, consilium, vel favorem.*

24. *Accedentes* &c. si occidatur, quia accedit: non si oriatur casu rixa cum accedente; nec occidatur ideò, quia accedit.

25. *Morantes*. Papa peregrinos vult etiam tue-

ri,

ri, dùm morantur; & incurritur hæc excommunicatio, etiamsi *ut tales* occidantur &c. etiamsi quis non faciat id per usurpationem jurisdictionis, ut erat necessarium in nono canone.

26. *Dantes* &c. Neque in nono isti excommunicantur, sed benè in hoc decimo.

27. Can. 11. *Item omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostilitèr* (notà hoc) *insequentes S.R.E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ Legatos, vel Nuncios* (non tamen inferiores ex vi hujus Canonis) *aut eos à suis Diœcesibus* (non alienis, ex vi hujus Canonis (*territoriis, terris, seù dominiis* (etiam temporalibus) *ejicientes: nec non ea mandantes, vel rata habentes* (hi duo termini primùm exprimuntur in hoc Canone) *seù præstantes in his auxilium, vel favorem.*

28. Consilium hìc non exprimitur, sed certè venit sub nomine auxilii, vel favoris.

29. Can. 12. *Item omnes illos, qui per se, vel per alios, personas Ecclesiasticas quascunque, vel Sæculares ad Romanam Curiam super eorum causis, & negotiis recurrentes, ac illa in eâdem Curiâ prosequentes, aut procurantes, negotiorumque Gestores, Advocatos, Procuratores, & Agentes, seù etiam Auditores, vel Judices, super dictis causis, vel negotiis deputatos, occasione causarum, vel negotiorum hujusmodi, occidunt, seù quoquo modo percutiunt, bonis spoliant, seù qui per se, vel per alios, directè, vel indirectè, delicta hujusmodi committere, exequi, vel procurare, aut*

aut in eiſdem auxilium, conſilium, vel favorem præſtare non verentur, cujuſcunque præeminentiæ, & dignitatis fuerint.

30. Ubicunque ſit recurrens &c. ſi hâc occaſione, moleſtas illum, incidis in excommunicationem hujus Canonis.

31. Can. 13. *Item omnes tam Eccleſiaſticos, quam Seculares cujuſcumque dignitatis, qui prætendentes frivolam quandam appellationem à gravamine, vel futurâ executione Litt. Apoſt., etiam in formâ Brevis, tàm gratiam, quàm juſtitiam concernentium: Nec non citationum, inhibitionum, ſequeſtrorum, monitoriorum, proceſſuum, executorialium, & aliorum decretorum à Nobis, & à Sede prædictâ, ſeù Legatis, Nunciis, Præſidentibus Palatii noſtri, & Cameræ Apoſt. Auditoribus, Commiſſariis, aliiſque Judicibus, & Delegatis Apoſtolicis emanatorum, & quæ pro tempore emanaverint, aut aliàs ad Curias ſæculares, & laicam poteſtatem recurrunt, & ab eâ, inſtante etiam Fiſci Procuratore, vel Advocato, appellationes hujuſmodi admitti, ac litteras, citationes, inhibitiones, ſequeſtra, monitoria, & alia prædicta capi, & retineri faciunt: quive illa ſimpliciter, vel ſine eorum beneplacito, & conſenſu, vel examine, executioni demandari, aut ne Tabelliones, & Notarii, ſuper hujuſmodi litterarum, & proceſſuum executione; inſtrumenta, vel acta conficere, aut confecta, parti, cujus intereſt, tradere debeant, impediunt, vel probibent, ac etiam partes, ſeù eorum Agentes, Conſanguineos, Affines, Familiares, Notarios, Executores, & Subexecutores*

tores litterarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum, capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex Civitatibus, Locis, & Regnis ejiciunt, bonis spoliant, perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur, per se, vel alium, seù alios, publicè, vel occultè, quive aliàs quibuscunque personis in genere, vel in specie, ne pro quibusvis eorum negotiis prosequendis, seù gratiis, vel litteris impetrandis ad Rom. Cur. accedant, aut recursum habeant, seù gratias ipsas, vel litteras à dicta Sede impetrent, seù impetratis utantur, directè, vel indirectè prohibere, statuere, seù mandare, vel eas apud se, aut Notarios, seù Tabelliones, vel aliàs quomodolibet, retinere præsumunt.

32. Can. 14. Item omnes, & quoscunque, qui per se, vel alios, auctoritate propriâ, ac de facto, quarumcumque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & litterarum Apostolicarum prætextu, beneficiales, & decimarum, ac alias causas spirituales, & spiritualibus annexas, ab Auditoribus, & Commissariis nostris, aliisque Judicibus Ecclesiasticis avocant, illorumve cursum, & audientiam, ac personas, Capitula, Conventus, Collegia, causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac de illarum cognitione tanquam Judices (notà hoc) interponunt: Quivè partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt, ad revocandum, & revocari faciendum, citationes, vel inhibitiones, aut aliàs litteras in eis decretas, & ad faciendum, aut consentiendum, eos, contrà quos tales inhibitiones emanarunt, à censuris, & pœnis in illis contentis absolvi, per statutum, vel aliàs compellunt, vel

execu-

deprimitur, aut aliàs quovis modo reſtringitur, ſeù noſtris, & dictæ Sedis, ac quarumcunque Eccleſiarum juribus, quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè, vel expreſsè præjudicatur.

34. Can. 16. *Nec non, qui Archiepiſcopos, Epiſcopos, alioſque Superiores, & inferiores Prælatos, & omnes alios quoſcunque Judices Eccleſiaſticos Ordinarios quomodolibet hac de causà, directè, vel indirectè, carcerando, vel moleſtando eorum Agentes, Procuratores, Familiares, nec non Conſanguineos, & Affines, aut aliàs, impediunt, quo minùs ſuà juriſdictione Eccleſiaſticà contrà quoſcumque utantur, ſecundum quod Canones, & Sacræ Conſtitutiones Eccleſiaſticæ, & decreta Conciliorum generalium, & præſertim Tridentini, ſtatuunt; ac etiam eos, qui poſt ipſorum Ordinariorum, vel etiam ab eis Delegatorum quorumcunque ſententias, & decreta, aut aliàs, fori Eccleſiaſtici judicium eludentes, ad Cancellarias, & alias Curias ſæculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata etiam pœnalia Ordinariis, & Delegatis prædictis decerni, & contrà illos exequi procurant; eos quoque, qui hæc decernunt, & exequuntur, ſeù dant auxilium, conſilium, patrocinium* (vide quid ſit patrocinari) *& favorem in eiſdem.*

35. Can. 17. *Quivè juriſdictiones, ſeù fructus, redditus, & proventus ad Nos, Sedem Apoſtolicam, & quaſcumque Eccleſiaſticas perſonas, ratione Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum pertinentes uſurpant, vel etiam quavis occaſione, vel causà, ſine Romani Pontificis, vel*

alio-

aliorum ad id legitimam facultatem habentium expreſsâ licentiâ ſequeſtrant.

36. *Ratione Eccleſiarum* &c. quare non jura, fructus &c. patrimoniales Clericorum, ex vi hujus Canonis.

37. *Uſurpant*. Uſurpare, & furari ſunt duo diverſa; & uſurpat alienum, qui ſibi appropriat, tanquam eſſet ſuum, & ſibi competeret; E contrà furans optimè ſcit eſſe alienum, & ſibi non competere jus in illa. Uſurpans ergo hic excommunicatur, non furans.

38. Can. 18 *Quivè collectas, decimas, talleas, præſtantias, & alia onera Clericis, Prælatis, & aliis perſonis Eccleſiaſticis, ac eorum, & Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum bonis, aliorumque fructibus, redditibus, proventib. hujuſmodi, abſque ſimili Rom. Pont. ſpeciali, & expreſsâ licentiâ, imponunt, & diverſis, etiam exquiſitis modis exigunt, aut ſic impoſita, etiam à ſponte dantibus, & concedentibus exigunt. Nec non qui per ſe, vel alios, directè, vel indirectè, prædicta facere exequi, vel procurare, aut in eiſdem auxilium, conſilium, vel favorem præſtare non verentur, cujuſcumque ſint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut ſtatus, etiamſi Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, ſeù Principes, Duces, Comites, Barones, & alii Potentatus quicunque, etiam Regnis, Provinciis, Civitatibus, & Terris quoquomodo Præſidentes, Conſiliarii, & Senatores, aut quavis etiam Pontificali dignitate inſigniti. Innovantes decreta ſuper*

bis

bis per Sacros Canones, tàm in Lateranensi novissimè celebrato, quàm aliis generalibus Conciliis edita, cum censuris, & pœnis, in eis contentis.

39. *Eorum . . bonis*: quare hic etiam includuntur bona patrimonialia.

40. Non prohibentur Clerici spontè dare, sed alii prohibentur exigere, si quid spontè dent; nec prohibentur hi accipere, sed exigere.

41. Can. 19. *Item omnes, & quoscumque Magistratus, & Judices, Notarios, Scribas, Executores, Subexecutores quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seù criminalibus, contrà personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seù sententias contrà illas proferendo, vel exequendo, sine speciali, specificà, & expressà hujus S. Sedis Apostolicæ licentiâ, quique hujusmodi licentiam ad personas, & casus non expressos extendunt, vel aliàs illà perperam abutuntur, etiamsi talia committentes fuerint Consiliarii, Senatores, Præsidentes, Cancellarii, Vice Cancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati.*

42. Can. 20. *Item omnes illos, qui per se, seù alios, directè, vel indirectè, sub quocunque titulo, vel colore invadere, destruere, occupare, & detinere præsumpserint, in totum, vel in partem, Almam Urbem, Regnum Siciliæ, Insulas Sardiniæ, & Corsicæ, Terras citrà Pharum, Patrimonium B. Petri in Thusciâ, Ducat. Spoletan. Comitatũ Venayssinũ, Sabin., Marchiæ Anconitanæ, Massę Trebatiæ, Romandiolæ, Campaniæ, & Maritimæ Provinciæ, illarumque terras,*

ac loca, & terras ſpecialis commiſſionis Arnulforum, Civitateſque noſtras, Bononiam, Cæſenam, Ariminum, Beneventum, Peruſium, Avenionem, Civitatem Caſtelli, Tudertum, Ferrariam, Comaclum, & alias civitates, terras, & loca, vel jura ad ipſam Rom. Eccleſiam pertinentia, dictæque Rom. Eccleſiæ mediatè, vel immediatè ſubjecta: nec non ſupremam juriſdictionem in illis Nobis, & eidem Ro. Eccieſiæ competentem de facto uſurpare, perturbare, retinere, & vexare variis modis præſumunt, nec non adhærentes, fautores, & defenſores eorum, ſeù illis auxilium, conſilium, vel favorem quomodolibet præſtantes.

43. Hi ſunt viginti Canones Bullæ Cœnæ, à quibus, in ſequentibus, quilibet, præter Romanum Pontificem prohibetur abſolvere prætextu quorumcumque indultorum *per Nos, & dictam Sedem, ac cujuſvis Concilii decreta.* Hæc particula *cujuſvis Concilii* non reperitur in dictis Bullis antè Tridentinum, poſt quod addita eſt, quia in ejus ſeſs. 24. c. 6. dabatur facultas Epiſcopis abſolvendi crimen hæreſis in foro conſcientiæ, quod hodiè non poſſunt propter dictam particulam.

44. Poſtquàm Pontifex excommunicationes in viginti Canonibus promulgatas ſibi reſervavit, excommunicat etiam eos, qui auderent abſolvere à prędictis viginti generibus excommunicationum ſibi reſervatarum, his verbis: *Si fortè aliqui, contrà tenorem præſentium, talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui, abſolutionis bene-*

beneficium, impendere de facto præsumpserint, eos excommunicationis sententiâ innodamus; graviùs contrà eos spiritualitèr & temporalitèr, prout expedire noverimus processuri. An autem ista absolventium excommunicatio sit reservata Sedi Apostolicæ vide c. 21. n. 7.

45. Addit Pontifex ubique prædicandam hanc Bullam, *ut ii, quos Processus hujusmodi concernunt, quod ad ipsos non pervenerint, aut quod ipsos ignoraverint, nullam possint excusationem prætendere, aut ignorantiam allegare, cùm non sit verisimile id remanere incognitum, quod tàm patentèr omnibus publicatur.* In his verbis supponit Papa doctrinam S. Thomæ tradendam cap. 35. num. 15. & approbat principium Canonistarum, quod ex unà parte ignorantia juris verè excuset, si sit invincibilis; ex aliâ, quod non præsumitur excusare, quia non est verisimile, quòd ignoretur talitèr publicatum.

46. Concludit verbis omninò notandis: *Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, aliique locorum Ordinarii, & Ecclesiarum Prælati, nec non Rectores, cæterique curam animarum exercentes, ac Presbyteri Sæculares, & quorumvis Ordinum Regulares, ad audiendas peccatorum confessiones quavis authoritate deputati* (propterea etiam Confessores Monialium, & Regularium intrà claustrà, esto non audiant Sæcularium confessiones) *transumptum præsentium litterarum pœnes se habeant, easque diligentèr legere, & percipere studeant.* Tria injunguntur, habere, diligentèr legere, & percipere.

47. Hæc circà Bullam Cœnæ mihi videntur neceſſaria cuilibet Confeſſori, etiam Ordinario; qui verò caſus circà illam difficiliores contingunt, debebit Confeſſor in facti contingentià, examinare ſolertius, vel legendo Authores, qui latè ſuper illà ſcripſerunt, vel quærendo conſilium peritiorum, præcipuè Miniſtrorum ab Apoſtolicà Sede pro abſolutione deputatorum, habendo etiam præ óculis, quod hæc Bulla eſt lex pœnalis; quare debet intelligi ſemper in ſtricto, ſed proprio verborum ſenſu.

CAPUT XX.

Cathalogus Cenſurarum, Irregularitatum, & pœnarum Eccleſiaſticarum, quæ frequentiùs Confeſſariis accidere ſolent, in audiendis Pœnitentium confeſſionibus, ordine Alphabetico digeſtus.

1. EX Rituali adducto cap. 7. n. 8. Confeſſor non ſolùm debet ſcire caſus Bullæ Cœnę, ſed etiam alias cenſuras Sedi Apoſtolicæ reſervatas; & ex S. Carolo, debet approbandus ad confeſſiones, interrogari.

Quibus criminibus annexæ ſint cenſuræ.
An item illarum peritiam, & vim teneat.
An caſus, in quibus Irregularitatis macula contrahitur.

2. Por-

2. Porrò idem S. Archiepiscopus, ut examinandis consuleret in parte 6. Actorum Ecclesiæ Mediolani collegerat brevem Notitiam Casuum Pontifici reservatorum, fuitque inserta libello *Avvertimenti di S. Carlo* &c. primæ, & secundæ editionis evulgato, de ordine Innocentii XII. ad usum Confessorum Urbis, additâ novâ collectione factâ jussu Cardinalis Montis de anno 1663. Tertiam verò libelli editionem, anno 1702. adornans Canonicus Nicolaus Antonius Cuggiò, pro majori Confessorum instructione, improbo labore, & studio, collegit ordine Alphabetico principaliores censuras, & pœnas; & eas hic reddo, ita tamen ut laus tota debeatur zelo præfati Canonici.

A

ABortum fœtus animati procurans incurrit excommunicationem, effectu secuto, ex Bullâ Sisti V. *Effrænatam*; & est reservata Ordinariis locorum ex Gregorii XIV. Bullâ, *Sedes Apostolica*.

Si fœtus sit animatus, idest, post 40. dies à tempore conceptionis, Confessarius moneat Pœnitentes de Irregularitate contractâ c. *Ad audientiam*, c. *Significasti*; & quidem duplici; si etiam mater occubuit.

Absolvens sacramentalitèr, sivè Clericus sit, sivè Laicus, efficitur Irregularis. c. 1. & 2. *de Cler. non ord. min.*

Absolvens sacramentalitèr Sacerdos, absque debità licentià, peccat graviſſimè, ſed nullam incurrit pœnam Eccleſiaſticam, præter quàm, quod ſi intendat uſurpare juriſdictionem Parochi, & tùnc incidit in excommunicationem Papæ reſervatam Can. 17. Bullæ Cœnæ Domini.

Absolvens à caſibus reſervatis absque facultate incurrit excommunicationem, privationem officiorum, dignitatum, & beneficiorum. Item inhabilitatem ad audiendas in poſterum confeſſiones, ad officia, Prælaturas, & Beneficia; quæ omnes pœnæ ſunt reſervatæ Sedi Apoſtolicæ. *Decretum S. Congreg. Epiſc., & Regul. authoritate Clementis VIII.* &c.

Absolvens Regularis à culpà, & pœnà, incidit in excommunicationem Papæ reſervatam. *Clement. 1. de privil.*

Absolvens Regularis non ſolventem decimas, incurrit excommunicationem non reſervatam. *Clem. Cupientes de pœn.*

Absolvens ſacramentalitèr ligatum cenſurà excommunicationis à Papà, ut ab homine, incurrit excommunicationem eidem Papæ reſervatam, c. *ſignificavit, de ſent. exc.*

Si lata fuerit nominatìm ab Epiſcopo vel ob publicam Clerici percuſſionem, abſolvens ſubjacet interdicto. c. 3. *de privil.*

Absolvens à peccatis excommunicatum ante abſolutionem à cenſurà, ſi hæc latà fuit à Papà, ut ab homine, incurrit excommunicationem

Papæ

Papæ reſervatam. c. *ſignificavit de ſent. exc.*

Si lata fuit nominatim ab Epiſcopo, vel ob publicam Clerici percuſſionem, abſolvens incurrit excommunicationem minorem c. *Cum excommunicato, de ſent. exc.*

Ulteriùs in utroque caſu abſolvens incurrit interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ reſervatum ei, qui cenſuram tulerat. c. *Epiſcoporum de priv. in* 6.

Abſolvens ſacramentaliter, dum eſt ligatus excommunicatione majori, vel ſuſpenſus, vel interdictus, efficitur Irregularis. c. 1. & tot. tit. *de Cler. exc. min.*

Abſolutionem à cenſuris, vi, & metu extorquens, non ſolvitur ab illis; imò incurrit novam excommunicationem, ſed non reſervatam. cap. 1. *de his, quæ vi, in* 6.

Abſolutionem ſacramentalem dari poſſe abſenti docens, defendens, imprimi faciens, diſputans (niſi ad impugnandum) & ad praxim deducens, iucurrit excommunicationem Papæ reſervatam, à quà nec Major Pœnitentiarius poteſt abſolvere. Clemens VIII. in *decreto S. Officii* 1602. 20. Junii.

Adulteros moneat Confeſſarius in ſuis caſibus, de obligatione reficiendi damna Viro, & filiis legitimis.

Agnos Dei cereos conſecratos pingens, vel minians, & pictos, vel miniatos vendens incurrit excommunicationem. Gregorius XIII. in Bullà: *Omni certè ſtudio.*

Alchimiæ artem exercens, quando peccet, & teneatur ad reſtitutionem, vide *Extrav. unic. de crim. falſ.*

Alienantes Bona Eccleſiaſtica, Juris formà non ſervatà, prout etiam recipientes, incurrunt excommunicationem, aliaſque pœnas Extr. *Ambitioſæ de reb. Eccl. non alien.* quæ excommunicatio, quoad recipientes, eſt reſervata Papæ. *Tridentin. ſeſs. 22. c. 11. de ref.*

Alienationi bonorum Eccleſiaſticorum authoritatem præſtantes Delegati Apoſtolici in detrimentum Eccleſiæ, ſi ſint Epiſcopi, per annum ſuſpenduntur: ſi ſint inferiores Epiſcopis, incurrunt excommunicationem non reſervatam. Paulus II. Bullà: *Cum in omnibus.*

Eandem excommunicationem incurrunt procurantes decretum dicti Delegati: Eadem Bulla.

Alienationem locorum Juriſdictionalium Eccleſiæ Romanæ procurantes incidunt in excommunicationem Papæ reſervatam. Bulla Pii V. *Admonet nos.*

Alienantes bona Juriſdictionalia Eccleſiarum, & piorum locorum, ſi ſint Epiſcopo inferiores, incurrunt excommunicationem non reſervatam: Epiſcopi, & Abbates interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ non reſervatum; Capitula, & Conventus interdictum. Bulla Urbani Octavi: *Humanæ ſalutis.*

Alienantes Regulares Bona Eccleſiaſtica, ultrà pœnas Extr. *Ambitioſæ*, & Tridentini, incurrunt

runt suspensionem ab officio. Clem. I. *de reb. Eccl. non alien.*

Facientes id vigore privilegiorum, ultrà pœnas Extrav. *Ambitiosæ*, incurrunt alias inflictas per decretum S. Cong. de anno 1624. 7. Septembris.

Ambitus in electione ad Pontificatum per tractatum, vivente Papà, improbatur à Jure; si tractatus sit pactionalis: secùs, si consultivus. Paciscentes, sive Cardinales, sive Reges, aut Imperatores incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, & alias pœnas: Bulla Pauli IV. *Cùm secundum*.

Hæ omnes pœnæ extenduntur ad dantes auxilium, consilium, & favorem, & ad conscios, nisi, quam primùm potuerint, Papæ viventi revelaverint. Ab hac excommunicatione, neque Major Pœnitentiarius potest absolvere: Bulla Innocentii XII. *super facultatibus Majoris Pœnitentiarii, §. Minusque possit*.

Ambitus, & tractatus super electione Papæ Sede vacante, est prohibitus, si est pactionalis; secùs, si consultivus; & Cardinales paciscentes incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, & alias pœnas in Bullà Gregorii XV. *Æterni Patris*. Ab hac neque Major Pœnitentiarius potest absolvere. Bulla Innocentii XII.

Ambitus Nunciorum Apostolicorum apud Principes est prohibitus; & procurantes favores in scriptis, seù oretenus, Principum sæcularium, ad quos missi sunt, directè vel indirectè, & oblatis

uten-

utentes, in ordine ad obtinendas pro se, vel Consanguineis, dignitates à Sede Apostolicà, incidunt in excommunicationem non reservatam, aliasque pœnas. Pius IV. *Et si Romanum.*

Ambitus, & subornatio in electione Regularium prohibetur, & procurans directè, vel indirectè, vota, & suffragia, ultrà excommunicationem reservatam Papæ, incurrit alias pœnas. Pius V. in Bullà relatà per Sorbum, verbo *Electio* in annot.

Ambitiosum eligens, eà vice privatur jure eligendi; & incurrit suspensionem ab Ecclesiasticis Beneficiis per triennium. c. *Cum in cunctis §. fin. de elect.*

Annonam impediens Romam deferri incurrit excommunicationem non reservatam Gregorius XIII. *Inter multiplices.*

Annonam prohibens deferri ad Romanam Curiam, incurrit excommunicationem reservatam in Can. 8. *Bullæ Cœnæ Domini.*

Annonam extrahens, vel extrahi faciens de statu mediato, vel immediato Ecclesiæ Romanæ, & etiam de immediato ad mediatum, si in temporalibus, ejusdem Ecclesiæ sit subditus, & extractio fiat mercimonii causà, incurrit excommunicationem ex plurium Pontificum Bullis, reservatam de stylo Curiæ.

Annonam deferens ad hostes fidei incurrit excommunicationem non reservatam. c. *Significavit*; & c. *Quod olim, de Judæis.*

Apo-

Apostata à Fide; vide verbo, *Hæresis.*

Apostata à Religione, si habitum dimittat, incurrit excommunicationem non reservatam. c.2. *Ne Cl. vel Mon.* sed plurium Ordinum Constitutiones illam reservant Papæ.

Apostatas qui Superiores non requirunt, & revocant ad Religionem, incurrunt privationem officiorum, Vocis activæ, & passivæ, nec non inhabilitatis ad illa. C. fin. *de Reg.* & decreto S. Congreg. 1624.

Appellantes à Summo Pontifice ad futurum Concilium, dantes auxilium, consilium, vel favorem, si sunt singulares personæ, incurrunt excommunicationem. Universitates verò interdictum: Utrumque reservatum Papæ Can. 2. *Bullæ Cœnæ Domini.*

Appellantes, vel aliter recurrentes ad Laicam potestatem ab ordinationibus, vel litteris Sedis Apostolicæ, aut ipsius Judicum incurrunt excommunicationem Papæ reservatam. Can. 13. *Bullæ Cœnæ Domini.*

Appellantes, vel recurrentes ad Curiam sæcularem ab ordinationibus cujuscunque Judicis Ecclesiastici, similem incurrunt, Can. 16. *Bullæ Cœnæ Domini.*

Arma habens Monachus intrà Monasterii septa, incurrit excommunicationem non reservatam. *Clem.* 1. §. *Quia verò* vers. *Præfatæ, de stat. Monach.*

Arma, & Armorum materiam mittens, vel defe-

deferens ad Hoſtes nominis Chriſtiani, vel ab Apoſtolicâ Sede nominatìm, & expreſsè declaratos Hæreticos; vel alia, quibus illi Chriſtianos impugnant. Item in iis præbens auxilium, conſilium, vel favorem, incurrit excommunicationem reſervatam Can. 7. *Bullæ Cœnæ Domini.*

Arma prohibita dans licentiam geſtandi in terris Eccleſiæ Romanæ, incurrit excommunicationem, & ſuſpenſionem à divinis, non reſervatas. Pius V. Bullà *Cum vice.*

Aſſaſſinium committens incurrit excommunicationem non reſervatam c. *Pro humani de hom. in* 6.

Moneat Confeſſarius Reum de Irregularitate in ſuis caſibus.

Aſtrologiam judiciariam exercens: vide verbo: *Superſtitio.*

B

BAnnitos ſubditus in temporalibus Eccleſiæ Romanæ receptans, vel impediens eorum publicam perſecutionem, ipſe cum filiis eſt inhabilis ad obtinenda quæcumque Beneficia Eccleſiaſtica, & officia. Siſtus V. *Hoc noſtri.*

Baptiſmus reiteratus reddit irregularem rebaptizantem, rebaptizatum, & miniſtrantem baptiſmati. Can. *Confirmandum* 50. *diſt.* & aliis.

Baptiſmum ſolemnitèr miniſtrans, qui non eſt Sacerdos, fit Irregularis. Cap. 1. *de Cl. non ord. min.*

Ba-

Baptiſma recipiens ab hæretico fit Irregularis *c. Ventum 1. q. 1.*

Baptiſma differens uſque ad ęgritudinem, fit Irregularis. c. *Si quis in ęgritudine, d. 57.*

Bello, vel Militiæ, Clerici in ſacris, aut Beneficiati, ſe immiſcentes peccant mortaliter. C. *Sententiam, Ne Cler. vel Mon.* & incurrunt varias pœnas, de quibus vide Auctores, quia ſunt diverſi Canones.

Beneficia per ſordes, vel ſimoniam procurantes: Vide, v. *Simonia.*

Beneficia alicui procurans in Romanâ Curiâ fraudulenter, ſubiiciendo ſe examini pro eodem, incurrit excommunicationem Papæ reſervatam, nullitatem proviſionis, privationem Beneficiorum, inhabilitatem ad alia obtinenda, & alias pœnas, ex Bullâ Pauli IV. *Inter cæteras.*

Eaſdem incurrit procurans Beneficium in Romanâ Curiâ, cum intentione renunciandi illud alteri.

Beneficium Parochiale obtinens, non intendens ſe promoveri ad Sacerdotium, non facit fructus ſuos: c. *Commiſſa §. Cæterùm de el. in 6.*

Beneficium curæ Animarum conſecutus, ſi intrà annum non ſe facit promoveri ad Sacerdotium, ipſo Jure, abſque ullâ monitione privatur beneficio. c. *Licet Canon. de el. in 6.*

Beneficium obtinens in Cathedrali, vel Collegiatâ, ſi intrà annum, non promovetur ad Ordinem requiſitum à tali Beneficio, caret voce in

Ca-

Capitulo, & privatur dimidiâ parte distributionum. Clem. 2. *de æt., & qual.*

Beneficium incompatibile obtinens, nèc dimittens primum, fit inhabilis ad Sacros Ordines. Extr. *Execrabilis* § *Qui verò deinceps* · de Præb.

Beneficia obtinens, vel conferens per abusum Laicæ Potestatis, incurrit excommunicationem non reservatam. c. *Quoniam.* 16. q. 7. & alias pœnas. c. *Si quis deinceps*, 16. q. 7.

Beneficium scientèr conferens indigno, privatur Jure illud conferendi in eadem vacatione. c. *Si electio, de el. in* 6.

Bigamus est Irregularis. c. 1. *de Big.*

Bigamum ordinans est suspensus per annum à celebratione Missæ. c. *Nullus* 55· d.

Bonorum Ecclesiasticorũ Alienatio, Furtum, Rapina, Incendium, Effractio, Damnum, Usurpatio. Vide v. Alienatio, Sacrilegium, Incendiarii, Usurpatio.

C

CAmeræ Apostolicæ administrationem fidelitèr non reddens incurrit excommunicationem, reservatam Papæ. Paulus III. *Cum sicut accepimus.*

Ad Cameram Apostolicam confiscationes, vel pœnas pertinentes defraudans, si est Cardinalis Legatus à Latere, incurrit indignationem Pontificiam: cæteri excommunicationem reservatam Papæ. Pius IV. *Decet Romanum.*

Car-

Cardinales S. R. E. offendens incurrit excommunicationem. Can. 11. *Bullæ Cœnæ Domini.*

Censuræ sententiam ferens, non præmissâ monitione coràm Testibus, incurrit per mensem, interdictum ab ingressu Ecclesiæ nemini reservatum. c. *Sacro, de sent. exc.*

Idem incurrit proferens censuræ sententiam, non in scriptis C. 1. *de sent. exc.*

A Censuris absolvens absque facultate. Vide v. *Absolutio.*

Censurâ excommunicationis innodato, communicans, incurrit excommunicationem minorem, si sit excommunicatus vitandus, vel publicus Clerici percussor, & incûrrit majorem, si communicat in eodem crimine. Quoad primùm c. *Statuimus in* 6. Quoad secundum c. *Nuper de sent. exc.*

Censurâ excommunicationis nominatìm innodatum à Papâ, ut Judice, Clerici admittentes ad divina, incurrunt excommunicationem Papę reservatam. C. *Significavit., de sent. exc.*

Admittentes ad divina excommunicatum ab Episcopo, vel ab eo denunciatum, incurrunt pœnas c. *Episcoporum de priv. in* 6.

Censura excommunicationis ligatum admittens ad oblationem; Vide v. *Oblatio.*

Eundem admittens ad sepulturam. v. *Sepultura.* Idem, vel suspensus, si monitus exire ab Ecclesiâ non obedit, incurrit excommunicationem Papæ reservatam. Clem. *Gravis de sent. exc.*

Cen-

Cenſurà excommunicationis, ſuſpenſionis, aut interdicti ligatus Clericus fit irregularis, ſi exerceat actus Ordinum. *de Cler. exc. min.*

Uti, & interpretativè ſit irregularis, ſi coram ſe faciat celebrare. c. *Illud de Cl. exc. min.*

Cenſurà interdicti nominatim innodatum, aut non interdictos tempore interdicti, præſumens ſepelire in loco ſacro, incurrit excommunicat. reſervatam Epiſcopo, & alias pœnas, de quibus c. 3. *de Privil.* c. *Epiſc. eodem tit. in* 6. & *Clem.* 1. *de ſep.*

Cenſuram ſuſpenſionis à poteſtate providendi de Beneficiis violans incurrit excommunicationem reſervatam Papæ. Pius V. *Quanta.*

Cenſuram ſuſpenſionis à Beneficio violans ſe ingerendo tali Beneficio, quando incurrat privationem ipſius, vide c. *Si compromiſſarius* §. *Porrò* &c. *Cupientes* §. *Cæterum, de el. in* 6.

Cenſuras violari faciens Dominus temporalis incurrit excommunicationem reſervatam Papæ Clem. *Gravis de ſent. exc.*

Cenſurarum fulminationem impediens, aut extorquens abſolutionem, ſeù revocationem, incurrit excommunicationem non reſervatam C. 1. *de bis, quæ, vi metuſvè cauſ. fiunt.*

In Cenſurà excommunicationis per annum inſordeſcens, eſt ſuſpectus de hæreſi. c. *Cum contumacia de hær. in* 6.

Ceſſationem a divinis Clericus violans incurrit excommunicationem non reſervatam. Clem. 1. *de ſent. exc.*

Chi-

Chirurgiæ arte Clericus causans mortem, per sectionem, vel adustionem, fit Irregularis. C. *Sententiam, Nc Cler. vel Mon.*

Circà Clausuram, post Pium quintum, Gregorius XIII. punit excommunicatione reservatà Papæ, aliisque pœnis, fœminas cujuscunque gradus, quocunque prætextu intrantes clausuram Virorum Regularium, & viros Regulares eandem violantes per introductionem mulierum.

Eâdem excommunicatione, aliisque pœnis puniuntur violantes clausuram Monialium ex quocunque, seù bono, seù malo, ac turpi fine. Vide post aliòs Paulum V. Bullà *Monialium*, ad cujus principium in Bullario Laertii Cherubini habes notatos, si qui alii Pontifices super hac clausurâ sanxerunt: & perleges attentè omnes, ubi casus accidat in facti contingentià, quo dirigas Pœnitentem. Ulterius hic notâ, quod violantes clausuram Monialium ad malum finem, seù inhonestum, neque possunt absolvi per privilegia Regularium, si sint intrà Italiam, extrà Urbem.

Clausuram Monialium Viri Superiores, absque justà causà intrantes primà vice incurrunt interdictum ab ingressu Ecclesiæ: secundà suspensionem à Pontificalibus, & divinis: tertià excommunicationem non reservatam. Gregorius XIII. Bullà, *Dubiis, quæ emergunt.*

A Clausurà exiens Monialis extrà casus à Jure permissos, incurrit excommunicationem reservatam Papæ. Pius V. Bullà *Decori.*

De Conceptione B. Mariæ V. opinionem affirmativam, vel negativam impugnans incurrit excommunicationem Papæ reſervatam, aliaſque pœnas Extr. *Grave nimis de rel. & ven. Sanct.*; renovatas per ſubſequentes Pontifices, & Sanctam Inquiſitionem.

Concilii Tridentini interpretationes Prælatus edens incurrit interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ: Alii excommunicationem reſervatam. Pius IV. Bullà: *Benedictus Deus*, §. *Ad evitandam*.

Conciliũ Provinciale non adiens Epiſc. vocatus, vel diſcedens ante completum, incurrit pœnas Can. *Si quis autem*, 10. *d.* &c. *Quà frontè*, *de Appel.*

Conclave ad eligendum Romanum Pontificem tempore præſcripto non intrantes, aut inde exeuntes abſque juſtà causà incurrunt pœnas, de quibus in cap. 3. verſ. 2. §. *Sanè ſi aliquis de elect. in* 6. & in Bullà Pii IV. *In eligendis*.

Conclavi clauſo Cardinales ſecretè alloquens, aut ipſis, aut aliis ſigna, litteras, aut Nuncium mittens, aut deferens, & alii iſta permittentes, excommunicationem Papæ reſervatam incurrunt, aliaſque pœnas latas in cap. 3. §. *Nullà ad eoſdem de elect. in* 6. in clem. *ne Romani*, *de elect.* in Bulla Pii IV. *In eligendis*.

Conclave clauſum furtivè intrans, omni honore, gradu, officio, beneficio, ipſo jure privatus exiſtit ex d. Bullà Pii IV. §. 19.

Conclavis, electioniſque Papę formam ſubſtantialem non ſervantes, excommunicationem Pa-

pæ

pæ reservatam incurrunt ex Bullà Gregor. XV. *Æterni Patris*.

Conclavis formam observari non procurantes Officiales Civitatis incurrunt excommunicationem non reservatam cap. 3. §. *Prætereà* de el. in 6.

Conclavis, sivè electionis Papæ occasione, bona electi, aut Cardinalium, aut Conclavistarum diripientes, excommunicationem Papæ reservatam incurrunt, aliasque pœnas latas in Concilio Constantien. celebrato anno 1415. in Decreto *de non spoliando eligendo in Papam* sess. 41., quod non procedit, si causa lætitiæ fiat.

Concubinarius Clericus notorius olim suspensus erat ipso jure ab Officio, & Beneficio; secus verò hodie, tamen irregularis est ob infamiam gloss. in cap. *cum dilectus* de accusat.

Cõfessarius absolvẽs absentem. Vide v. *Absolutio.*

Confessarius absolvens sine facultate à Censuris, & casibus reservatis, incurrit pœnas contentas in Bulla Clementis VIII.

Confessarius non ingerens scrupulum Pœnitenti de Decimis non solutis, vide suprà verbo *Absolvens*, & infra verbo *Decimæ*.

Confessionem annuam sacramentalem omitentes, vide verbo *Sacramentum*.

Confessionem sacramentalem fieri ab infirmis Medicus non procurans, incurrit interdictum ab ingressu Ecclesiæ, perpetuam infamiam, & privandus est laureà Doctorali, Innocentius Tertius, & Pius V. *Suprà gregem*.

Confeſſionem ſacramentalem non eſſe neceſſariam poſt peccatum mortale, ante cõmunionem Euchariſticam, aſſerentes excommunicationem incurrunt: can. 11. cap. 6. ſeſs. 13. Concil. Trident. & ſecundum aliquos hæretici ſunt.

Confeſſionis ſacramentalis ſigillum, ſeù ſecretum violantes, à Sacerdotali Officio deponendi ſunt, & in Monaſterium detrudendi. cap. *omnis utriuſque ſexus*, de pœnit., & remiſs.

Confiſcans bona Eccleſiæ ob delictum Clericorum, excommunicationem incurrit reſervatam uſque ad reſtitutionem *clem. 2. de hæret.*

Confiſcationes Cameræ Apoſtolicæ defraudantes, vide verbo. *Camera*.

Conſervatores limites ſuæ Juriſdictionis excedentes, ſuſpenſi per annum remanent ab Officio; alii verò id procurantes excommunicationem reſervatam, uſquequò parti læſæ ſatisfecerint. cap. *hac conſtitutione*. §. *Ne autem*: *de Offic. deleg.* in 6.

Conſiſtorii ſecreta à Cardinalibus non ſunt revelanda ſub pœnà perjurii, & inobedientiæ, & ſi à Papà ſuper aliquà re fuerit indictum ſilentium, incurrunt excommunicationem Pontifici reſervatam ex Bulla Leonis X. in Conc. Lateranenſi ſeſs. 9. tit. *de Cardinalibus* in fin.

Conſuetudinem contrà libertatem Eccleſiaſticam obſervantes, vel ſervari facientes incurrunt excommunicationem non reſervatam in cap. *Noverit* de ſent. excommunic., & ſecundum aliquos

quos reservatam in cap. 15. *Bullæ Cœnæ Domini.*

Consuetudinis iniquæ observationem jurantes, vel jurari facientes. vide Verbo. *Juramentum.*

Criminosos recipiens ad habitum, vel professionem religiosam, privatur voce activà, & passivà aliasque pœnas incurrit, de quibus in Bullis Sixti V. *Cum de omnibus*, & *Ad Romanum*, & Clementis VIII. *In supremâ.*

Ad Curiam Romanam recurrentes, vel ibi causas prosequentes, occasione dictarum causarum offendens, incurrit excommunicationem Papæ reservatam *in c.* 12. *Bullæ Cœnæ Domini*, aliasque pœnas, de quibus in Bullà Alexandri VI. *In eminenti.*

In Curià Romanà propter negocia Curiæ commorantes, eandem adeuntes, vel ab eà redeuntes, vexans, incurrit excommunicationem Papæ reservatam *in cap.* 9. *Bullæ Cœnæ Domini.*

Ad Curiam Romanam euntes, manentes, redeuntes, vexans viâ, juris, excommunicationem Papæ reservatam incurrit, aliasque pœnas *Extravag.* 3. *de priv.*

Ad Curiam Romanam accessum, vel recessum liberum prohibentes publicà, vel privatà authoritate, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam *in cap.* 12. *Bullæ Cœnæ Domini.*

Ad Curiam Romanam Ecclesiasticos à Jure, vel ab homine citatos vexans, ne eant, excommunicationem Papæ reservatam incurrit *Can. si quis suadente* 17. *qu.* 4., *cap. Nuper de sent. exc.*

Ad Curiam Romanam Epiſcopi venientes latenter, vel ab eà diſcedentes abſque licentià Papæ, excommunicationem non reſervatam incurrunt *Extrav.2. & 3. de major., & obed.*

Ad Curiam ſecularem ab Eccleſiaſticà recurrentes viâ appellationis. Vide verbo *Appellans.*

Ad Curiam ſecularem Eccleſiaſticos, vel Laicos collitigantes trahentes, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam *in c.* 16. *Bullæ Cœnæ Domini.*

Curia ſecularis ad ſe trahens Eccleſiaſticas Perſonas, aut cauſas Eccleſiaſticī fori. Vide verbo *Juriſdictio.*

Curias Principum ſecularium Religioſi adeuntes animo nocendi ſuis Prælatis, vel Monaſteriis, incurrunt excommunicationem non reſervatam *in Clem.* 1. §. *Quia verò de ſtat. Monach.*

D

DEcimas Eccleſiaſticas Religioſi uſurpantes, aut impedientes, remanent ab Officiis, & adminiſtrationibus ſuſpenſi, donec ſatisfecerint. *Clem. Religioſi de Decim.*

Decimas Eccleſiaſticas uſurpantes, aut impedientes incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam *in cap.*17. *Bullæ Cœnæ Domini, & cap.*11. *ſeſſ.* 22. *de reform. Conc. Trid.*

Decimas impugnantes Religioſi, aut ſcrupulum de Decimis ſolvendis non facientes incurrunt

ex-

excommunicationem non reservatam. *Clem. Cupientes, de Pœn.*

Denunciare omittens offendentem, vel persequentem hostiliter Papam, vel Cardinalem, incurrit excommunicationem Papæ reservatam *cap. Fælicis de pœn. in* 6., *& ex Bullà Pii V. Infelicis.*

Non denunciantes, offendentes, vel quovis modo vexantes collitigantem in Curià Romanà, ejusque Procuratorem, Sollicitatorem, Judicem, Notarium, Testem, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam ex Bullà Alexandri VI. *In eminenti.*

Non denunciantes committentes ambitum ad Papatum, idest, de eodem eligendo tractantes, vivente alio, excommunicationem Papæ reservatam, aliasque pœnas incurrunt, de quibus in can. Si quis Papa, 79. dist., & in Bullà Pauli IV. *Cum secundum.*

Non denunciantes Regulares suffragia procurantes pro electionibus, incurrunt privationem Officiorum, & inhabilitatem ad illa ex Bullà Urbani VIII. *Sacra Congregatio.*

Non denunciantes Hæreticos, alioque in Edicto S. Officii. Vide infra.

Depopulatores agrorum privantur immunitate Ecclesiasticà ex Bullà Greg. XIV. *Cum alias nonnulli*, & si incendunt, excommunicationem incurrunt, & infrà Verbo *Incendiarii.*

Deposita Ecclesiarum, vel Ecclesiasticarum

perſonarum, vel locorum piorum ſequeſtrantes, vel occupantes, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam ex *Concil. Trident. ſeſs.* 22. *de reform. cap.* 11.

Dona facientes Regulares. Vide Verbo *Munera.*

Duellum committentes Clerici, vel procurantes, vel id tentantes, vel locum dantes, vel comitivam pręſtantes, vel chartas duelli ſubſcribentes, affigentes, publicantes, faventes, conſulentes, vel adſtantes, excommunicationem Papæ reſervatam incurrunt, aliaſque pœnas, de quibus in Bullà Pii IV. *Ea, quæ à Prædeceſſoribus.* Gregor. XIII. *Ad tollendum*, & Clem. VIII. *Illius vices, & Conc. Trid. ſeſs.* 25. *cap.* 19.

Præfata excommunicatio, aliæque pœnæ procedunt quoad omnes ſubditos Eccleſiæ Romanę in temporalibus, duellum committentes, vel alia ut ſuprà facientes ex d. Bulla Pii IV. *Ea quæ à Prædeceſſoribus.*

Duellum formatum, & minus ſolemne committentes, vel procurantes quicumque, & cooperantes, excommunicationem Papæ reſervatam, aliaſque pœnas incurrunt, de quibus in dd. Bullis Pauli, Gregorii, & ſignantèr Clementis, & Concil. Tridentin.

E

ECcleſiarum Incendiarii, & violatores. Vide verbo *Incendiarii.*

Eccleſiarum pollutio; Vide verbo *Sacrilegium.*

Ec-

Ecclesiasticorum bonorum usurpatio. Vide *Usurpatio*.

Eligens ad Ecclesias, vel Dignitatem, vel Parochias, Personas ante ætatem, vel indignum, privatur potestate alium eligendi pro illà vice, & suspensus remanet ab Ecclesiasticis Beneficiis per triennium. *cap. cum in cunctis de elect.*

Electionem per calumniam impugnans, per triennium remanet suspensus ab Ecclesiasticis Beneficiis, & si intrà illud tempus proprià temeritate se ingesserit, eo ipso iis perpetuò privatus existit *cap.* 1. §. *Adiicientes*, & §. *Sed si pars de el.*

Electionem non præsentantes electo intrà legitima tempora, culpabiles, per triennium sunt suspensi à Beneficiis *cap. Cupientes* §. *Cæterum de elect. in* 6.

Eligentes, & electionem acceptantes per abusum Laicæ potestatis. Vide verbo *Beneficium.*

Electionis, vel nominationis, vel collationis denegatæ causà vexans personas, aut loca, excommunicationem non reservatam incurrit *cap. sciant cuncti, de elect. in* 6.

Electionem Præfectæ Monialium Monasterii turbantes, excommunicationem non reservatam incurrunt *cap. Indemnitatibus* §. *Postremo de el.*

Episcopi, aliique Præfecti Ecclesiis Cathedralibus, vel Majoribus, si ultrà tres menses consecrationem differant, tenentur fructus restituere, & per alios tres menses, sunt ipso facto privati *ex Concil. Trid. sess.* 23. *cap.* 2. *de ref.* Quos fructus taliter de-

delinquenti neque potest condonare Major Pœnitentiarius, ut declaratur in Bulla §. *A convalidatione*.

Episcopus se ingerens Episcopatui litteris non expeditis, & Clerus eum recipiens; Vide verbo *Gratia*.

Episcopus se ingerens in alienà Diœcesi absque licentià, excommunicationem non reservatam incurrit. *cap. Quoniam in plerisque de Offic. Ordin.* aliasque pœnas ex *Conc. Trident. sess.* 6. *cap.* 5. *de reform.*

Episcopi ad Curiam venientes, vel recedentes latenter. Vide verbo *Curia*.

F

FAlsantes monetam Regis Galliæ, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam *Extrav. Unic. de crim. falsi.*

Falsificantes litteras Apostolicas incurrunt excommunicationem Papæ reservatam *ex cap.* 6. *Bullæ Cœnæ Domini*, aliasque pœnas Bullæ Innocentii X. *In supremâ Justitiæ*.

Utentes dictis litteris, vel impetrantes, incurrunt excommunicationem non reservatam: *cap. ad falsationem de crim. falsi.*

Falsum præsumptum Curialium accipientium litteras Apostolicas de manu alterius, quam destinati Officialis, punitur pœnà excommunicationis non reservatæ. *cap. Dura, de crim. falsi.*

Fidei

Fidei professionem, & juramentum fidelitatis omittentes, provisi de Beneficiis, intrà duos menses, non faciunt fructus suos ex *Conc. Trid. sess. 24. cap. 12. de ref.*

Fidei professionem, & juramentum fidelitatis omittentes in provehendis ad gradus Doctoratus, &c. si sunt Antistites, interdictum ab ingressu Ecclesiæ. Inferiores verò excommunicationem non reservatam incurrunt ex Bullà Pii IV. in *Sacrosancta*.

Furtum, seù rapina rerum sacrarum. Vide verbo, *Sacrilegium*, & verbo, *Incendiarii*.

G

GRatià Papæ utens non expeditis litteris, quas pœnas incurrat vid. *Regul. Cancellar. 27. 31., & 52. cap. eum qui de præb. in 6. Extravag. Injunctæ de elect. inter commun.* Bullas Alexand. V., & Julii II. *Romani Pontificis*, Pauli III. *Eam nobis*, Julii III. *Sanctissimus*.

Gratias obtinentes Curiales, Scriptores, & Sollicitatores per mutationem substantialium in supplicatione, incurrunt pœnas contrà falsantes litteras Apostolicas, atque ideò sunt excommunicati ut suprà, Verbo, *Falsificantes*.

H

HAbitum Religiosi dimittentes incurrunt excommunicationem non reservatam ex

cap.

cap.2.*ne Clerici, vel Monach.*,quę tamen reſervatur in omnibus ferè Conſtitutionibus Religionum.

Habitum prophanum Clerici, & Religioſi geſtantes incurrunt pœnas latas in clem. 2. *de vit. & honeſt. Cleric.* , & in Concil. Conſtantien. ſub Martin. V. ſeſs. 43. in fin. tit. eod.

Hæreticus excommunicationem Papæ reſervatam incurrit in c. 1. *Bullæ Cœnæ Dñi*, eſtque irregularis c.2.*de Hæret.in* 6. Quos autem Hæreticos Major Pœnitentiarius poſſit abſolvere abſque abjuratione apud S. Tribunal (in foro conſcientiæ tantũ) ſi vis, vide in Bullà Innocentii XII. *ſuper facultatibus Majoris Pœnitentiarii*, §. *Eos tantum Hæreticos*. Ab irregularitate autem contractà, inhabilitate, & infamià,quando,& quomodo diſpenſari poſſint Hæretici, & Apoſtatæ redeuntes, Vide Bullam ſuper facultatibus Majoris Pœnitentiarii §. *Cum Hæreticis*.

Eaſdemque pœnas incurrunt receptores,defenſores, fautores, & credentes Hæreticis *ex ſupra allegatis*.

Eorumque filii uſque ad ſecundam generationem per lineam paternam, & uſque ad primam per lineam maternam,ſunt irregulares.*cap.quicumque*, §. *Hæretici de Hæretic.*

Hæreſis ſuſpecta dogmata prædicantes, vide verbo *Prædicatio*.

Hæreſis, vel ſuſpicionis hæreſis causà pœnitentiati, vel abjurantes, irregulares ſunt *cap.* 2. *de Hæretic.in* 6.

Hæ-

Hæreſis, vel aliter ad Sanctum Officium cauſas Regularium Superiores, ſi retardent, vel impediant, incurrunt omnes pœnas fautorum Hæreticorum ex Bullà Pauli V. *Romanus Pontifex*.

Homicidium plerumque ſemper inducit irregularitatem, ſive ex delicto, ſive ex defectu *tot. tit de homicid.*

Homicidium in perſonam Cardinalis. Vide *Majeſtatis læſæ*.

Homicidium in perſonam Epiſcopi. Vide verbo *Injuria*.

Homicidium in perſonam Clerici committens ultrà irregularitatem incurrit excommunicationem Papę reſervatam *Can. ſi quis ſuadente*, 17. *p.* 4.

Homicidium in perſonam conjugis committens, efficitur inhabilis ad contrahendum aliud Matrimonium, & ſi fuerit cum fide datà de contrahendo cum aliâ, vel cum adulterio, non ſolum impedit contrahendum, verum etiam dirimit contractum Matrimonium, ſi poſt tale homicidium fuerit contractum. *Can. ſi quis vivente* 31. *q.* 1. *cap. ſuper hoc*, *de eo qui duxit in Matrim.*, *& cap.* 1. *de converſ. Infidel.*

Homicidium in perſonam ſui ipſius. Vide verbo *Manus*.

Irregularitatem ex homicidio provenientem quando Epiſcopus poſſit diſpenſare, videatur Trident. ſeſs. 24. de Reform. cap. 6. Quando autem, qualiter, quomodo, & quos poſſit diſpenſare Sa-

cra

cra Pœnitentiaria, vide Bullam ſuper facultatibus Majoris Pœnitentiarii §. *Ad hæc ſuper quacumque* §. *Cum Regularibus*, & §. *ſequenti: Volumus tamen*, & §. *cum homicidis*.

Horas canonicas Beneficiatus non recitans per Pium V. Bullà *Ex proximo*, primis ſex menſibus peccat mortaliter. Deinceps tenetur ad reſtituendos fructus beneficii, ſeù beneficiorum, illius diei, quo omittit, ſi totum omittit: ſi tantum omittat Matutinum cum laudibus, aut alias horas diurnas tantum, tenetur reſtituere mediam partem; ſi omittat unam horam diurnam, tenetur ad ſextam partem fructuum illius diei. Ad hæc omnia tenetur non recitans, etiamſi adſiſtat Choro. Et eodem modo tenetur Penſionarius non recitans Officium Beatæ Virginis. Quæ tamen reſtitutio non eſt propriè pœna, ſed obligatio ex juſtitiâ conformiter ad 20. propoſitionem ab Alexandro VII. prohibitam. Veras, & proprias pœnas vide in Concil. Lateranen. 5. ſeſs. 9. §. ſtatuimus.

I.

ILlegitimi etiam occulti, nec ad ordines, nec ad Beneficia promoveri poſſunt cap. 1. *de fil. Presbyteror. in* 6.

Illegitimè natis, etiam legitimatis, relinqui, vel dari non poſſunt à Clericis bona etiam Patrimonialia, neque à Laicis bona Eccleſiaſtica ex Bullis Pii V. *Quæ Ordinis*, & *Ad. Romanum*.

II.

Illegitimè natos ex incestu intrà tertium gradum, vel ex Sacrilegio ob votum solemne, recipiens ad habitum, vel professionem Religiosam absque scrutinio, & approbatione Capituli Generalis, Provincialis, incurrit excommunicationem Papę reservatam ex Bullis Sisti V. *Cum de omnibus*, & Clementis VIII. *In supremà*.

Quos autem illegitimos legitimare possit Major Pœnitentiarius, vide in ejus Bullà §. *Declaramus tamen*.

Immunitatem localem Ecclesiasticam violantes extrahendo, vel offendendo eos, qui ad Ecclesias confugiunt, excommunicationem Papæ reservatam incurrunt ex Bullâ Gregor. XIV. *Cum aliàs*.

Immunitatem, seù exemptionem Ecclesiasticam violantes; imponendo munera personalia, sordida, seù servilia Ecclesiasticis, sive onera patrimonialia, vel mixta, illaque exigens, & Ecclesiastici illis consentientes, excommunicationem incurrunt Papæ reservatam in *cap.* 18. *Bullæ Cœnæ Domini*.

Si autem fuerint munera personalia honesta, & indifferentia, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam *in cap.* 15. *Bullæ Cœnæ Domini*.

Immunitatis verò violatorem, qui ad se recurrit, ubi confessor velit scire, per quem possit absolvi in foro conscientiæ, legat prius Bullam *super facultatibus Majoris Pœnitentiarii* §. *Nequeat tamen*, & §. *Nec similiter valeat*.

In-

Incendiarii Eccleſiarum, incurrunt excommunicationem, quæ non eſt reſervata, niſi poſtquam fuerint ab Epiſcopo denunciati. *Cap. tua nos, ibique Gloſ. de ſent. excom.*

Incendiarii aliorum locorum an aliquam incurrant excommunicationem, duplex eſt ſententia, alia affirmans, alia negans.

Incendiarios, ſivè violatores Eccleſiarum, aliorumque locorum abſolvens, ſeù ad Divina admittens non ſervatà Juris formà incurrit pœnas *Can. Peſſimam*: 23. q. 8., *& cap. ſuper eo, de Raptor.*

Inceſtum committens in figurà Matrimonii excommunicationem incurrit non reſervatam. *Clem. unic. de conſang., & Affinit.*

Inceſtum comminens cum conſanguineis viri, vel Uxoris, intrà ſecundum gradum, amittit jus petendi debitum, *c.* 1. *de eo, qui cogn. conſang. Uxor.*

Indulgentiam plenariam concedentes Religioſi, ideſt, abſolventes à culpà, & pœnà, incurrunt excommunicationem reſervatam Papæ *Clem.* 1. *de Privil.*

Indulgentiam publicantes porrigentibus manus adjutrices, vel ob quęſtum, ſi Epiſcopi ſunt, incurrunt ſuſpenſionem Papæ reſervatam; alii verò inferiores excommunicationem ſimiliter Papæ reſervatam ex Bulla Pii V. *Quam plenum.*

Injuriam faciens Clerico, vel Religioſo per violentam manuum injectionem incurrit excommunicationem Papæ reſervatam *in can. ſi quis ſuadente* 17. q. 4.

Inju-

Injuriâ afficiens Papam, vel Cardinalem in perſonâ, vide verbo: *Majeſtatis læſæ crimen.*

Injuriâ afficiens Epiſcopum, incurrit ultrà illam *can. ſi quis ſuadente*, & alteram *cap.* 11. *Bullæ Cœnæ Domini*, aliam excommunicationem Papæ reſervatam, aliaſque pœnas inflictas *in clem. 1. de pœnit.*

Injuriam inferens in perſonam præcipuorum Eccleſiæ Prælatorum, ultrà alias cenſuras, & pœnas, incurrit excommunicationem Papæ reſervatam *in cap.* 11. *Bullæ Cœnæ Domini.*

Inquiſitionem contrà hæreticam pravitatem Domini, & Magiſtratus temporales, requiſiti ſi fuerint, non adjuvantes, vel impedientes, vel de Cauſis Sancti Officii cognoſcentes excommunicationem incurrunt non reſervatam cap. *Inquiſitionis* de hæret. in 6.

Inquiſitionis S. Officium impedientes, aut in cauſis ad S. Officium pertinentibus ſe intromittentes Superiores Religionum. Vide ſuprà, verbo *Hæreſis.*

Inquiſitionis S. Officium impedientes per violentiam, incurrunt excommunicationem non reſervatam, aliaſque pœnas latas in Bullâ Pii V. *Si de protegendis.*

Inquiſitionis contrà hæreticam pravitatem Officiales ſi aliquem concutiant, incurrunt excommunicationem reſervatam, uſq; ad ſatisfactionem *Clem. 2. de Hæret.*

Inquiſitores, & Epiſcopi, vel ſubſtituti in cau-

sà Fidei, ſeù S. Officii, aliquem vexantes injuſtè, aut conniventes, ſi Epiſcopi ſunt, aut ipſis Superiores, triennalem ſuſpenſionem incurrunt, alii verò excommunicationem Papæ reſervatam *cl.* 1. §. *Verum quia nimis, de hæreſ.*

Inquiſitionis, ſeù S. Officii Proceſſus, ſivè alia ſecreta revelantes, pœnam perjurii, & excommunicationem reſervatam incurrunt ex præceptis generalibus, & ordinationibus Papæ, & ex ſecrecreto ſub dictà cenſurà, quam injungere ſolent, & poſſunt Conſultoribus ſuis, Inquiſitores, & Epiſcopi *ex cap. Statuta*, §. *Et ut eorundem, de hæret.*

Inquiſitores, & Subſtituti S. Officii confiſcantes bona Eccleſiarum, vide verbo. *Confiſcatio.*

Inſordeſcens. Vide verbo *Cenſura.*

Interdictum violantes, & alia de Interdicto, vide verbo *Interdictum.*

Interpretantes, ſeù gloſſantes facultatem aliquam à Sede Apoſtolicà conceſſam ſæpius intrandi Clauſuram Monialium, contrà declarationem factam à Paulo V. in ejus Bullà: *Facultatum*, effectu ſequuto per ingreſſum, incurrunt in Cenſuras, & pœnas latas à Concil. Trid., & Conſtit. Apoſtolic. contrà intrantes Clauſuram Monialium abſque licentià.

Interpretantes Concil. Trident., gloſſando, aut commentaria, annotationes, ſcholia, aut aliud interpretationis genus quodcumque facientes ſine Papæ authoritate, ſi Prælati ſunt, interdictum

ctum ab Ecclesiâ, alii verò excommunicationem non reservatam incurrunt ex Bullâ Pii IV. *Benedictus Deus* §. *ad evitandam*.

Intrudens se in beneficium Ecclesiasticum incurrit excommunicationem Papæ reservatam in *Trident. sess.* 22. *c.* 11. *de ref.*, & si fructus percipit, aliam *in cap.* 17. *Bullæ Cœnæ Domini*.

Intrudens se in beneficium, quod legitimè obtinuit, sed litteris non expeditis, vel non obtentis, vel illis expeditis; sed sine manu legitimi executoris. Vide verbo: *Gratia.*

Irregularis ordines exercens. Vide verbo: *Ordines*.

Judices laici negligentes justitiam facere, vel præbere brachium seculare Judicibus Ecclesiasticis requirentibus, excommunicationem non reservatam quando incurrunt. Vide *cap. Administratores* 23. *q.* 5.

Judicis laici munus Clerici in sacris exercentes, excommunicationem non reservatam incurrunt. *cap. Clericis, ne Cleric., vel Monach.*

Judices gratiâ, vel muneribus justitiam corrumpentes. Vide verbo: *Munera.*

Juramenta exigentes, eaque præstantes de observandis iniquis statutis, vel consuetudinibus, incurrunt pœnas, de quibus *in cap.* 1. *de Jur. jurand. in* 6.

Quæ autem juramenta possit relaxare Major Pœnitentiarius, vide in ejus Bullâ per Innoc. XII. novissimè edita §. *Juramenta*.

Juriſdictionem laici exercentes contrà libertatem Eccleſiaſticam, onera Eccleſiaſticis imponendo, vel extrahendo de loco ſacro, vel leges edendo contrà libertatem Eccleſiaſticam. Vide verbo: *Immunitas*.

Juriſdictionem Eccleſiaſticam Ordinariorum turbantes, ſeù impedientes quicumque incurruut excommunicationem Papæ reſervatam *in cap.* 16. *Bullæ Cœnæ Domini*.

Juriſdictione quacumque, vel privatà poteſtate, cauſarum Eccleſiaſticarum curſum impedientes, vel ad laicum judicium evocantes, & juriſdictionem laicam exercentes in perſonas Eccleſiaſticas, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam *in cap.* 13. *& ſeq. Bullæ Cœnæ Domini.*

L

LEgatos Sedis Apoſtolicæ impediens, vel offendens, incurrit excommunicationem, aliaſque pœnas *Extravag. Unic. de Conſuetud.*, & excommunicationem Papæ reſervatam in *c.* 16. *Bullæ Cœnæ Domini*.

Legenda à Regularibus in publicà menſà ſunt decreta *Clem. VIII. de Largit. muner.* Decretum Sac. Congregationis Concilii *de celebration. miſſar. & de Apoſtat.*; *& eject.*, & Decretum Sac. Congregationis S. Officii de an. 1663. Superiores Regularium tenentur quolibet anno in publica Menſà, vel Capitulo admonere ſubditos de obſervantiâ

tià Decretorum S. Officii, & contrà facientes puniuntur pœnis in dictis Decretis inflictis.

Legum, & consuetudinum iniquarum observantiam jurantes. Vide verbo: *Juramentum*.

Leges, vel statuta, vel ordinationes facientes contrà libertatem Ecclesiasticam, incurrunt, ultrà alias pœnas, excommunicationem Papæ reservatam in *cap.* 15. *Bullæ Cœnæ Domini*.

Libellos famosos conficientes contrà Patres Prædicatores, vel Minores, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam ex Bullà Pauli IV. *Ex alto*, quæ per communicationem compræhendit omnes Religiones.

Libros Hæreticorum hæresim continentes, vel de Religione tractantes, sine Papæ licentià, scienter legens, retinens, imprimens, vel defendens incurrit excommunicationem Papæ reservatam *in cap.* 1. *Bullæ Cœnæ Domini*, & in Bullà Pii IV. *Dominici*.

Libros Hæreticorum quoscumque, vel libros, aut scripta quorumcumque Authorum, etiam Catholicorum ob hæresim aliquam in eis inscriptam, aut ob falsi Dogmatis suspicionem damnata, & prohibita legentes, vel habentes priusquam fuerint expurgata, & permissa, incurrunt excommunicationem non reservatam ex Bullis Pii IV. *Dominici*, *&* *Cum inter*, *&* *in calce Indicis librorum prohibitorum in Reg.* 10. *in fin.*

Libros, aut scripta imprimens, aut imprimi faciens, sine approbatione, seù licentià Superio-

rum, ad quos ſpectat, incurrit excommunicationem non reſervatam ex Bullà Leonis X. *Inter ſollicitudines, ex Trid. ſeſs. 4. de edit. libror. & in Regul.* 10. *Indicis*.

Libros manuſcriptos ante approbationem vulgantes, incurrunt excommunicationem non reſervatam *ex d. Bullà Leon. X., & ex Regul.* 10. *Indicis*.

Libros de rebus ſacris, ſine nomine Authoris, aut ſine examine, & approbatione imprimentes, imprimi facientes, vendentes, retinentes, ſcripto communicantes, aut vulgantes, excommunicationem non reſervatam incurrunt ex dictà Bullà Leonis, & Tridentino *ſeſſ. 4. de edit. libror.*

Libros Aſtrologiæ Judiciariæ, vel aliarum divinationum legentes, habentes, imprimentes. Vide verbo: *Superſtitio.*

Libri, vel ſcripta de Conceptione Beatæ Mariæ Virginis. Vide verbo: *Conceptio*.

Libri, vel ſcripta continentia doctrinam de confeſſione ſacramentali inter abſentes. Vide verbo: *Abſolutio*.

Libros, tractatus, ſeù compoſitiones de auxiliis Divinis edentes, retinentes, legentes, vel imprimentes, incurrunt excommunicationem reſervatam, aliaſque plures pœnas ex Decretis Sac. Congregationis S. Officii, anno 1625 *die* 22. *Maii*, & *anno* 1641. *die primà Auguſti.*

Libros, & Laminas Granatenſes, vel libros de his tractantes, retinentes, imprimentes, vulgantes,

tes, aut eos in concionibus, & reſponſionibus allegantes, incurrunt excommunicationem Papę reſervatam, ex decreto Sac. Congregationis S. Officii *anno* 1639. *die* 5. *Maii*.

Limina Apoſtolorum Epiſcopi non viſitantes, incurrunt pœnas latas in Bullà Sixti V. *Romanus Pontifex*.

Limina Apoſtolorum non viſitantes Epiſcopi ad Curiam Romanam clàm accedentes, & recedentes, eoſque receptantes; vide verbo: *Curia Romana*.

Ludos agitationis Taurorum, & Ferarum agentes, vel ſpectantes extrà Regna Hiſpaniarum, excommunicationem non reſervatam incurrunt ex Bullis Pii V. *De ſalute*, & ex Decretis Gregorii XIII, & Clementis VIII.

Ludos torneamentorum agentes, incurrunt pœnas, de quibus *c.* 1. & 2. *de torneam.*

Ludus aleæ prohibitus eſt de Jure Civili, & Canonico: *can. Epiſcopus* 25. *diſt.*, & *cap. Clerici*, *de vit. & boneſt. Cleric.* & *l. Alearum*, *Cod. de Relig.*, & *ſumptibus funer.*, & *aleator.* Ideòque Confeſſàrii Pœnitentes interrogent, quoad ludum alearum; cum ob illius uſum, & quidem frequentem, in omni genere perſonarum plura committantur gravia peccata: de quibus illi nullum ſibi faciunt ſcrupulum: tum ob frequentiam illius, & conſuetudinem: tum ob quantitatem ludo expoſitam; tum ob artem, & dolum in ludendo: tum ob deſiderium lucrandi: tum ob blaſphemias, &

juramenta : tum denique ob alias cauſas juxtà perſonas, & ludi genera.

M

MAjeſtatis læſę crimen committens, offendendo in perſonà, Papam, vel Cardinales, vel ad id cooperando, plures excommunicationes incurrit Papæ reſervatas, primam *in cap. ſi quis ſuadente* 17. *qu.* 4. ſecundam *in clem.* 1. *de pœnis*, tertiam *in c.* 11. *Bullæ Cœnæ Domini*, & quartam *in cap. Fælicis*, *de pœn. in* 6.

Majeſtatis læſæ crimen committens inquirendo per viam ſuperſtitionis de vità, & morte Papæ, vel Reipublicæ Chriſtianæ ſtatu, vel conſanguiguineorum Papæ. Vide verbo: *Superſtitio*.

Majeſtatis læſæ crimen committens offendendo Familiares Papæ, vel Cardinales, incurrunt ſecundum aliquos excommunicationes latas contrà offendentes Papam, vel Cardinales.

Manus ſibi violentas, inferens Clericus, vel Monachus, excommunicationem Papæ reſervatam incurrit, *can. ſi quis ſuadente*, 17. *q.* 4.

Matrimonia Sacerdotes, vel Clerici, vel Religioſi ſolemnizantes, aut Matrimonio conjungentes ſine licentià Parochi, iucurrunt excommu nicationem Papæ reſervatam in *Clem.* 1. *de privil*, & ſuſpenſionem Ordinario reſervatam ex *Trident. ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *de ref. Matrim.*

Matrimonium ſecundò contrahens eſt bigamus,

mus, ideòque irregularis, *cap.* 1. *cap. debitum*, & *cap. fin. de bigam.*

Matrimonia plura contrahens contrà impedimentum ligaminis, quoad statum Ecclesiasticum bigamus est, & irregularis. *ex cap. cit.*, & quoad statum laicalem impedimentum dirimens secundum Matrimonium contrahit, *cap.* 1., & *seqq. de eo qui duxit &c.*

Matrimonium incestuosum contrahens, seu contrà votum solemne Castitatis, incurrit excommunicationem non reservatam, *ex clem. unic. de consanguinit., & affinit.*

Matrimonium clandestinè contrahens, quas pœnas incurrat, vide *Tridentin. sess.* 24. *cap.* 1. *de reform. Matrim.*

Matrimonii contractus libertatem auferentes, excommunicationem non reservatam incurrunt ex *Trident. sess.* 24. *cap.* 9. *de ref. Matrim.*

Quæ impedimenta Matrimonii, cum impedientia, tum dirimentia, & qualiter possit dispensare sacra Pœnitentiaria, vide *Bullam Majoris Pœnitentiarii* §. *In Matrimoniis contrahendis, cum sex seqq.*; & notabis in §. *Super occulto*, quod Sedes Apostolica concedēs amplissimam jurisdictionem suo Majori Pœnitentiario Cardinali dignissimo ob suas egregias dotes, præcipit tamen, ut adhuc res maturè discutiat, nec per se tantum, sed *in Congregatione*, *vel Signaturà*, esto hæc jurisdictio concedatur ad salutem animarum, ad evitanda scandala &c. ut pudere debeat simplicem Confes-

sorem

ſorem decidere caſus omnes ex ſeipſo, paucis, iiſque vulgaribus tantum libris conſultis &c.

Medici non mónentes infirmos de confeſſione Sacramentali. Vide verbo: *Confeſſio.*

Membra mutilantes ſunt irregulares, *cap. ultim. de hom. in* 6., *& Clem. Unic. eod. tit.*

Miſſarum onera accipiens contrà formam decreti Sac. Congregationis Concilii, quas incurrat pœnas. Vide Bullam Urbani VIII. *de celebrat. miſſar.*

Miſſam celebrans, & ſacramentum non ſumens, in Hiſpanià incurrit excommunicationem per annum non reſervatam *cap. Relatum de conſecrat. diſt.* 2. alibi verò dubium eſt, an dictam cenſuram incurrat.

Miſſam Sacerdos non perficiens, incurrit pœnas *can. Nullus Epiſcopus, de conſecrat. diſt.* 1.

Miſſam celebrans Sacerdos abſque ſtolà, incurrit excommunicationem non reſervatam *ex can. Eccleſiaſtica* 23. *diſt.*

Miſſam celebrans, qui non eſt Sacerdos, vide verbo, *Ordo.*

Monialem fieri, aut Monaſterium ingredi cogens mulierem, aut Monialem fieri impediens, excommunicationem incurrit non reſervatam *ex Trid. ſeſs.* 25. *c.* 18. *de Reg.*

Monialium Præfecta non admonens Epiſcopum de inſtãte tempore profeſſionis Novitiarum, incurrit ſuſpenſionem ab Officio, Epiſcopo reſervatam *ex Trid. ſeſſ.* 25. *cap.* 17. *de Reg.*

Mo-

Monialium Monasteria Regulares adeuntes, aut ibi pernoctantes, aut refectionem sumentes, incurrunt ipsofacto privationem vocis activæ, & passivæ, ex Decretis S. Congregationis Cardinalium, super negociis Regularium, sub Sixto V. Clem. VIII., & Paulo V.

Ex decreto ejusdem S. Congregationis, sub Urbano VIII. *anno* 1623. 12. *Kal. Decembris*, Episcopi quatèr in anno dumtaxat, possunt concedere licentiam Regularibus accedendi ad Monasteria Monialium, cum reservationibus in d. decreto expressis.

Montes Pietatis impugnans excommunicationem non reservatam incurrit, ex Bullà Leonis X. *Inter multiplices*.

Montium Pietatis Officiales, pecunias Montis præter usus destinatos expendere præsumentes, si Episcopi sint, vel illis Superiores, incurrunt suspensionem; inferiores verò excommunicationem Papæ reservatam ex Bullà Pauli V. *Onerosa*.

Montis Pietatis Bona usurpantes incurrunt excommunicationem Papæ reservatam ex *Trid. sess.* 22. *c.* 11. *de ref.*

Munera, seù præmia dantes, vel promittentes, vel acceptantes pro gratià, vel justitià obtinendà in Curià Romanà. vide verbo: *Promittens.*

Munera, seù mercedẽ etiam spontè oblatã accipientes, vel accipi permittentes à Famulis, aliisque personis, Officiales S. Pœnitentiariæ, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam,

aliàs-

aliaſque pœnas in Bullis Pii V. *In omnibus, & In earum rerum.*

Munera, ſeù præmia pro concedendà diſpenſatione Matrimoniali Commiſſarii recipientes vide verbo: *Simonia.*

Muneribus, ſeù prœmiis, gratià, ſeù acceptione perſonarũ juſtitiam corrumpentes Judices Eccleſiaſtici, incurrunt ſuſpenſionem per annum Papœ reſervatam, *ex cap.* 1. *de ſent.*, & *re Judic.*

Munera, ſeù præmia accipiens Judex Eccleſiaſticus delegatus, exceptis eſculentis, & poculentis, peccat mortaliter, & tenetur ad reſtitutionem, *cap. ſtatutum* §. *Inſuper*, & §. *Si quid autem de reſcript.*

Munera, ſeù largitiones facientes, vel aceeptantes de bonis Communitatum, & Univerſitatum ſtatus temporalis Eccleſiæ Romanæ, aut aliàs de bonis in communi collectis, incurrunt plures pœnas latas in Bullà Clem. VIII. *Pro commiſſa.*

Munera, ſeù largitiones, ſeù præmia accipientes Gubernatores, & alii Officiales ſtatus temporalis Eccleſiæ Romanæ, exceptis eſculentis, & poculentis, quæ triduò conſumi poſſint, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam, aliaſque pœnas Pauli II. *Munera*, & Sixti IV. *Etſi.*

Munera Viſitator, vel ejus Familiaris accipiens, vide verbo, *Viſitatio.*

Munera largientes Religioſi incurrunt pœnas in Bullis Clem. VIII. *Religioſæ Cougregationes*, & Ur-

Urbani VIII. *Nuper à Congregatione*, & vide sub verbo: *Regulares*.

Recipientes autem munera à Religiosis, à nemine possunt absolvi, ante factam restitutionem ex dictis Bullis.

N

NAufragantium bona Christianorum injustè capientes, vel detinentes incurrunt excommunicationem Papę reservatam, *cap.* 4. *Bullæ Cœnæ Domini*.

Negociatio Ecclesiasticis personis interdicta est; ideòque acquisita per negociationem Cameræ Apostolicæ applicata sunt ipso Jure ex Bullà Pii IV. *Cum sicut*, & Pii V. *Cum itaque*.

Novitios recipiens in locis non designatis à Sede Apostolicà, incurrit pœnas Bullæ Clementis VIII. *Regularis disciplinæ.*

Nuncians infidelibus, vel Hæreticis aliquod in præjudicium Reipublicæ Christianæ, vel Catholicæ Religionis, & ad id cooperantes, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam in *cap.* 7. *Bullæ Cœnæ Domini*.

Nunciantibus provisiones Ecclesiarum in Curià Romanà factas, donans aliquod, vel promittens, excommunicationem Papę reservatam olim incurrebat ex Bullà Gregorii XI. *Sollicitè*; hodie dubium est.

Obla-

O

OBlationes Eccleſiarum, vel piorum locorum uſurpantes quicumque, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam, *ex can. Hanc conſuetudinem*, 28. *q.* 1. *ex Conc. Trid. ſeſſ.* 22. *cap.* 11. *& in cap.* 8. *Bullæ Cœnæ Domini.*

Oblationem recipientes Clerici ab Uſurariis manifeſtis, incurrunt ſuſpenſionem non reſervatam, aliaſque pœnas, *c. quia in omnibus, de Uſur.*

Oblationem ſolemnem inter Miſſam ab excommunicato, vel interdicto nominatim à Papa, vel ab homine recipientes, incurrunt eandem excommunicationem Papę reſervatam, *cap. ſignificavit, de ſent. excommunic.*

Si verò fuerint ab alio nominatim excommunicati, vel interdicti, oblationem recipiens incurrit interdictum ab Eccleſiâ, reſervatum illi, qui cenſuram tulerat, *c. Epiſcoporum, de priv. in* 6.

Obligantes Eccleſias ſuas, vel eas obligandi facultatem concedẽtes, vel ex alieno gravantes aliorum gratiâ, incurrunt ſuſpenſionem non reſervatam, *cap.* 2. *de ſolut.*

Obligatos ad ratiocinia, vel ære alieno gravatos ad Religionem, vel Clericatum perperàm admittens, ideſt, abſque præcedente informatione de vitâ, & moribus, & abſque ſcrutinio, incurrit pœnas Bullarum Sixti V. *Cum de omnibus*, & *Ad Romanum*, & Clementis VIII. *In ſupremâ.*

Or-

Ordines sacros recipiens ante legitimam ætatem, incurrit suspensionem durantem usque ad legitimam ætatem ex Bullà Pii II. *Cum ex sacrorum*

Ordinem recipiens in censurà excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, incurrit suspensionem ab exercitio Ordinis suscepti, *cap. cum illorum de sent. excommunic.*

Ordines furtivè recipiens, si facta non fuit interminatio ab Ordinante, incurrit suspensionem, si verò facta fuit interminatio, incurrit etiam excommunicationem Papæ reservatam *c.* 1. 2. & 3. *de eo qui furt. ordin. suscep.*

Ordines illitterati recipere non valent, *can. Illitteratus*, 36. *dist. cap. fin. de temp. Ord. in* 6.

Ordines conferens irregulari, vel indigno, suspensus remanet ab officio conferendi Ordines, *can. si quis Episcop.* 1. *q.* 1.

Ordines sacros recipiens absque titulo legitimo Beneficii, vel Patrimonii, vel Pensionis, vel Religiosæ paupertatis, suspensus remanet, *can. Sanctorum*, 17. *dist.* & *Trident. sess.* 21. *c.* 2 *de Ref.*

Ordines recipiens Religiosus laicus, seù Conversus, vel Apostata, suspensus remanet ex Bullà Clem. VIII. *Cum ad Regularem.*

Ordines suscipiens per saltum, remanet suspensus ab Ordine sic suscepto. *Cap. unic. de Cleric. per salt. promot.*

Ordines extrà tempora recipiens, est suspensus, *cap. sanè, de temp. ord.*, & ex Bullà Pii II. *Cum ex sacrorum*.

Or-

Ordines minores cum ſubdiaconatu, vel duos ſacros recipiens eodem die, eſt ſuſpenſus ab exercitio Ordinis poſteriùs recepti, *cap. Litteras de temp. ordin.*

Ordines recipiens abſque licentiâ, vel dimiſſorialibus ſui Ordinarii, ſuſpenſus remanet: *can. ſi quis auſus*, 71. *diſt.* & ex Bullâ Pii II. *Cum ex ſacrorum.*

Ordines Ultràmontanus recipiens in Italiâ ſine dimiſſorialibus in formâ debitâ, vel ſine ſpeciali Papæ licentiâ, ſuſpenſionem Papæ reſervatam incurrit *ex c.* 1. *de temp. Ord. in* 6.

Ordines recipiens ab Epiſcopo excommunicato non tolerato, ſuſpenſionem Papæ reſervatam incurrit *c.* 1. & 2. *de Scbiſm.*

Ordines recipiens, Romæ commorans, ſine licentiâ Cardinalis Vicarii, extrà Urbem Romam, etiam cum litteris dimiſſorialibus ſui Ordinarii, ſuſpenſionem Papæ reſervatam incurrit ex Edicto Cardinalis Vicarii, *de anno* 1603. ſub Clemente VIII., & ex Brevi Alex. VII.

Ordinem ſacrum exercens, quem non habet, irregularis fit. *cap.* 1. & 2. *de Cleric. non ordin. miniſtr.*

Quid autem poſſit, & qualiter circà malè promotos ſacra Pœnitentiaria, vide Bullam §. *Cum malè promotis*, in quo tamen non loqnitur de promoto ſimoniacè, ſed in ſequenti.

Pa-

P

PApæ electi nondum coronati litteras impugnantes, incurrunt excommunicationem non reservatam. *Extravag. quia nonnulli de sent. excommunic.*

Parochialia jura occupantes Religiosi incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, *cl.* 1. *de priv.*

Patronatus jus usurpans in Ecclesiâ liberâ, & cooperantes, vide verbo: *Usurpatio*.

Patronus usurpans bona suæ Ecclesiæ, aut impediens à Ministris percipi, aut cooperans, aut in fructuum perceptione se ingerens, vide *Tridentin. sess.* 22. *c.* 11., *& sess.* 25. *c.* 9.

Patronus vendens jus patronatum, vel actum præsentationis, aut percipiens Turnorum lucra, vide verbo, *Simonia*.

Patronus admittens resignationem extrà casus à Jure permissos, vide Bullam Pii V. *Quanta*.

Patronus præsentans cum confidentiâ, vide verbo, *Simonia*.

Patronus præsentans scienter indignum privatur illâ vice, jure præsentandi. *cap. cum in cunctis de elect.*

Pensionem irritam exigentes incurrunt excommunicationem Papæ reservatam *in cap.* 17. *Bullæ Cœnæ Domini*.

Peregrinos causâ devotionis, ad Urbem Ro-

mam venientes offendens, incurrit excommunicatiouem Papæ reſervatam *in cap.* 10. *Bullæ Cœnæ Domini*.

Peregrinantes ad Sanctiſſimi Domini Sepulchrum abſque licentiâ Papæ, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam. *S. Antonin. 3. partit.* 24. *c.* 30. *in fin.*

Piratæ, ſeù latrunculi maritimi Maris Pontificii, eorumque fautores, receptatores, & defenſores, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam *in cap.* 3. *Bullæ Cœnæ Domini*.

Prædicantes dogmata, vel miracula falſa, vel falſas revelationes, aut detractiones de Prælatis, incurrunt excommunicationem non reſervatam, & privationem officii concionandi, ex Bulla Leonis X. *Supernæ Majeſtatis*.

Prædicatores impugnantes Montes Pietatis, vide verbo. *Montes Pietatis.*

Prædicatores decimas Eccleſiaſticas impugnantes. vide verbo. *Decimæ.*

Promittens, paciſcens, dans, deponens, vel etiam recipiens aliquid, ſivè parvum, ſivè magnum cuicumque, vel à quocumque, etiam ſpecialitèr exprimendo, ad effectum impetrandi aliquam juſtitiam, vel gratiam ab Apoſtolicâ Sede, incurrit excommunicationem Papæ reſervatam; & gratia ſic obtenta eſt irrita, ac nullius roboris. Bonifacius VIII. Greg. XIII., Alexander VII. & tandem Innocentius XII. in Bullâ *Sacramentalem*.

Ita excommunicati non poſſunt abſolvi, niſi prius

priùs erogatum sit pauperibus tantum, quantum fuit datum, vel receptum.

Promittens hujusmodi &c. præter excommunicationem, incurrit ipso jure privationem cujuscumque Beneficii, & Officii, tum Ecclesiastici, tum Secularis, inhabilitatem perpetuam ad illa, & perpetuam infamiam.

Incurruntur hæ pœnæ, sive gratia, & justitia sit spiritualis, sive temporalis, sive mixta.

Incurruntur, etiamsi gratia, vel justitia expectetur, non ab ipso Pontifice, sed ab Officialibus Curiæ, quanquam hi essent Laici, dummodò gratia, vel justitia expectetur in Urbe, seù in loco, ubi moratur Curia.

Incurruntur, non solùm, quando pro hac justitià, vel gratià obtinendà fit actio intrinsecè mala, sed etiam quando fit actio mala solùm, quia prohibita per Pontifices prædictos.

Incurruntur, etiamsi promittens, non habeat animum dandi &c., quod promittit, dummodò verba de se sint apta inducere obligationem justitiæ, vel fidelitatis.

Incurruntur, esto hujusmodi promissio &c. fiat in bonum finem, cessetque omnis mali suspicio.

Incurruntur etiam, quando hujusmodi promissio &c. tendit ad impediendum, ne alter obtineat gratiam, vel justitiam.

Incurruntur, etiamsi promissio fiat verbis, vel signis æquivocis, ut si quis promitteret se esse gratum, dummodò verba, vel signa de se, vel ex cir-

cumſtantiis apta ſint inducere, non modo juſtitiæ, ſed etiam fidelitatis obligationem.

Incurruntur, etiamſi promiſſio &c. fiat ad defendendum jus quęſitum, vel aſſecutionem quęrendi, ſeù ad redimendam vexationem injuſtam.

Incurruntur, etiamſi promiſſio &c. fiat pro obtinendis officiis minoribus, vel non habentibus, juriſdictionem.

Incurruntur, etiamſi promiſſio &c. fiat de ſolvendà per aliquod tempus parte, vel penſione.

Incurruntur, etiamſi promiſſio non ſit acceptata, vel non ſecuta traditio.

Incurruntur, etiam per illos, qui inſerviunt ſuis Dominis cum incertà mercede, vel nullà, ita quod eorum tota merces ſint munera adventitia.

Incurruntur, etiamſi promiſſio &c. ſit de re parvà, quæ ex ſe animum movere non poſſit, dummodò fiat pro juſtitià, vel gratià obtinendà.

Incurruntur, etiam per illos, qui mediatè, vel immediatè cauſa ſunt, ut aliquid hujuſmodi promittatur &c.

Incurruntur, etiam à promittentibus &c. qui ſunt extrà Urbem, in toto Orbe, dummodò promittatur &c. pro gratià, vel juſtitià obtinendà in Urbe, vel ubi extat Curia Pontificis.

Incurruntur, etiam à Curialibus &c., qui paciſcuntur &c. aliquid, ſub titulo mercedis, pro labore ad illam obtinendam, ſi quod paciſcuntur ſit excedens mercedem dari ſolitam pro tali labore.

Incurruntur, etiam per Miniſtros &c. quibus in-

cum-

cumbit expedire gratiam, vel justitiam, si paciscantur &c. aliquid pro celeriori, aut faciliori expeditione.

Non tamen incurruntur, si exhibeantur xenia solita, esculenta, vel poculenta, quæ consueverunt exhiberi Curiæ Romanæ Ministris.

R

RAptus mulieris ad effectum contrahendi Matrimonium, inducit impedimentum dirimens inter raptorem, & raptam, quousque ista est in potestate illius, & raptor, auxiliantes, & faventes incurrunt excommunicationem non reservatam, ex *Trid. sess. 24. c. 6. de Matr.*

Regulares non possunt largiri dona, seù munera cuivis personæ, undecumque habeant illa bona, sub pœnà privationis activæ, & passivæ vocis, omnium officiorum, & inhabilitatis ad ea, absque declaratione Superiorum, & tales ut Simoniaci puniendi sunt *Clem. VII. Const. 28. Religiosæ.*

Regularium nomine hìc intellige Capitula, Conventus, Congregationes, Superiores eorum, Generales, Provinciales, Abbates, Præpositos, Præceptores, & alios Priores, Guardianos, Rectores, Abbatissas, Priorissas &c. Isti omnes, nec proprio, nec communi nomine dare possunt aliquod munus, neque ex usu, vel consuetudine, nisi causà cognità, & approbatà in Capitulo, aut Congregatione Generali. *Ibidem* §. 2.

Nec etiam ex bonis particularibus poteſt Regularis dare munus, ſive ab amicis, ſive ab aliis bona illa habuerit, ſive ex redditibus, ſive alio modo. *Ibidem* §.3. Et comprehenduntur in hac Conſtitutione omnes Regulares cujuſcumque gradus, qualitatis, vel conditionis. *Ibidem* §.3.

Regulares non poſſunt erogare pecunias pro ſervitio, vel honore alicujus, ſive Protectoris, ſive Benefactoris, ſive pro prandiis &c., ſive pro ſpectaculis, etiam piis; Poſſunt tamen erogare in uſum pauperum in caſu neceſſitatis, habitâ licentiâ Superiorum. *ibidem* §.5.

Excipiuntur caſus in fundatione, vel donatione Eccleſiæ, Conventus, prędii &c. expreſſi. *ibidem* §. 6.

Regulares nihil poſſunt donare Congregationi Regulari, neque Protectori etiam Cardinali, Viceprotectori, Generali, Provinciali, &c. & ipſi recipientes tenentur reſtituere Monaſterio, non Fratri particulari, aliàs non poſſunt abſolvi, Clemens VIII. *Conſtit.* 28. *Religioſæ*, §.7.

Eandem Conſtitutionem, & diſpoſitionem ejus confirmat Urbanus VIII. *Conſt.* 46. *Nuper*. ſed aliqua dubia in eâ occurrentia declarat. Primò, quod Regulares de Superiorum localium conſenſu in ſcriptis (& majoris partis Conventus ſi talis ſit uſus, vel conſuetudo) ob gratitudinem, conciliationem benevolentiæ, & conſervationem ejus circà Religionem, poſſunt largiri munuſcula, eſculenta, & poculenta, ſi abſit ambitionis

ſuſ-

ſuſpicio: hac autem ceſſante, neq; in his requiritur licentia Superiorum in ſcriptis, ſed ſufficit oretenus data. 2. commeſſationes, & compotationes cum benefactoribus, Protectoribus, vel Ordinariis, cenſentur prohibitę, ſolum, quando ſunt contrariæ decentię, ſtatus religioſi. 3. declarat, quod accepta à Regularibus debent reſtitui Conventui, ad quem pertinent de jure, ſi id commodè fieri poteſt, aliàs viciniori. 4. quod qui receperint dona Regularium, ſi moderata ſunt, poſſunt abſolvi à confeſſore ordinario, uſque ad illud tempus emanationis Bullæ; alii verò qui immoderata, à Summo Pœnitentiario. *Ibidem.*

Mandatur eandem Conſtitutionem obſervari ſub pęnà privationis Officiorum: nèc valet allegari non uſus, vel conſuetudo contraria, ne præfatæ pœnæ incurrantur. *Ibidem.*

Item ſub eiſdem pœnis prȩcipitur, ut ſemel in anno, in menſe Januario, Superiores curent hanc Conſtitutionem legi in aliquà publicà Congregatione, vel in Mensà publicà. *Ibidem.*

Tandem prohibetur, ne Regulares, vel alii, ſive Superiores, ſivè non, cujuſcunque gradus, conditionis, dignitatis &c. audeant declarare, vel interpretari prȩfatam Conſtitutionem. *Ibidem.*

Qualiter autem, & ſub quo reſtitutionis onere Major Pœnitentiarius poſſit àbſolvere illum, qui à Regulari accipit hujuſmodi munera prohibita. Vide in Bullà, *ſuper facultatibus Majoris Pœnitentiarii. §. Munera.*

Religioſi Prelati numerum familię in ſuis Conventibus augentes, abſque licentiâ S. Congregationis Concilii, incurrunt privationem vocis activę, & paſſivę, ex decreto Urbani VIII. *de celebratione miſſar. in Bullar. conſt.* 43.

Religioſum peregrinum ſine Patentibus accedentem, Regulares accipiętes, incurrunt privationem vocis activę, & paſſivę, Officiorum, Graduum, & dignitatum, ac inhabilitatem ad illa, ex Bullâ Sixti V. *Cum de omnibus, & ſed Romanum.*

Religioſi Romam ingredientes abſque licentiâ competenti, incurrunt pœnas privationis vocis activæ, & paſſivæ ad biennium, aliaſque, de quibus in Bullâ Clementis VIII. *Nullus omnino*, & in Trident. *ſeſſ.* 25. *de Regularibus*.

Religioſi Superiores non obſervantes diſpoſitionem *Concil. Trident. ſeſſ.* 25. *cap.* 14. *de Regular.* ſuper punitione ſubditorum, incurrunt privationem vocis activæ, & paſſivæ, ex Bullâ Clem. VIII. *Suſcepti muneris*.

Religioſi reſtitutiones, vel legata impedientes; vel ſibi ipſis procurantes cum præjudicio aliorum Eccleſiaſticorum, incurrunt pęnas *Clem.* 1. *§. quibus etiam de privil.*

Religioſi Superiores ejectos, vel fugitivos non requirentes, ut redeant, vel eoſdem emendatos non recipientes incurrunt pœnas *cap. fin. de Regular.* & Bullæ Urbani VIII.

Reliquias Sanctorum extrahentes è Criptis, Catacum-

tacumbis, vel Cęmeteriis intrà, vel extrà Urbem Romam, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam, aliaſque pœnas ex edicto Vicarii Urbis, *anno* 1613. *die* 24. *Auguſti*, & 1614. 16. *Maii*, ſub Paulo V.

Repreſalias concedentes, vel iis abutentes contrà perſonas Eccleſiaſticas, incurrunt excommunicationem non reſervatam, *ex cap. unic. de jur-jur. in* 6.

Reſidentiam Epiſcopi, aliique Prælati Superiores non facientes incurrunt pœnas Trident. *ſeſſ.* 6. *cap.* 1., & *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *de Reform.*, & Bullæ Urbani VIII. *Sancta Synodus*.

Reſidentiam non facientes Parochi, aliique curam animarum habentes, Epiſcopis inferiores incurrunt pœnas *Trid. loc. cit.*

Reſidentiam Canonici, vel Præbendati non facientes in loco Eccleſiæ, vel Choro non intervenientes, incurrunt pœnas *cap.* 3., & 4., & *cap. Audientiam de Cleric. non reſid.*, & *cap. unic. eodem tit. in* 6., & *Trident. ſeſſ.* 24. *cap.* 12. *verſ. Prætereà*.

Reſidentiam Cardinales apud Sedem Apoſtolicam non facientes, incurrunt pœnas Bullæ Leonis X. *Superna*.

Reſignantes, ſeù dimittentes Beneficia Curata ad favorem alterius, contrà juramentum in Curiâ Romanâ præſtitum, de quantocyus eundo, & per ſe inſerviendo, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam, privationem Beneficii;

& in-

& inhabilitatem ad alia conſequenda, ex Bulla Pii IV. *Inter multiplices*.

Reſignationes Beneficiorum admittentes extrà caſus à Jure permiſſos, incurrunt pœnas Bullæ Pii V. *Quanta*.

Reſignationem Beneficii fieri procurantes per injuſtam carcerationem Beneficiati, incurrunt pœnas latas in *clem. multorum de pen.*

Ritus Eccleſiaſticos pro libito mutari poſſe aſſerens, incurrit excommunicationem reſervatam ex *Trid. ſeſſ. 7. de Sacram. can. 13. ſeſſ. 22. can. 5., & ſeſſ. 24. can. 11.*

Ritum Latini, vel Græci in ſuà ordinatione mutantes, incurrunt ſuſpenſionem ab exercitio ordinum. *cap. Quod translationem de temp. ordin.*

Ritum Breviarii mutantes, incurrunt pœnas Bullæ Pii V. *Quod à nobis*.

Romanæ Eccleſiæ ſtatum invadentes, aut detinentes, vel ejus ſupremam temporalem juriſdictionem uſurpantes, aut detinentes, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam *in Extravag. Etſi Dominici de pœnit., & remiſ. in Trid. ſeſſ. 22. cap. 11. & in Bullà Cœnæ Domini, cap. 20.*

S

SAcramentum Pœnitentiæ inter abſentes perfici poſſe. Vide verbo, *Abſolutio*.

Sacramentum Confeſſionis, vel Communionis ſemel in anno omittens, incurrit pœnas

cap.

cap. omnis utriuſque, de penit., & remiſs.

Sacramentum alienis Parochianis miniſtrans vide verbo, *Uſurpatio.*

Sacrilegium committens ſpoliando Eccleſias cum effractione, incurrit excommunicationem, poſt denunciationem, Papæ reſervatam. *can. quiſquis* 17. *q.* 4. *cap. conqueſti de ſent. excom.*

Sacrilegium committens, auferendo ornamenta, vel lapides Eccleſiarum Urbis Romę, incurrit excommunicationem Papæ reſervatam ex Bullà Sixti IV. *Cum provida.*

Sanctum Officium offendentes, vel non adjuvantes, vide verbo, *Inquiſitio.*

Schiſmatici incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam *in cap.* 1. *Bullæ Cœnæ Domini.*

Secreta S. Officii revelantes. Vide verbo, *Inquiſitio.*

Secreta S. Conciſtorii revelantes, vide verbo *Conciſtorium.*

Secreta S. Rotæ revelantes, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam ex Bullà Urbani VIII. *Exponi.*

Secretum S. Congregationis Rituũ, quoad Canonizationem Sanctorum, revelantes, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam ex pluribus decretis Pontificiis, à quà neque Major Pœnitentiarius poteſt abſolvere.

Sepulturæ transferendę causà Cadaver comminuens, incurrit excommunicationem Papæ reſervatam, *Extravag.* 1. *de Sepult.*

Sepul-

Sepulturam in ſuis Eccleſiis, inter vivos eligi ab aliquo, vel non mutari procurans, incurrit excommunicationem Papę reſervatam. *clem. Cupientes, §. ſanè, de pęn.*, aliaſque pœnas *cap.* 1. *de ſepult. in* 6.

Sepelientes hęreticos, vel eorum credentes, receptatores, defenſores, vel fautores in loco Sacro, incurrunt excommunicationem reſervatam, uſque ad exhumationem Cadaveris. *c.* 1. *de hæretic. in* 6.

Sepelientes in loco Sacro, tempore interdicti, aut aliàs excommunicatos publicè, vel interdictos nominatim, vel uſurarios manifeſtos, incurrunt excommunicationem reſervatam Ordinario. *clem. prima, de ſepult.*

Sequeſtrantes juriſdictiones, vel fructus, aut proventus ad Eccleſiaſticos pertinentes, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam *in cap.* 17. *Bullæ Cœnæ Domini*.

Sequeſtrationem Beneficii, vel fructuum ab Ordinario fieri impedientes, incurrunt excommunicationem reſervatam uſque ad revocationem impedimenti. *Clem. Unica de Sequeſtr. poſſeſſ.*

Sequeſtrantes Depoſita Eccleſiaſticorum, vide verbo, *Depoſita*.

Servitute ſubjiciens Chriſtianum, aut aliàs eum injuſtè detinens, aut bonis expolians, incurrit excommunicationem Papę reſervatam ex Bulla Pii V. *Licet omnibus*.

Ser-

Servus ad Ordines promoveri nequit, quamdiu ſervus manet *cap 2. de ſerv. non ordin.*

Simonia realis in ordine, beneficiis, & ingreſſu Religionis, annexam habet excommunicationem Papæ reſervatam, quam incurrunt non ſolùm principales, verum etiam complices, & mediatores & pretium eſt reſtituendum Eccleſiæ vel Pauperibus. *Extravag.* 1.2., & *Can. deteſtabile de Simon.*

Aliaſque pœnas incurrunt Simoniaci, & mediatores, de quibus conſulat Authores Confeſſarius, & prefertim irregularitatem Simoniaci in Beneficiis, ex *cap. pœn. de elect.*, & *cap. de Simoniaco de Simon.*, & ex Bullà Pii V. *Cum primum.*

Simonia confidentialis ſuper Beneficiis quomodo committatur, & quas pœnas habeat annexas vide Bullas Pii V. *Romanum decet*, & *Intolerabilis.*

Simoniam in examine ad Parochiam quando committant Examinatores, & concurrentes, & quas pœnas incurrant *Conc. Trid. ſeſs.* 24. *cap.* 18. *de Ref.*

Simoniam committens, procurando Beneficia in Curià Romanà, vel pro ignorantibus, cum intentione ſuper eiſdem contrahendi, vel pro ſe, vel pro aliis, cum oblatione penſionis, vel pro aliis cum ſpe conſequendi premium temporale, incurrit excommunicationem Pape reſervatam, aliaſque pœnas ex Bullà Pauli IV. *Inter cœteras.*

Simoniã committens ſuper Beneficiis Turnorum

rum lucra dando, vel recipiendo, incurrit excommunicationem Papæ reſervatam, aliaſque pœnas *Extravag. 2. de elect.*, & *Extravag. unic. de Sed. vac.*, & *Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 14.*

Simoniam committens in electione Papæ, quas pœnas incurrat, vide Bullã Pii II. *Cum tam Divino.*

Simoniam committens ſuper Jurepatronatus, vel ſuper preſentatione ad illum, excommunicationem Papę reſervatam, aliaſque pœnas incurrit *cap. de jure*, *cap. quia Clerici*, *de Jurepatron. Trid. ſeſſ. 25. cap. 9. de Reformat.*

Simoniam committens, publicando indulgentias, vel concedendo facultatem pro reſervatis caſibus, & cenſuris, vel privilegia Miſſæ, & ſepulturæ, tempore interdicti, & aſſumendi duos, vel plures Compatres in Baptiſmo, incurrit pœnas Bullæ Pii IV. *Quam plenum.*

Simonia ſuper ſepulturæ electione. Vide verbo. *Sepultura.*

Simonia Officialium S. Pœnitentiariæ, vide verbo. *Munera.*

Simoniam committens in executione litterarum Apoſtolicarum, ſuper diſpenſationibus Matrimonialibus, incurrit excommunicationem Papæ reſervatam, aliaſque pœnas. *Trid. ſeſſ. 24. cap. 5. de Reform.*

Simonia ſuper proviſionibus Eccleſiaſticis pluribus modis committitur, & annexam habet excommunicationem, aliaſque pœnas *ex ſupracit. authoribus.*

Quos

Quos autem Simoniacos, & qualiter possit absolvere Major Pœnitenliarius. vide ejus Bullam §. *Cum promotis ad Sacros*, & §. *Sequenti*: *A dispensationibus*.

Societatis Jesu Institutum impugnantes, vel mutari procurantes, incurrunt excommunicationem Papę reservatam, aliasque pœnas ex Bullis Gregorii XIII. *Ascendente Domino*, & Gregorii XIV. *Ecclesiæ Catholicæ*.

Sodomiam exercentes Clerici, irregulares sunt ex Bullà Pii V. *Horrendum*.

Sponsiones facientes super vità, vel morte Papę, vel electione Papę, vel promotione Cardinalium, incurrunt excommunicationem Papę reservatam ex Bullà Gregorii XIV. *Cogit nos*.

Ad studia quęcunque accedentes Religiosi, sine licentià Superiorum extrà Claustra, incurrunt excommunicationem non reservatam, in *cap.* 2. *Ne Cleric. vel Monach. in* 6.

Ad studia legum Civilium, aut Medicinę à Claustris exeuntes Religiosi, & intrà duos menses non redeuntes, incurrunt excommunicationem non reservatam *cap. Non magnopere*, & *cap. Super specula*, *Ne Cleric. vel Monach.*

Idem dic de Clericis secularibus, ex eodem cap. *Super speculà*.

Eandem pœnam incurrunt docentes, & in suà scholà retinentes, *cap.* 2. *Ne Cleric. vel Monach.*

Quod tamen non procedit in Urbe, aliisque Universitatibus habentibus privilegium, Clericos Secu-

Seculares, & Regulares legere, & ſtudere poſſe.

Superſtitioſè agens, ideſt, divinationem conſulens, vel docens, excommunicationem non reſervatam incurrit: *can. Aliquanti*, 26. *q.* 5. *& can. Si quis Ariolos*: 26. *q.* 5. & reſervatam, ſi eſt cum errore fidei in intellectu, ex *cap.* 1. *Bullæ Cœnæ Domini*, vel ſi divinatio eſt de vitâ, ſivè morte Pontificis, ſivè de Statu Reipublicę Chriſtianę, vel Sedis Apoſtolicę, ex Bullâ Urbani VIII. *Inſcrutabilis*. Et hęc excommunicatio contrà exercentem ſuperſtitionem judiciariam ſuper vitâ, & morte Pontificis, neque poteſt abſolvi à Majore Pœnitentiario, ut ex ejus Bullâ §. *Nec pariter poſſit*.

Confeſſarius moneat Pœnitentes, ſi Rei ſint, vel complices, ut ſe preſentent in Tribunali Sanctę Inquiſitionis, ad effectum gaudendi privilegio ſpontè comparentium.

Si verò ſint conſcii dumtaxat, denunciare faciat Reos in Tribunali Sanctę Inquiſitionis, & ſi illi fuerint contumaces in denunciando, non poſſunt abſolvi ab excommunicatione incurſa, & Sacro Tribunali reſervatâ ex Edicto Generali emanato, *ſub die* 22. *Decembris* 1700.

T

TEſtimonii cauſam fingens, ob quam Judex ad mulieris examinandæ domum accedat, excommunicationem non reſervatam incurrit *cap. Mulierem, de Judic. in* 6.

Tor-

Torneamenta agentes. Vide verbo: *Ludus.*

Transmarinam peregrinationem assumentes sine licentiâ Papæ, vide verbo: *Peregrinatio.*

Tutelæ munus Ecclesiasticis imponens, vide verbo: *Immunitas.*

V

VAcantium Ecclesiarum, vel Beneficiorum bona, vel fructus occupantes, excommunicationem Papæ reservatam, aliasque pœnas in *Trid. sess.* 22. *cap.* 11. *de Ref.*, & *in cap.* 17. *Bullæ Cœnæ Domini.* incurrunt.

Vacantium Ecclesiarum, vel piorum locorum bona occupare præsumentes, per usurpationem Jurispatronatus, seù Custodiæ in eildem, & ad hęc Clerici cooperantes incurrunt excommunicationem non reservatam, aliasque pœnas *cap. General. de elect. in* 6.

Vacantium Ecclesiarum secularium, vel Regularium bona, Clerici earundem occupantes, suspensionem ab Officio, & Beneficiis incurrunt *cap. Cum sæpè de el. in* 6.

Vacantium Beneficiorum bona occupantes Collatores, Patroni, vel Custodes eorumdem, incurrunt pœnas *cap. præsenti, de Offic. Ordin. in* 6.

Vacantium Beneficiorum in Ecclesiis suis fructus annuales occupantes prætextu consuetudinum, vel Privilegiorum, incurrunt pœnas *Extrav. Unic. Ne sed. Vacan.*

nas *cap. 2. de rebus Eccleſiaſticis non alienandis*.

Uxoricidium committens, vide verbo: *Homicidium*.

Quis autem poſſit abſolvere à pœnis, & diſpenſare in impedimentis, pluriès dictum eſt ſuis locis: At juvabit hìc aliquid repetere pro coronidè hujus capitis. Igitur Privilegiati Regulares, & ſi quę aliæ Congregationes eorum privilegiis fruuntur, poterunt, in foro conſcientiæ tantùm, abſolvere à pęnis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, etiam Papæ reſervatis, exceptis excipiendis, quæ ſunt expreſſa ſuis locis. Alias pœnas, aut impedimenta, neque in foro conſcientiæ poſſunt relaxare. In vim Tridentini ſeſs. 24. cap. 6. de ref. aliquid plus poſſunt Epiſcopi (ſolum tamen in ſuà Diœceſi, & in ſuos ſubditos) etenim primò poſſunt in foro conſcientiæ per ſe, vel per ſuum Vicarium, ad id ſpecialiter deputandum, abſolvere prædictos ſubditos (in foro tamen conſcientię tantùm, & dummodò caſus ſit occultus) ab omni excommunicatione reſervatà Sedi Apoſtolicæ. Et adeò amplam facultatem tribuebat Epiſcopis Tridentinum in eodem capite, ut ėtiam illis conceſſerit *per ſe ipſos* abſolvere à crimine hæreſis nihilominus, ut c. 19. n. 43. dicitur, hæc facultas reſtringitur per Bullam Cœnæ, in quà Romani Pontifices, poſt Tridentinum, inſerverunt illam particulam, quę non erat ante Tridentinum, *& cujuſuis Concilii decreta*. Quare hodiè non amplicis

ab-

abſolvere poſſunt, neque à crimine occulto hæreſis, neque ab alio, etiam occulto, quod contineatur in Bullà Cœnæ. Secundò poſſunt etiam abſolvere ab omni ſuſpenſione, quæ proveniat ex delicto occulto. Tertiò, ſuprà Regulares Privilegiatos, ab omni irregularitate, quę proveniat (non quidem ex defectu: ſuper hac enìm petenda eſt Sedes Apoſtolicà) ſed quæ proveniat ex delicto, dummodò tale delictum ſit occultum, neque ad hùc deductum ad forum contentioſum. Excipe tamen homicidium voluntarium: etenim irregularitatem, quæ ex hoc provenit, nequeunt relaxare, quamvis tale homicidium, eſſet occultiſſimum, nècunquam deducibile ad forum contentioſum. In cęteris pœnis, vel impedimentis, eſto occultis, nihil poſſunt Epiſcopi, niſi ſpecialiter concedatur, ut audio concedi, quibuſdam remotioribus ab Urbe, ob difficultatem accedendi Sedem Apoſtolicam: Epiſcoporum eſt facultates ſuas attentè conſiderare, nèc unqnam (pro reverentià, & obedientià ergà Sedem Apoſtolicam) crediderim eos tranſilire limites ſuæ juriſdictionis. Jura Patriarcharum quærere non eſt Sacerdotis ordinarii, pręſertìm diebus noſtris, quando, ſi excipias Patriarcham Occidentis, Romanum Pontificem, cęteri ſunt pręciſi ab Eccleſiâ Catholicà, in quà, ſi qui aſſumuntur ad titulos Sedium Patriarchalium, ſunt abſque populo, & Dięceſi: Quid Nuncii Apoſtolici, quid Legati Nati, aut Legati à Latere poſſint, altioris eſt indaginis.

Qui dicuntur Pœnitentiarii Minores Baſilicarum Urbis plura poſſunt, ſed juxtà facultates ſibi à Majore conceſſas. At Pœnitentiarius Major, utpotè Miniſter deputatus ab Apoſtolicà Sede habet ampliſſimas facultates; & ſi quid illi eſt reſtrictum, notatur ſuis locis.

CAPUT XXI.

Quis, & qualitèr debeat abſolvere ab Excommunicatione.

1. ADducte fuerunt in prędicto Catalogo univerſaliter pœnæ Eccleſiaſticæ principaliores; nunc verò reſtringimus diſcurſum ad abſolutionem ſolius excommunicationis; Abſolutio aliarum pœnarum, uti & diſpenſatio Irregularitatis pertinet ad majores Sacerdotes. Ubi ergo Pœnitens accedat ligatus aliquà excommunicatione, ſtatìm Confeſſor adibit prędecedentem Catalogum; & ſi quidem invenerit eam dici non reſervatam, ſciat ſe illam poſſe abſolvere, abſque ulteriori juriſdictione. Quia verò poſſunt aliquę minus principales, vel etiam particulares eſſe ommiſſę, habeat hanc regulam generalem, quod excommunicatio à jure lata, poteſt abſolvi à quocunque Confeſſario, niſi lex illam reſervet expreſsè Superiori, ad quem, in facti contingentià, erit recurrendum, juxtà dicta cap. 18. num. 19.

2. A Re-

2. A Reservatis, etiam in Bullà Cœnæ, quilibet directè potest absolvere pœnitentem constitutum in articulo mortis. Bullà tamen vult, quod tùnc promittat prius *de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione præstitâ*. Ulteriùs est observandum, quod Pontifex in sequentibus declarat *quancunque absolutionem, etiam solemnitèr per Nos faciendam, prædictos excommunicatos sub præsentibus comprehensos, nisi prius à præmissis, cum vero proposito ulteriùs similia non committendi destiterint: Ac quoad eos, qui contrà Ecclesiasticam libertatem, ut præfertur, statuta fecerint, nisi priùs statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, & decreta hujusmodi publicè revocaverint, & ex Archiviis, seù capitularibus locis, vel libris, in quibus annotata reperiuntur deleri, & cassari, ac Nos de revocatione hujusmodi, certiores fecerint, eos non comprehendere*. Omnia hæc ad unguem, pro quanto fieri potest, curabit servari Confessor; Et ideò sæpè legat hasce particulas, ut, in facti contingentiâ, Confessor juxtà illas provideat, omni meliori modo, saluti Pœnitētis.

3. Secundò quilibet Confessor indirectè poterit absolvere ab excommunicationibus, & casibus reservatis, quando immineret grave scandalum, nisi pœnitens communicaret; Ad hoc requiritur, ut excommunicatio sit occulta; nàm aliàs è contrà esset scandalum, si communicaret. In hoc etiam casu pœnitens procedet, quantum fieri potest juxtà dicta de constituto in articulo mortis: vide c. 18. n. 14.

4. Tertiò poteſt contingere virtute Jubilæi, quod Confeſſor ordinarius habeat abſolvere à caſibus, & cenſuris reſervatis, etiam in Bullà Cœnæ. In hoc autem caſu legatur attentè forma Jubilæi, & omninò ſervetur. Porrò Jubilæorum univerſalium, quoad licentiam abſolvendi, hæc forma eſſe conſuevit: *Omnibus, & ſinguli s Chriſti fidelibus utriuſque ſexus, tàm Laicis, quàm Eccleſiaſticis, Sæcularibus, & Regularibus, cujuſvis Ordinis, Congregationis, & Inſtituti, tàm in Urbe præfatà, quàm extrà eam, ubique locorum, ut præfertur, degentibus licentiam concedimus, & facultatem, ut ſibi ad hunc effectum, eligere poſſint quemcunque Presbyterum Confeſſarium, tam ſæcularem, quàm cujuſvis Ordinis, & Inſtituti Regularem, ex approbatis à locorum Ordinariis, qui ab excommunicationis, ſuſpenſionis, & aliis Eccleſiaſticis ſententiis, & cenſuris à Jure, vel ab homine, quavis causâ latis, ſeù inflictis, nec non ab omnibus peccatis, exceſſibus, criminibus, & delictis, quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, ſive Nobis, & Sedi Apoſtolicæ, etiam in litteris die Cœnæ Domini legi ſolitis contentis, & aliàs per quaſcunque Noſtras, aut Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum Conſtitutiones, quomodocumque reſervatis, in foro conſcientiæ, & bac vice tantùm abſolvere, & liberare valeant; & inſuper vota quæcumque (Religionis, & Caſtitatis exceptis) in alia pia, & ſalutaria opera commutare, injunctâ tamen eis, & eorum cuilibet, in ſupràdictis omnibus caſibus pœnitentià ſalutari, aliiſque ejuſdem Confeſſarii*

fessarii arbitrio injungendis . . . Non intendimus tamen per præsentes, super aliquâ irregularitate publicâ, vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate, seù inhabilitate quoquo modo contractâ, dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seù habilitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiæ, neque etiam eâsdem præsentes, iis, qui à Nobis, & Apostolicâ Sede, vel aliquo Prælato, seù Judice Ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seù aliàs in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publicè denunciati fuerint, nisi, intrà tempus dictarum duarum hebdomadarum, satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

5. In omni Jubilæo Confessor attentè notabit, an hujusmodi forma restricta sit, vel ampliata, & quid in proprio sensu importent verba superiùs posita. Porrò meminerit, sæpiùs insinuatum, quod hæresis non comprehenditur sub illâ generali concessione casuum reservatorum in Bullâ Cœnę, super quo extat hujusmodi decretum à Congregatione Sancti Officii.

Sanctissimus D. N. Alexander Papa VII. sub die 23. *Maii* 1656. . . . . *cum crimen hæresis, præ cæteris grævissimum, speciali notâ dignum sit, decrevit facultatem absolvendi ab hæresi in Jubilæis, vel aliis similibus concessionibus, non censeri comprehensam, nisi præcisis verbis concedatur facultas absolvendi ab hæresi.*

6. Quartò plures etiam Confessores ordinarii ha-

habent facultatem absolvendi à casibus reservatis, in vim Privilegiorum sibi ab Apostolicâ Sede concessorum. Hujusmodi hodiè sunt ferè omnes Regulares, & nonnullæ Congregationes, præsertim S. Philippi Nerii. Confessores hujusmodi curabunt non transgredi terminos Privilegii; aliàs confessio erit irrita; & propterea, sæpiùs relegant prædicta privilegia, notabuntque vim verborum. Porrò prædictę Religiones, & Congregationes, esto munitę privilegiis ampliſſimis, tamen sciant, quod Clemens VIII. de anno 1601. per Sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium (circà casus Apostolicę Sedi reservatos; nam circà casus reservatos Episcopis habes cap. 9. nu. 1. noviſſimam determinationem Clementis X., quam debebis ad unguem sequi) prohibuit omnibus privilegiatis intrà Italiam (tamen extrà Urbem) ne absolverent *ab ullo ex casibus clarè, vel dubiè contentis, in Bullâ die Cœnæ Domini legi solitâ, vel aliàs quomodocumque Sedi Apostolicę reservatis*; prohibuitque singulis absolvere tam ab his, quàm à casibus reservatis Episcopo, sub pœnâ *excommunicationis, privationis officiorum, & dignitatum, aut Beneficiorum, inhabilitatis item audiendi confessiones, & ad quæcunque officia, Prælaturas, Beneficia in posterum obtinenda, ipso facto, absque ullâ aliâ declaratione incurrendâ*, & reservatâ Sedi Apostolicę.

7. Nihilominus idem Clemens de anno 1602. declaravit, quod in posterum prędicti privilegiati

(sci-

(scilicèt, degentes intrà Italiam, & extrà Urbem, quibus primum decretum revocabat privilegia) possent absolvere à casibus Apostolicæ Sedi reservatis, dummodò non essent illi sex positi c. 10. n. 6, & non essent reservati in Bullà Cœnæ, circà quos nihil innovavit, & propterea credo, quod neque contenti dubiè in Bullà Cœnæ possint absolvi. In vim hujus decreti excommunicatio lata in Bullà Cœnæ, contrà absolventes à viginti excommunicationibus, remanet reservata, quamquam id non exprimat Bullà Cœnæ, incurreretque omnes aliàs pœnas contentas in primo decreto, exceptâ inhabilitate audiendi confessiones, quia secundum revocavit hanc pœnam. Hæc decreta Clementis omitto brevitatis gratià; Videantur in libro, *Avvertimenti di S. Carlo*, editi do ann. 1702. ubi etiam afferuntur confirmationes Pauli V., & Urbani VIII.

8. Solum notâ, quod ex eodem Clementis secundo decreto, Privilegiati possunt absolvere, si tale privilegium fuit usu, receptum ante idem decretum. Præterea sunt aliqua extrà Bullam Cœnæ peccata, quæ Privilegiatus nullibi potest absolvere. Fuerunt autem notata c. 18. n. 20. Tandem quomodo se debeat gerere pœnitens in foro conscientiæ absolutus à privilegiato, habes ex Clemente X. c. 9. n. 5.

CA-

CAPUT XXII.

De Recidivo, Conſuetudinario, Conſtituto in occaſione proximà, & conſtituto in periculo proximo.

1. NIhil adeò Confeſſori commendat Rituale, quam cognoſcere ſtatum Pœnitentis. Videatur c. 7. n. 15. & 22. In quo præcipimur non ſolum cognoſcere ſtatum, quod facit ad ſpeciem peccati, ut ſi ſit conjugatus, cum voto &c. ſed inſuper ſtatum, quod facit ad aggravandum peccatum, vel ad implendam pœnitentiam: ſi enim eſt pauper, non debet obligari ad eleemoſinas, ſi filius familias, vel debilis, vel laborans corporaliter non poteſt obligari ad jejunia, quando jejunium eſt incompatibile cum labore. Quoad gravitatem peccati, maximè conſiderandi veniunt quatuor ſtatus in titulo capitis expoſiti. &c.

2. Confeſſor circà hos principalitèr exercebit officium Medici. Recidivus, ut à cæteris contrà diſtinctus, propriè dicitur, qui ex infirmitate in eadem peccata relabitur. Quare adhùc peccat ex paſſione. Conſuetudinarius eſt, qui relabitur ex habitu acquiſito, & dicitur peccare ex malitiâ. De conſtituto in occaſione proximà, ex S. Carolo dictum eſt ſufficientèr c. 11. a n. 9. Conſtitutus autem in proximo peccandi periculo dicitur,

tur, qui eſt ita diſpoſitus, ut, ſecundum præſentes vires, quas habet, cenſeatur per ſe lapſurus, licèt nunquam lapſus fuerit. Inſuper occaſio eſt aliquid externum: ſed periculum poteſt eſſe intrà ipſum hominem, qui v. g. cogitat de rebus venereis voluntariè, conſtituit ſe in periculo proximo, vel delectationis moroſę, vel alterius peccati, ſi nulla extet neceſſitas, taliſque cogitantis infirmitas, ut per ſe loquendo, jure timeatur lapſus. Horum ſtatuum differentias, ac definitiones Confeſſor magis quam ſpeculativè, curabit diſcernere in praxi.

3. Recidivus ille dicitur, qui ex infirmitate relabitur, & quidem ſi tantum ex infirmitate relabatur, Confeſſor applicabit remedia oſtendens deformitatem ingratitudinis, juxtà dicta c. 3. n. 22., ac ne in ſcrupulos illidatur recidivus, legat quid de illo, juxtà rigorem ſcholaſticum, ſentiat S. Thomas 3. p. q. 88. & 2. 2. q. 107. præſertìm a. 4. Prætereà, *in peccata facilè recidentibus*, ait Rituale adductum c. 7. n. 23. *utiliſſimum fuerit conſulerè, ut ſepè .. confiteantur, & ſi expediat, communicent.* Vide ibi dicta.

4. Conſuetudo peccandi eſt circumſtantia ſaltem notabiliter aggravans, & ubi Confeſſor illam interrogat, explicanda in Confeſſione, juxtà 58. propoſitionem ab Innocentio XI. damnatam. Cum idem ſint peccare ex conſuetudine, peccare ex habitu, & peccare ex malitià, hìnc apparet quod Conſuetudinario non omninò prodeſt ſa-

cra-

cramentum institutum ad sublevendam hominis infirmitatem, non ad tollendam malitiam, nisi priùs pœnitens curet tollere à se, quod est peccaminosum, & circumstantiam peccati in tali consuetudine. Actio in tantùm est peccaminosa, in quantùm est voluntariè directè, vel indirectè. Consuetudo jurandi v.g. erit voluntariè directè, si homo advertens in se talem consuetudinem, velit perseverare in illà: Erit voluntariè indirectè, si advertens, vel debens advertere in se talem consuetudinem, omittat facere, quantùm commodè potest, ut illam à se tollat: Igitur ubi Consuetudinarius accedit ad hoc sacramentum, ante omnia Confessor inquirat, an voluntaria sit consuetudo: nec enim in tali casu potest absolvi: quod si tollat voluntarietatem per firmum propositum faciendi, quantùm potest, ut non trahatur à consuetudine, tùnc poterit absolvi primà vice, nisi talitèr sit radicata consuetudo, ut versa in naturam, emendationis nullam præferat spem. Ordinariè in his casibus tutissimum est, nisi aliud circumstantiæ suadeant, experiri pœnitentem per aliquot dies: quod si rediens dicat se relapsum quatuor, vel quinque vicibus in uno mense, cùm antea in uno mense laberetur trigintâ, vel quadragintâ vicibus, jàm apparet notabilis emendatio, & potest absolvi.

5. De constituto in occasione proximà luculentèr ex S. Carolo dictum est c. 11. à n. 29. Illud advertendum, quod voluntariè, (voluntarieta-

te,

te, de quà dictum est n. præcedenti) se exponere occasioni proximæ peccandi est peccatum, & quidem ejusdem speciei cum peccato, cujus occasioni se homo exponit: quare ad integritatem confessionis est explicandum, si homo se exposuit occasioni proximę perdendi fidem, spem &c. Imò peccat constitutus voluntariè in occasione proximà, etiamsi in illà non consumaret aliquem actum contrà talem virtutem, v. g. se constituit in occasione proximà violandi castitatem, sive per actum externum, sive per solum actum internum desiderii, aut complacentiæ, in illâ constitutus nihil egit, nihil desideravit, nihil sibi complacuit, adhùc tamen peccavit. Hoc maximè debent advertere Confessores; nàm idiotæ in confessione solùm se accusant de actu: quare Confessarii est in his casibus requirere omnem speciem, & numerum. Idem dic de reliquis occasionibus proximis, de tabernà respectu se inebriantis &c. Porrò cuilibet danda remedia, ut ex S. Carolo c. 11. n. 30.

6. Ferè omnia, quæ dicta sunt de constituto in occasione proximà, sunt applicanda constituto in periculo proximo, etiam primà vice, dummodò advertat, vel debeat advertere esse periculum proximum, in quo peccabit eodem genere peccati, esto per accidens se præservet ab actu peccaminoso, quia se exponere periculo proximo peccandi, est intrinsecè, & de naturà sua peccatum ejusdem speciei cum peccato, cujus periculo se exponit.

7. D. Ex-

7. D. Extantne aliquæ propoſitiones prohibitę circà quatuor hos peccatorum ſtatus.

M. Circà primum Recidivi, nulla extat: circà ſecundùm Conſuetudinarii, extat 58. & 60. Innocentii XI. Circà tertiùm occaſionis proximè extat 41. Alexandri ſeptimi: 61. 62. & 63. Innocentii XI. Circà quartum nulla eſt expreſſa in terminis. Nihilominus ex tribus ab Innocentio XI. damnatis de occaſione proximà, ſaltem per conſequentiam Theologicam deducere poterit Confeſſor, quid ſentiendum ſit, dum eædem circumſtantiæ militant pro periculo proximo.

8. D. Adſunt ne aliquæ pœnę Eccleſiaſticę conſtitutæ contrà hos quatuor delinquentium ſtatus?

M. Primus, & ultimus ſtatus in nullo genere peccati habent univerſalitèr aliquam pœnam Eccleſiaſticam, ut quilibet conſideratur in eo præcisè ſtatu: Circà ſecundum ſtatum, prius videndum eſt apud Canoniſtas, an pro eodem accipiant exercere aliquem actum, & habere conſuetudinem de aliquo actu: nonnulla enim peccata puniuntur in exercentibus, ut eſt crimen nefandum Clerici, punitum per duas Bullas B. Pii quinti, & communitèr Doctores intelligunt nõ exerceri tale crimen ab eo, qui ſemel, aut bis tantùm delinquit. Sanè cum in aliquo caſu particulari videris pro eodem accipi exercitium, & conſuetudinem, pœnæ erunt formaliter contrà Conſuetudinarium. Hìc autem non eſt locus id decidendi, quia magis hæc ſpectant ad forum externum,

quam

quàm ad forum conſcientiæ & ubi leges Eccleſiaſticæ declararent pœnam incurri, etiam in foro conſcientiæ, poteſt Confeſſor petere tempus, ad ſtudendum caſui, vel requirendum judicium peritiorum. Circà tertium ſtatum, ſcilicet, conſtitutos in occaſione proximà, legi debet Tridentinum ſeſſ. 25. c. 14. de reformatione, circà Concubinarios. De reliquis enim occaſionibus proximis, nihil habeo, quod hìc ſpecialiter ingeram.

CAPUT XXIII.

De Indulgentiis quoad praxim.

1. EX illis Chriſti verbis, Matth. 16. *Tibi dabo* &c. & Jo. 20. *Quorum remiſeritis* &c. Controverſiſtę, contrà hæreticos deducunt in Eccleſià poteſtatem concedendi Indulgentias: etenim non eſſet plena poteſtas remittendi peccata, niſi ſimùl poſſet applicare theſaurum ſatisfactionum ad remittendas pœnas fidelium. Igitur ut Confeſſor ordinarius plenè ſit inſtructus de ſacramento Pœnitentiæ, illudque ad plenum poſſit adminiſtrare fidelibus, requiritur aliqua notitia Indulgentiarum; & quidem, quod pertinet ad illarum ſcientiam, dictum eſt, quantum ſufficit Confeſſori ordinario, c. 13. n. 12. Sed pro praxi eſt aliquid ulteriùs addendum.

2. Stante noſtrorum temporum infirmitate, docet experientia fideles abduci à ſacramento, ſi

veterum Canonum rigor, eſto juſtus, in illos exerceatur. Eccleſia conſiderans hanc debilitatem, propterea mitigavit rigorem antiquum; & providet fidelibus per Indulgentias multò largiores, & frequentiores. Plenus hoc ſpiritu Matris Confeſſor, ubi oſtenderit per Canones antiquos ſatisfactionem, quam Deo debemus, ſaltèm in Purgatorio, nec poſſe pœnitentem debilem portare tantùm onus, ſuadebit Deo ſatisfacere, lucrando Indulgentias, oſtendens poſſe acquiri facillimè per numiſmata benedicta à Romano Pontifice, per viſitationes Eccleſiarum, in quarum hodiè ſolemnioribus feſtis, ubi expoſcatur, ſolet Apoſtolica Sedes concedere aliquam Indulgentiam, & ſanè plenariam, verè pœnitentibus, confeſſis, ac ſacrâ communione refectis. Etiam plurimæ reperiuntur conceſſę pluribus Confraternitatibus.

2. Prudentis, ac diſcreti Confeſſoris eſt, ad omnia in generali bona opera excitare, quin & ſuo exemplo præire Pœnitentes: cum hoc tamen ſtat, quòd etiam ad particularia quædam incitet; in quo maximè congruit vero totius Eccleſiæ ſpiritui, ut Confeſſor inflammet ſpecialitèr ad ea bona, quæ ſpecialiùs in ſuâ particulari Eccleſiâ ſolent frequentari, vel Pœnitenti ſpecialiùs prodeſſe poſſunt. Hæc igitur conſiderans Confeſſor, vel Sæcularis, vel Regularis, præſertim quoad Indulgentias, maximè notabit, pro Pœnitentibus ſuam Eccleſiam frequentantibus, quæ, quibuſvè diebus, pro tali Eccleſiâ, ſint conceſſæ, incitabitque ad ea-

rum

rum consecutionem, v. g. si sit Religiosus ex Ordine Prædicatorum, eas, quæ conceduntur Confratribus, ac Consororibus Rosarii B. Mariæ Virginis (maximè, quia ex S. Carolo c. 11. n. 49. audisti, cuilibet Confessori curandum, ut suus Pœnitens nomen det alicui ex Confraternitatibus, in quà, die festo, vacet piis operibus.) Ad idem respicient singuli aliarum Religionum, Congregationum, aut Oratoriorum Confessarii. Quia verò experientia docet, ex misericordiâ insigni ergà pauperes Captivos, universalitèr induci Christianos; ut nomen suum dent Confraternitatibus Sanctissimæ Trinitatis, Redemptionis Captivorum, appono etiam hìc Indulgentiarum notam per Summos Pontifices concessarum Confraternitatibus dicti Ordinis: *qui Ordo* (sunt verba Constitutionis Innocentii XI. decimæ in Bullario nostri Ordinis) *non sine divinâ Revelatione, à glorioſis Sanctis Joanne de Matbâ, & Fœlice de Valois fundatus fuit. Easdem Confraternitates quàmplurimi Reges, Principes, Nobiles, & innumeri utriusque sexus Christi fideles ingressi sunt. Qui ad tàm frequentes, & numerosas Redemptiones à dicto Ordine, ab initio illius fundationis, usque ad præsens factas, liberalibus eleemosinis cooperati sunt.*

3. Verissimum est evulgatas olìm fuisse plurimas Indulgentias, quæ vel nunquam concessæ, vel jàm revocatæ fuerant; & Confessor, qui nonnullas hujusmodi velit agnoscere, legat decretum de *Apocryphis Indulgentiis*, editum approbatione

Innocentii XI. de anno 1678. Hujuſmodi etiam nonnullæ irrepſerant in Summario Indulgentiarum conceſſarum Confraternitatibus Sanctiſſimæ Trinitatis, ut non modò conſtat ex eodem Decreto; §. *Porrò Summaria* &c. ſed & ex pluribus foliis, vel libris, in quibus leguntur Indulgentiæ ad oculum Apocryphæ; quare mandatur in prædicto Decreto, ut non permittantur hujuſmodi Summaria, niſi recognita. Porrò ut evulgari poſſent veræ Indulgentiæ, P. Joſephus Monier, vir doctrinâ, & pietate celebris, qui tùnc temporis in Curiâ Romanâ erat Procurator Generalis totius Ordinis, Summarium novitèr confectum præſentavit S Congregationi *de Indulgentiis*, à quà recognitum fuit, & approbatum; atque Innocentius XI. inſeruit prædictæ Conſtitutioni decimæ in Ordinis Bullario.

4. Ad has igitur Indulgentias Confeſſores, ſive ii ſint Religioſi Calceati, & Excalceati ejuſdem Ordinis, ſive alii, qui audiunt Confeſſiones adſcriptorum in dictis Confraternitatibus, auctoritate Apoſtolicâ, erectis, vel erigendis, incitabunt ſuos Pœnitentes. Alias autem Apocryphas omninò prætermittent niſi velint ſubjacere Cenſuris, quas latas contrà prædicantes Indulgentias falſas, diximus c. 20. verbo, *Simonia*.

Indulgentiæ autem ex eâdem Bullâ erutæ ſunt hujuſmodi.

5. 1. Conceditur plenaria omnibus pro die pri-

primà, quà verè pœnitentes, confessi, & sacrâ communione refecti, adscribentur dictæ Confraternitati, & suscipient Scapulare benedictum à Superiore aliquo Ordinis, absque voti emissione.

6. 2. Plenaria eisdem, qui deferentes Scapulalare, verè pœnitentes, & confessi, & refecti sacrà communione, in articulo mortis, protulerint, si potuerint, ore; sin minus corde, Sanctissimum Jesu nomen.

7. 3. Plenaria eisdem, in festo Sanctissimæ Trinitatis, si verè pœnitentes, confessi, & sacrà Communione refecti, Ecclesias, aut Capellam, vel Oratorium Ordinis, aut Confraternitatis visitaverint. Debent orare pro concordiâ Principum Christianorum, extirpatione hæresum, & exaltatione Ecclesiæ.

8. 4. Plenaria visitantibus Ecclesias Ordinis in die festo SS. Joannis de Mathâ, & Felicis Valesii.

9. 5. Plenaria in festo Nativitatis, & Purificationis B. Mariæ, in die Cinerum, in festo S. Agnetis secundò, in Dominicà secundà Octobris, & in festo S. Catharinæ V. & M. Dummodò orent, ut in tertiâ, & insupèr pro Captivorum libertate, & perseverantià in fide.

10. 6. Plenaria eisdem, qui translaturi se ad partes Infidelium, pro redimendis Captivis, priùs verè Pœnitentes, & Confessi communicaverint.

11. 7. Plenaria pro Captivis Redemptis, etiamsi non fuerint Confratres, qui intrà men

ſem à die, quo reducti ſunt, verè Pœnitentes, & confeſſi communicaverint.

12. 8. Eiſdem, eo die, quo in Miſſali Romano aſſignantur Stationes, ſi viſitaverint Eccleſias, aut Capellas, vel Oratoria Ordinis, aut Confraternitatis, conceduntur Indulgentiæ Stationum Urbis.

13. 9. Eiſdem, ſi pio cordis affectu deferentes Scapulare benedictum, & cum ſigno Crucis, ſemèl in die recitabunt ſexiès Orationem Dominicam, cum Verſiculo *Gloria Patri*, &c. ſexieſque Salutationem Angelicam, cum eodem Verſiculo, pro concordiâ Principum Chriſtianorum, extirpatione hæreſum, & exaltatione Eccleſiæ, conceduntur ſeptem anni, & totidem quadragenę.

14. 10. Eiſdem, ſi in die Nativitatis, & Reſurrectionis Chriſti, nec non Aſſumptionis B. Mariç Virginis, viſitaverint Eccleſias, aut Capellas, vel Oratoria Ordinis, aut Confraternitatis, recitando orationes poſitas in nonâ, ad eoſdem effectus concordiæ &c., ſeptem anni, & totidem quadragenæ.

15. 11. Eiſdem, ſi pœnitentes, & confeſſi interfuerint Proceſſioni Scapularis unâ Dominicâ menſis; ſeptem anni, & totidem quadragenæ. Quod ſi, ultrà confeſſionem, communicaverint, & Deum oraverint, ut ſuprà in nonà, conceditur Indulgentia plenaria.

16. 12. Eiſdem anni, & quadragenæ totidem, ſi exerceant opera pia, ſpiritualia, vel temporalia

quæ

quæ dirigant ad finem consequendi remissionem suorum peccatorum, & ut Captivi redimantur à servitute Infidelium.

17. 13. Eisdem anni septem Indulgentiarum, semèl quotannis, & quo anni die maluerint, si quotidiè per annum recitantes ter orationem Dominicam, Salutationemque Angelicam, ac semèl Versiculum *Glorià Patri* &c. cum aliis Orationibus à Superiore assignandis, vel loco harum à Superiore assignandarum, unum *Salve Regina*, verè pœnitentes, & confessi communicent, orantes pro Captivis apud Turcas, ne blasphemetur nomen Domini Jesu, sed ut constantes in fide persistant, & quantociùs liberentur.

18. 14. Eisdem anni septem, & quadragenæ totidem, si confessi, vel saltèm habentes propositum confitendi, receperint processionalitèr Captivos redemptos, & comitati fuerint ad Ecclesiam, Capellam, vel Oratorium Ordinis.

19. 15. Eisdem quinque anni, & totidem quadragenæ, si comitentur, cum lumine, ubi possint, vel absque lumine, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, cum defertur ad infirmos, & pro his oraverint.

20. 16. Eisdem dies centum, quotiès comitantur ad sepulturam corpus alicujus defuncti, & orant pro illo.

21. 17. Eisdem dies centum totiès, quotiès interfuerint Missis, & aliis divinis Officiis in Ecclesiis, Capellis, aut Oratoriis Confraternitatis,

vel ejuſdem publicis, aut privatis Congregationibus, vel pauperes hoſpitio ſuſceperint, aut exercuerint aliud quodcunque opus pietatis, vel charitatis.

22. 18. Extat alia Indulgentia, ſed mihi attentè legenti Breve Clementis X. ordine decimum in noſtro Bullario, videtur ſolùm conceſſa Confratribus, & Sororibus, qui erunt adſcripti Confraternitatibus erectis in Eccleſiis noſtrorum Excalceatorum Congregarionis Hiſpaniæ. Iſti, ſi per quadrantem horæ vacent orationi mentali, totiès, quotiès lucrantur centum dies, quod ſi vacent per mediam horam continuatam, lucrantur ſeptem annos. Quod ſi huic orationi, ſaltèm per quadrantem, vacent ſingulis diebus ſemèl, quolibet menſe, poſſunt lucrari plenariam, ſi verè Pœnitentes, & confeſſi communicent, quam plenariam poſſunt etiam, per modum ſuffragii, applicare pro animabus Purgatorii.

23. Pro conſequendis Indulgentiis hujuſmodi, ſolùm tenentur Confratres deferre, & ſuper ſe geſtare Scapularium Ordinis parvulum ex lanà albà, munitum Cruce rubrà, & cæruleà, benedictumque ab aliquo Superiore Ordinis; Quod ſi Scapulare ſciſſum, amiſerit formam, renovatà Cruce, iterùm debet benedici. Prætereà debent apponere omnia, & ſingula opera, quæ Pontifex præcipit, juxtà dicta c. 13. n. 12. Porrò notabit Confeſſor, pluriès injungi diverſa opera, ſed etiàm orationes pro diverſis; v. g. tertia exigit

ora-

orationes pro concordiâ Principum &c. quinta verò exigit orationes pro Captivis. Omnia igitur erunt dirigenda in finem illum, quem Pontifex præcipit; & pro illis determinatè orandum, pro quibus injungitur. Hinc apparet non ſatisfacere ſuo muneri plenè Confeſſarium, qui manifeſtat Pœnitenti adeſſe Indulgentiam in aliquâ Eccleſiâ, niſi etiam explicet opera injuncta pro conſequendâ Indulgentiâ, & ad quem finem particularem dirigendæ ſint orationes. Id ſanè aliis indicare non poterit, niſi prius attentè legerit formulam Indulgentiæ. Veruntamen quia ſæpè in Confeſſionali Pœnitens petit inſtrui, pro quibus orandum ſit, ſi aliàs in promptu non habet explicare, doceat, ut orationes applicet juxtà intentionem concedentis expreſſam in verbis formulæ.

24. Quia verò Confratribus, quinquiès in anno, dari conſuevit Benedictio, ſeù Abſolutio generalis, nempè, feriâ quartâ Cinerum, feriâ quintâ Majoris Hebdomadæ, in feſto Sanctiſſimæ Trinitatis, in feſto S. Catherinæ Virginis, & Martyris, & in feſto S. Agnetis ſecundò, hujuſmodi Abſolutio non eſt propriè à culpâ, ſed per illam ſolis Confratribus, ac Sororibus communicantur bonâ, & ſuffragia Religionis, dummodò verè pœnitentes, & confeſſi, ac ſacrâ communione refecti interſint hujuſmodi functioni. Et abſolutionem hanc propterea conſueverunt Religio, & Confraternitates largiri, etiam in Anno Sancto, ſecundum quod declaravit S. Congregatio Concilii,

lii, de menſe Januarii, anno 1700.

25. Illud prætereà curet in praxi Confeſſor, ut Pœnitentes Indulgentiam lucraturi, adamuſſim, quantùm fieri poteſt, opere impleant, quod Pontifex præcipit, non reſpicientes ad quaſdam opiniones, quæ prætendunt variari poſſe ordinem operum injunctorum, ſi variatio eſſe dubitetur in ſubſtantiâ. Exemplo ſit Clauſula, quæ ſolet apponi communitèr in Indulgentiis pro viſitatione Eccleſiarum, in earundem ſolemnitatibus, ut illas conſequantur, qui confeſſi, & ſacrâ communione refecti, viſitaverint Eccleſiam &c. Utique adſunt, qui credant viſitari poſſe prius Eccleſiam, & poſtponi confeſſionem, aut communionem; quidquid ſit de hac opinione, curet prædicta opera poni ordinatè.

26. Quià verò dū Apoſtolica Sedes concedit Indulgentiam viſitantibus aliquam Eccleſiam, ſolet apponere clauſulam illam: *Volumus, ut ſi aliàs Chriſti fidelibus dictam Eccleſiam, qualibet anni die viſitantibus, aliqua alia Indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapſum duratura, conceſſa fuerit præſentes litteræ nullæ ſint*, gratum erit Confeſſori ſcire, quomodò intelligatur prædicta clauſula. Igitur Sacra Congregatio Rituum anno 1676. 23. Junii, approbante Summo Pontifice, declaravit in dictâ clauſulà *minimè contineri Altaria privilegiata pro defunctis, neque Indulgentias, aut certo perſonarum generi, ut Confraternitati, Regularibus, & Capitulo, aut certum pium opus in Eccleſiâ peragen-*

gen-

gentibus, ut Litanias, aliasve hujusmodi preces recitantibus, ac iis qui Christianâ doctrinâ erudiuntur, vel alios erudiunt, & qui Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti expositioni cum oratione quadragintâ horarum interſunt, neque Stationum Urbis, & ſeptem Altarium Indulgentias, inſtar ſeptem Altarium Baſilicæ Vaticanæ, conceſſas, neque demum, quæ pro unicâ vice conceduntur. Cæterùm ſi alia Indulgentia ſive plenaria, ſive non plenaria in perpetuum, vel ad tempus, tùm ab eodem, tùm ab alio Romano Pontifice, generatim Chriſti fidelibus Eccleſiam, vel aliquod ejus Altare, ſeù Capellam viſitantibus eodem anni die, vel diverſo, conceſſa fuerit, de quâ non fiat in litteris Apoſtolicis mentio, has litteras ob adjectam clauſulam eſſe, prorsùs irritas, ac nullas.

27. Quia verò *ex omni ſatisfactionũ genere*, inquit Catechiſmus p. 2. cap. 5. nu. 80. *maximè convenit Pœnitentibus præcipere, ut . . . pro omnibus, & præſertìm pro iis, qui ex hac vitâ in Domino deceſſerunt, preces Deo faciant.* Confeſſor etiam incitabit ad lucrandas Indulgentias pro animabus defunctorum, preſertìm per Miſſas (ubi Pœnitens id exequi commodè poteſt) celebrandas in Altari privilegiato. Circà quarum Miſſarum pro Defunctorum Animabus applicationem plura inſurrexere dubia, ſuper quibus emanavit deciſio Apoſtolica, & tandem Innocentius XI. 4. Maii 1688. expedivit Breve, cujus hæc eſt ſumma, quod Miſſæ celebratæ ad Altare privilegiatum ſuffragarentur, *ita ut Animæ Chriſti fidelium, pro quibus celebrantur*

In-

Indulgentias per Privilegia hujuſmodi conceſſas conſequantur, in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi Miſſæ defunctorum ad formam eorundem Privilegiorum celebratæ fuiſſent, quando Miſſæ non dicuntur de Requiem, & quia, juxtà Rubricas Miſſalis, in tali die non poſſunt celebrari, quomodocunque id vetet Rubrica, ſive quia ſit feſtum duplex, vel Dominica, feria, aut octava Privilegiata; Ex quibus verbis habes duo; primum, quod ut Indulgentia valeat alicui Animæ per modum ſuffragii, debet miſſa celebrari pro illâ, ſecundo, quod eadem Miſſa debet eſſe defunctorum, ubi Rubricæ Miſſalis non impediunt ita celebrari.

28. Põtifex cõcedens alicui Eccleſiæ hoc Altare privilegiatum ſolet exigere in dictà Eccleſiâ numerum determinatum Miſſarum. Circà quem numerum conſulatur Breve Pontificis concedentis. Porrò ſuper hoc numero excitata fuere dubia ſequentia.

Primò: *An abſentibus Religioſis, ex causà prædicationis, tempore Quadrageſimæ, & Adventus, vel quando occaſione Feſtivitatum, vel Funerum, aut ſimilium, à Superioribus ad celebrandum alibi tranſmittuntur. Indulgentiæ conceſſę cum certo numero Miſſarum, qui ob dictas cauſas adimpleri non poteſt, prorsùs ceſſent, vel pro eo tempore, quo dictus numerus Miſſarum non fuerit adimpletus, ſint ſuſpenſę, vel potius remaneant in ſuo robore.*

Secundò: *An idem ſit ſtatuendum, deficiente præfixo numero Miſſarum, ob infirmitatem Sacerdotum,*

tum, tàm Regularium, quàm Sæcularium.

Tertiò: *An pariter idem ſit ſtatuendum, deficiente prædicto numero Miſſarum, ob abſentiam ab Eccleſiis ſæcularibus Canonicorum, & Sacerdotum per aliquot dies, & menſes.*

29. Horum dubiorum reſolutionem Summus Pontifex remiſit Sacrę Congregationi Concilii, quæ anno 1701. 30. Julii reſpondit.

Ad primum. *Quoad primam partem, pro tempore Adventus, & Quadrageſimę, remanere ſuſpenſas; non autem in reliquis, dummodò rarò contingat.*

Ad ſecundum: *Non remanere ſuſpenſas.*

Ad tertium: *Proviſum in primo.*

30. Hæc omnia Confeſſor habebit præ oculis: hoc enim eſt, *more periti Medici ſuperinfundere vinum, & oleum vulneribus ſauciati*, ut præcipitur in c. *Omnis utriuſque* adducto c. 9. n. 3. Infundit vinum, oſtendens gravitatem pœnæ in Purgatorio luendæ per veteres Canones; & infundit oleum, inſinuans modum ſatisfaciendi pro talibus pœnis per ſatisfactionem Sanctorum, B. Virginis, & Chriſti, applicatam ſibi à Romano Pontifice in Indulgentiâ.

CAPUT XXIV.

De ipſo Pœnitentiæ Sacramento.

1. IN quolibet genere ſcientia partium ordinatur ad perfectam intelligentiam totius; & præſertìm ſi totum ſit opus practicum, ſeù factibile à nobis, Magiſtri diſcipulos inſtruunt de partibus, ut ex illis tanquam mediis perfectiùs ſciant ordinare totum. Ita ſapiens Medicus inſtruit diſcipulos de naturà lapidum, herbarum, etiam de motu planetarum, eclypſi, aut conjunctione ſolis, & lunę, ut deinde ſciant diſcipuli ordinare medicinam congruam pro ſanatione infirmi. Eodem modo, quæ dicta ſunt fuſius de partibus ſacramenti Pœnitentiæ, ordinanda ſunt ad rectam adminiſtrationem ejuſdem ſacramenti; circà quam pauca ſuperſunt dicenda: etenim qui benè novit ordinare partes, etiam novit ordinare totum: nihilominus credidi, quod multùm poſſint aperire intellectum pręparantis ſe ad confeſſiones hæc, quę ſequuntur.

2. D. Extat nè præceptum aliquod Chriſtianis impoſitum ſuſcipiendi ſacramentum Pœnitentiæ?

M. Duo ſacramenta tenentur ex præcepto divino ſuſcipere omnes Chriſtiani adulti, adeòut mortaliter peccent, ſi non ſuſcipiant, nempè, Baptiſmum, & Euchariſtiam. Tertium verò, ſci-

ſcilicet, Pœnitentiam, tenentur ſuſcipere Chriſtiani omnes, qui poſt baptiſma lapſi ſunt in aliquod mortale peccatum. Ad hoc tenentur, & ex jure divino, & Eccleſiaſtico. Tridentinum exprimit jus divinum ſeſs. 14. c. 1. 2. & 5. Eccleſiaſticum verò can. 8. & ſuprà cap. 8. data eſt lex, ſeù Canon promulgatus in Concilio Lateranenſi.

3. D. Ad quod Decalogi præceptum reducitur hoc præceptum de ſuſcipiendo Pœnitentiæ ſacramento?

M. Reduci poteſt ad primum Decalogi præceptum ex duplici capite: primò ex fine, quo tenemur ſuſcipere hoc ſacramentum, nàm præcipitur nobis illud ſuſcipere, ut qui conſtitueramus nos ipſos finem ultimum noſtri, reſtituamus Deo rationem finis ultimi, quod jubet primum Decalogi præceptum: Vide dicta in *Inſtructione pro ordinandis* cap. 10. n. 2. Ex alio capite reducitur ad illud, in quo tenemur exhibere cultum Deo; & ſicuti per ſecundum præceptum tenemur ad exhibendum cultum debitum in aſſumptione nominis divini, ita per primum tenemur exhibere cultum in aſſumptione rerum divinarum, quales ſunt omnia ſacramenta.

4. D. Tenemur nè ſuſcipere ſacramentum hoc ſtatìm, ac nos cognoſcimus in peccato mortali?

M. Videatur S. Thomas ſuppl. q. 6. a. 5., qui, quia hoc eſt præceptum affirmativum obligans ſemper, ſed non ad ſemper, deducit jure divino, præter quàm in articulo mortis, non eſſe determi-

minatum tempus præciſum recipiendi hoc ſacramentum, licèt aliquotiès in vità nos obliget, ſed jure Eccleſiaſtico ex c. 8. n. 2. tenemur ſaltèm ſemèl in anno.

5. D. Si ego in vigilià S. Petri non jejunem, pecco mortalitèr, ſed tranſacto illo die, & anno, in ſequenti non teneor jejunare bis; ſemel pro anno præterito, & ſemèl pro præſenti, currit ne eadem paritas de præcepto confeſſionis?

M. Non currit, & diſparitas eſt, quia jejunium eſt affixum tali tempori: At ſuſcipere ſacramentum pœnitentiæ non eſt affixum tali anno: Non enim Eccleſia dedit ipſa de ſe hoc præceptum; ſed quia Deus non determinavit tempus hujus ſacramenti, Eccleſia ſuo præcepto determinavit illud, volens, quod non tranſiret peccatori annus ſine hoc ſacramento; & anno tranſacto nos obligat ad confitendum quam primùm: quare, omittens confeſſionem in ſecundo anno dupliciter peccat: primò quia pro anno pręcedenti non eſt confeſſus quam primùm: ſecundò quia non eſt confeſſus in ſecundo: & in tertio currunt tres obligationes, & ita de reliquis, quod autem obligatio ſuſcipiendi hoc ſacramentum non ſit anno affixa, ſicut affixum eſt diei jejunium, habetur ex communi intelligentià Eccleſiæ, quæ intelligit affixum diei præceptum jejunii, divini officii &c. ſed non præceptum hujus ſacramenti. Facilè hìnc Confeſſor enumerabit, quot peccata committat, qui v. g. per decennium omittit confiteri;

quæ

quæ non considerat pœnitens; At si Concionator in concionibus, Parochus in explicando die Dominico doctrinam Christianam, & Confessor in confessionario, inducant auditores ad hanc reflexionem, videbit multos terreri numero tot peccatorum, & conaturos, ut diminuant.

6. D. Cui virtuti opponitur violatio hujus præcepti, seù divini, seù Ecclesiastici?

M. Violatio hæc opponitur virtuti Religionis, per quam tenemur exhibere cultum debitum Deo; & violatio hæc opponitur dictæ virtuti tàm per peccatum omissionis, contradictoriè oppositum, quam per peccatum commissionis oppositum contrariè: peccatum omissionis est, quando obligatus ego confiteri, non confiteor: peccatum commissionis est, quando obligatus ego facere confessionem bonam, facio malam quoad substantiam: sicut enim extat præceptum affirmativum faciendi confessionem bonam, ita extat præceptum negativum, obligans semper, & ad semper, de non faciendo confessionem malam, quoad substantiam. Hoc violo per peccatum commissionis, quod est sacrilegium. Vide dicta in *Instructione pro ordinandis c.* 30. *n.* 9.

7. D. Satisfacitnè præcepto annuæ confessionis, qui facit confessionem voluntariè nullam?

M. Id priùs asserebant nonnulli Doctores, eo motivo, quia Ecclesia non præcipit actus internos. At Alexander VII. prop. 4. prohibuit hanc opinionem: & justissimè: ut enim dictum est n. 5. Ec-

cleſia determinavit tempus, quod Chriſtus indeterminatum reliquit, ſuſcipiendi hoc ſacramentum; quod non ſuſcipit, qui facit confeſſionem voluntariè nullam.

8. D. Quia dictum eſt de propoſitione prohibitâ circà hoc ſacramentum, dicatur etiam, an extent pœnæ ab Eccleſiâ conſtitutæ contrà non recipientes hoc ſacramentum?

M. Legatur Canon editus in Concilio Lateranenſi, & poſitus ſuprà c. 8. n. 2.

CAPUT XXV.

Dantur propoſitiones in materiâ morum prohibitæ ab Alexandro VII.

1. RItuale in Confeſſario duplicem ſcientiam requirit: alteram illis verbis adductis c. 7. n. 9. *Hujus ſacramenti doctrinam omnem rectè noſſe ſtudebit*: His verbis innuitur ſcientia de ſacramento Pœnitentiæ, ejuſque partibus, quæ huc uſque propoſita fuit, meo videri, quantum ſufficit Confeſſori ordinario, & exercenti munus illud triplex Judicis, Doctoris, & Medici pro communitate fidelium: requirit alteram illis verbis ex n. 7. *diſcernens inter lepram, & lepram*, per quæ juxtà dicta in *Inſtructione pro ordinandis* c. 40. n. 26. innuitur, quod Confeſſor debeat diſcernere peccatum à peccato &c. Utramque porrò

ſcien-

ſcientiam Confeſſario comparandam dicit ibidem Rituale per triplex medium, per orationem, per ſtudium, & per conſilium. Circà ſtudium, cui tantùm in hoc opere ſubveniri poteſt, prçcipit fieri ex *probatis Auctoribus*, *præſertìm è Catechiſmo Romano*. Agnoſcit quippè Catechiſmum editum *juſſu* Sedis Apoſtolicæ, quæ omnium eſt Eccleſiarum Mater, ac Magiſtra: quare Confeſſor *præſertìm*, ſeù principalitèr haurire debet ab hoc fonte ſuam ſcientiam; & ita proceſſimus huc uſque agentes de ſacramento Pœnitentiæ: propoſitis primum, quæ circà illud ſtatuit, vel declaravit, vel confirmavit Apoſtolica Sedes, in Tridentino, vel aliis Conciliis, in Catechiſmo, & in Rituali. Eodem igitur otdine procedendum eſt circà inſtructionem dandam de peccatis, ut primò præparans ſe ad confeſſiones ſciat, quid Apoſtolica Sedes decreverit circà nonnullas de moribus opiniones, quæ circumferebantur apud quoſdam Theologos. Et verò damnationem hanc maximè debet habere ad manus, qui ſe prçparat audiendis confeſſionibus, tùm pro examine Romano, in quo de approbando experimentum ſumitur præcipuè ex iſtis: tùm maximè, quia, niſi probè ſciant damnationem, facilè illas imbibent ut licitas, ex frequenti lectione Auctorum, quos debent ſçpiùs evolvere, & fortè ex iis nonnullas olim amplectebantur.

2. Ut magis prodeſſem reçurrenti has theſes damnatas, duo judicavi utillima: primùm innue-

re, cui virtuti opponantur ſingulæ propoſitiones morales: alterum: addere rationem aliquam, quæ mihi videtur efficax ad oſtendendum meritò fuiſſe damnatam. Illud tamen caveat Lector, ne judicet Apoſtolicam Sedem proceſſiſſe ad damnationem ex illâ ratione: cum enim, quæ mihi videtur efficaciſſima, videri poſſit alteri infirmiſſima, qui talem judicaret rationem à me adductam, poſſet ſibi videri damnata propoſitio abſque ſufficienti fundamento, quod tamen eſſet omninò temerarium, ne quid ampliùs pro nùne dicam. Igitur Apoſtolica Sedes damnavit prædictas theſes, præcipuumque habet ſuæ damnationis fundamentum, Sancti Spiritus inſtinctum, à quo Eccleſia docetur omnem veritatem; & ubi agitur de judicatis ab Apoſtolicâ Sede, motivum illa credendi debet eſſe non ratio, ſed quia proponuntur ab ipsâ dictante Spiritu Sancto. Si verò quis ulteriùs peteret rationes, ob quas Theologi ab Apoſtolicâ Sede ad illarum examen deputati, cenſuerunt conſulendam damnationem, hujuſmodi rationes nunquam proponi conſueverunt.

Propoſitiones damnatæ de anno 1665.

3. 1. *Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum* Fidei, Spei, & Charitatis, *ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium*. Deſtruit præceptum affirmativum prædictarum virtutum, quæ ex Sancto Thomâ 2. 2. q. 161.

q. 161. a. 4. ad 1. sunt causa cæterarum, & finis: quare magis debemus versari circà illas, quam circà reliquas, quæ sunt media. Videatur S. Thomas 2. 2. de præcepto fidei q. 16. de præcepto spei q. 22. de præcepto charitatis q. 44.

4. 2. *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Duellum quatenùs ex S. Thomâ 2. 2. q. 95. a. 8. ad 3. reducitur ad divinationem sortis, est contrà religionem, &, quatenùs exponunt se periculo homicidii, est contrà justitiam; ad salvandam famam fortitudinis, non licet exponere periculo vitam hominis, quæ est bonum majus famâ: vide dicta c. 14. n. 4. & S. Thomam q. 64. a. 5. Superstitio etiam in omni casu est prohibita, ejusque species, divinatio.

5. 3. *Sententia asserens Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt; & id non derogare facultati Tridentini, in quâ de occultis criminibus sermo est, anno* 1626. 18. *Julii in Consistorio Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa, & tolerata est.* Confert jurisdictionem, quæ spectat ad virtutem justitiæ legalis, nullatenùs toleratam, sed imò semper reprobatam. Facultas Episcopis tradita per Tridentinum sess. 24. c. 6: de ref. expressè tollitur verbis Bullæ Cœnæ. Vide dicta c. 19. n. 43.

6. 4. *Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscunque sæculares ab hæresi occultâ, & ab excommunicatione propter eam incursâ.* Multò

fortiùs damnari debuit ob motivum præcedentis.

7. 5. *Quamvis evidentèr tibi conſtet Petrum eſſe hæreticum, non teneris denunciare, ſi probare non poſſis.* Offendit juſtitiam ex parte Denunciatoris, qui nunquam tenetur probare. S. Thomas 2. 2. q. 68. a. 2. ad 3.

8. 6. *Confeſſarius, qui in ſacramentali confeſſione tribuit pœnitenti cartam poſteà legendam, non cenſetur ſollicitaſſe in confeſſione, ac proinde non eſt denunciandus.* Eſt contrà virtutem Religionis, & reverentiam debitam ſacramento, ſatis explicatam à Gregorio XV. in conſtitutione contrà ſollicitantes: Ut enim verè occidit, qui tradit enſem ad occidendum, licet non adhibendum nùnc, ſed poſt mediam horam, ita ſollicitat ad rebellionem, qui tradit cartam rebellionis poſteà legendam, & ſollicitat ad Venerem in confeſſione, qui tradit tùnc inſtrumentum, quo poſteà actu ſollicitetur.

9. 7. *Modus evadendi obligationem denunciandæ ſollicitationis eſt: ſi ſollicitatus confiteatur cum ſollicitante: hic poteſt ipſam abſolvere, abſque onere denunciandi.* Tribuit juriſdictionem, quæ ſpectat ad juſtitiam legalem, & deobligat à præcepto, quod omnes indiſtinctìm afficere voluit Gregorius.

10. 8. *Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eâdem miſsâ licitè accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus, ipſimet celebranti correſpondentem; idque poſt decretum Urbani VIII.* Deſtruit rationem ſacrificii, quod eſt actus religionis; & de quo dicitur 1. Cor. 10. *Nonne qui edunt hoſtias,*

ſtias, participes ſunt altaris; & Hæbr. 5. *Debet, quemadmodum pro populo, ita & pro ſemetipſo offerre.* Vide S. Thomam 3. p. q. 82. a. 4.

11. 9. *Poſt decretum Urbani poteſt Sacerdos, cui miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, aliâ parte ſtipendii ſibi retentâ.* Contrà juſtitiam, vi cujus tenetur ad reſtitutionem ex eodem decreto, & ex reſponſo Sacræ Congregationis ad octavum, & decimum dubium, inſerto in Bullâ Innocentii XII. de celebratione Miſſarum.

12. 10. *Non eſt contrà juſtitiam pro pluribus ſacrificiis ſtipendium accipere, & ſacrificium unum offerre. Neque etiam eſt contrà fidelitatem, etiamſi promittam promiſſione, etiam juramento firmatâ, danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram.* Attende Lector: Urbanus declarat, quod hujuſmodi accipientes *ſuæ obligationi non ſatisfaciant, quinimò gravitèr peccent, & ad reſtitutionem teneantur*, quæ eſt act[illegible]ſtitiæ commutativæ; & vide, cui credendum, [illegible]u Pontifici definienti, an Theologo privato opinanti.

13. 11. *Peccata in confeſſione omiſſa, ſeù oblita ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti confeſſione exprimere.* Contrà virtutem religionis deſtruit integritatem ſacramenti, in quo ex Tridentino ſeſs. 14. c. 6. Sacerdos eſt judex, ac Medicus; & ex c. 5. *vulnus, quod ignorat, medicina non curat.* Abſolvitur quidem indirectè peccatum oblitum, ſed quia non poteſt Sacerdos judicare, quod pœnitens non accuſat, ut de illo

judicetur, debet in ſequenti confeſſione exprimi.

14. 12. *Mendicantes poſſunt abſolvere à caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtentâ ad id Epiſcoporum facultate.* Contrà juriſdictionem, quæ ſpectat ad juſtitiam legalem: quæ juriſdictio, ſi erat, fuit omninò ablatâ per Clementem VIII., & per Clementem X. Vide ſuprà c. 9. n. 8.

15. 13. *Satisfacit præcepto annuæ confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, & ab eo injuſtè reprobato.* Contrà virtutem juſtitiæ legalis, ut dat hanc juriſdictionem: Epiſcopus quidem peccat, injuſtè reprobando; ſed quis unquam ſomniavit in ullâ Republicâ, quod peccatum Principis conferat juriſdictionem, quam ipſe Princeps (licèt injuſtè) non vult conferre.

16. 14. *Qui facit confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.* Vide rationem c. 26. num. 7.

17. 15. *Pœnitens proprià auctoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat,* Vide dicta c. 6. n. 12.

18. 16. *Qui beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario.* Contrà juſtitiam legalem confert juriſdictionem non habenti, quandoquidem ab Ordinario confertur juriſdictio; & contrà Tridentinum ſeſs. 23. c. 15. de ref.

19. 17. *Eſt licitum Religioſo, vel Clerico calumniatorem, gravia crimina de ſe, vel de ſuâ religione ſpar-*

spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si Calumniator, sit paratus, vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publicè, & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur. Est contrà justitiam commutativam, & ad vitandum minus malum, quod est infamia, assumitur majus malum, quod est occisio. Vide dicta c. 14. n. 7.

20. 18. *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si aliâ viâ non potest innocens damnum evitare.* Ut præcedens; & si agatur de sententiâ mortis, adhùc non licet ex S. Thomâ 2. 2. q. 64. a. 7. Possum me defendere, etiam si sequatur mors; & quando talitèr instat violentè aggressor contrà vitam, ut nulla alia sit via me defendendi, quàm defensione occisivà. Hi autem verè, & propriè non aggrediuntur, sed imò illos ego aggredior, & ita non me defendo, sed alios offendo.

21. 19. *Non peccat maritus occidens propriâ authoritate uxorem in adulterio deprehensam.* Contrà justitiam legalem, & commutativam, nec non pietatem. Vide S. Thomam suppl. q. 60. a. 1. Hominem solus licitè potest occidere, qui à Principe constitutus est carnifex, & id postquam judicio publico reus fuit saltem convictus. Videat maritus, an à lege sit declaratus carnifex.

22. 20. *Restitutio à Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientiâ, ante sententiam declaratoriam Judicis, eo quod sit pœna.*

Ex-

Expreſsè contraria Conſtitutioni Pianæ dicenti, quod ex Concilio Lateranenſi *ſuos non faciat fructus, ſed tanquam injuſtè perceptos* erogare teneatur &c. Retinet igitur contrà juſtitiam.

23. 21. *Habens Capellaniam collativam, aut aliud quodvis beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio litterarum vacet, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi officium per alium recitet.* Peccat contrà virtutem Religionis, ad cujus determinatum actum Eccleſia obligat hujuſmodi Beneficiatum per ſe, non per alios quia eſt onus individui, non communitatis. Vide apud S. Thomam ſuppl. q. 41. a. 2. rationem pro differentiâ præceptorum communitati, & præceptorum individuo. Et etiam contrà Juſtitiam, ita ut teneatur reſtituere.

24. 22. *Non eſt contrà juſtitiam beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Eccleſiaſtica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.* Eſt peccatum acceptionis perſonarum contrà juſtitiam diſtributivã, de quo in genere vide S Thomam 2. 2. q. 62. a. 2. & q. 100. a. 3. ubi oſtendit, quæ ſunt ſpiritualibus annexa, ut à ſpiritualibus dependentia, gratis etiam exhibenda eſſe, ut ipſa ſpiritualia. Et etiam eſt Simonia contrà Religionem.

25. 23. *Frangens jejunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientiâ hoc faciat, putà, quia non vult ſe ſubiice-*

re

re præcepto. E contrà S. Thomas 2. 2. q. 147. a. 3. recognoſcit jejunium, ut actum virtutis abſtinentiæ ab Eccleſia determinatum, pro tali tempore, cujus tranſgreſſor peccet mortalitèr, non ſolum ſi contemnat ſtatutum Eccleſię, ait ad 2. ſed etiam *ſi hoc modo tranſgrediatur, quod impediatur finis, quem intendit*.

26. 24. *Mollities, Sodomia, & Beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ; ideòque ſufficit dicere in confeſſione ſe procuraſſe pollutionem*. Vide S. Thomam 2. 2. q. 154. art. 11. expreſsè diſtinguentem has omnes ſpecies immunditiarum.

27. 25. *Qui habuit copulam cum ſolutà, ſatisfacit, confeſſionis præcepto dicens: Commiſi cum ſolutà grave peccatum contrà Caſtitatem, non explicando copulam*. Tridentinum ſeſs. 14. oſtendit in confeſſione explicandam eſſe ſpeciem peccatorum, & circumſtantias neceſſarias. Porrò ex S. Thomà 1. 2. q. 72. art. 7. actus conſumatus eſt in diversà ſpecie ab actu incompleto; quare in tali caſu non explicatur ſpecies completa peccati.

28. 26. *Quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles, poteſt Judex pecuniam accipere pro ferendà ſententiâ in favorem unius præ alio*. Ex S. Thomà 2. 2. q. 67. a. 3. *Homines ad Judicem confugiunt, ut ad Juſtitiam animatam*. Juſtitia autem legibus, & ratione dirigitur, non pecuniâ.

29. 27. *Si liber ſit alicujus Junioris, & Moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dùm non conſtet, rejectam eſſe à Sede Apoſtolicâ tanquam improbabilem*.

Hæc

Hæc propoſitio, quatenùs reſpicit agibilia, pertinet ad Syneſim, & eſſent ſanè fortunati, qui naſcuntur noviſſimè, ſi, quidquid aſſerunt, judicari deberet probabile, quouſque contrarium non proferat oraculum Spiritus Sancti. At è contrà ſtatuere debet Theologus cum Boetio, quod *locus ab authoritate* humanà infirmiſſimus eſt, ut conſentit D. Thomas 1. p. q. 1. a. 8. ad 2.

30. 28. *Populus non peccat, etiamſi abſque ullà causà non recipiat legem a Principe promulgatam.* Eſt contrà juſtitiam legalem, vi cujus Rom. 13. *qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, Subditi eſtote non tantum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* S. Thomas 1. 2. q. 96. a. 4. qui ad 3. vult eſſe obediendum etiam legi injuſtè gravanti ſubditos, quando ſine ſcandalo, vel majori detrimento nequit reſiſti; & 2. 2. q. 69. a. 4. docet, quod neque reo ad mortem damnato injuſtè, licet reſiſtere per violentiam malo Principi, quando timetur ſcandalum, vel gravis turbatio.

Theſes damnatæ de anno 1666.

31. 29. *In die jejunii, qui ſæpius modicum quid comedit, & ſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.* Videntur inducti ad hanc propoſitionem contrà virtutem abſtinentiæ ex principio magis univerſali, quod plures actiones phyſicè ſeparatæ nequeunt coadunari ad integrandam unam moralem; & quia quælibet comeſtio phyſi-

cà

ca est in parvà quantitate, nequit ex illis iteratis resultare peccatum violationis jejunii. Sed si ità esset, quia in uno morsu quis parùm comedit, posset per totam diem replicare morsus sine peccato: nec enim integrarentur ad unam actionem moralem. Vide S. Thomam 2. 2. q. 147. a. 4. ad 4. ubi notat præcipi unicam comestionem, quæ sufficiat ad victum, & certum est, quod in fine dici multùm excessit contrà hoc præceptum.

32. 30. *Omnes Officiales, qui in Republicà corporalitèr laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii; nèc debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.* E contrà S. Thomas in prædicto articulo requirit, quod *causa sit evidens*, & si sit dubia, quod recurratur ad superiorem, & ad 3. differens de operariis, qui laborant corporalitèr in Republicà, ait esse obligatos jejunio, etiam si labor sit incompatibilis, quando commodè potest differri. At si non possit commodè differri, tùnc esse recurrendum ad superiorem, nisi aliud sit consuetum: nàm tùnc Prælati dissimulantes videntur annuere.

33. 31. *Excusantur absolutè à præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter necessarium sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.* Ratio data est in præcedenti.

34. 32. *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia, in quadragesimâ obliget.* S. Thomas ubi suprà a. 8. ad 3. *Inter alia jejunia solemnius est quadragesimale . . . ideò in quolibet jeju-*

nio

nio interdicitur eſus carnium; in quadrageſimali autem interdicuntur univerſaliter etiam ova, & lacticinia.

35. 33. *Reſtitutio fructuum ob omiſſionem Horarum ſuppleri poteſt per quaſcunque eleemoſinas, quas anteà Beneficiatus de fructibus ſui beneficii fecerit.* Vidimus ad 20. quod omittens horas ex Conſtitutione Pii injuſtè percipiat fructus, nec faciat ſuos: qui autem heri fecit eleemoſinam, & hodie furatur, per eleemoſinam heri factam, non facit ſuum, quod hodie furatur.

36. 34. *In die Palmarum, recitans officium Paſchale, ſatisfacit præcepto.* Contrà virtutem Religionis illo die nos obligantem ex præcepto Eccleſiæ ad multò longiorem orationem, quam nos obliget in die Paſchæ.

37. 35. *Unico officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto pro die craſtino, & præſenti.* Caſus figurabatur, ut proponitur in *Inſtructione pro ordinandis* cap. 14. num. 22. ſed quia ſeptem Horæ ſunt onus cujuslibet diei, quolibet die recitandæ ſunt ſeptem Horæ.

38. 36. *Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti privilegiis ſuis, quæ ſunt expreſsè revocata per Concilium Tridentinum.* Ac ſi poſſit eſſe meum, quod Princeps voluit non ampliùs eſſe meum, vel uti re, quæ non amplius eſt mea. Contrà juſtitiam legalem, & commutativam.

39. 37. *Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V., bodiè ſunt revalidatæ*, quando eas nullatenùs revalidarunt Pontifices, ad quos

per-

pertinet diſtributio theſauri Eccleſiæ.

40. 38. *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali, confitendi quam primùm, eſt conſilium, non præceptum.* Idem ſunt *mandatum*, & *præceptum*: è contrà opponuntur *mandatum*, & *conſilium*. quare implicat in terminis propoſitio. Contrà Religionem

41. 39. *Illa particula*, quam primum, *imtelligitur, cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur*. ſed talis non eſt propria illius particulæ ſignificatio.

42. 40. *Eſt probabilis opinio, quæ dicit eſſe tantùm veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo conſenſus ulterioris, & pollutionis periculo.* Contrarium expreſsè docuerat S. Thomas 2. 2. q. 154. a. 4. ubi vide rationem. Contrà Caſtitatem.

43. 41. *Non eſt obligandus concubinarius ad eiiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum Concubinarii*, *vulgò* Regalo, *dum deficiente illo, nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur*. Certum eſt, quod circumſtantiæ omnes explicatæ, occaſionem proximam non reddunt abſolutè involuntariam; & ſic non expoliant illam à ratione peccati. Contrà Caſtitatem.

44. 42. *Licitum eſt mutuanti aliquid ultrà ſortem exigere, ſi ſe obliget, ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus*. Et ita poteram contrà juſtitiam exigere, ſi me obligaſſem ad non repetendum per

an-

annum, per menſem, per diem, per horam, per quadrans, quantum eſt ex vi propoſitionis.

45. 43. *Annuum legatum pro animâ relictum, non durat plus, quam per decem annos.* Omninò contrarium exigit propria ſignificatio illius particulæ *Annuum legatum*. Contrà Juſtitiam.

46. 44. *Quoad forum conſcientiæ Reo correcto, ejuſque contumaciâ ceſſante, ceſſant cenſuræ:* quæ ſunt pœna; & ita magna fælicitas eſſet, ſi finito homicidio, vel alio peccato, reus non eſſet ampliùs obnoxius pœnæ. Contrà juſtitiam legalem Eccleſiaſticam.

47. 45. *Libri prohibiti, donèc expurgentur, poſſunt retineri, uſq; dùm adhibitâ diligentiâ corrigantur.* quando, & iſtos retinere prohibemur expreſsè in decrero. Contrà Studioſitatem.

Primas 28. Alexander damnavit *ad minimum ut ſcandaloſas:* At ſequentes damnavit ad minimum ut ſcandaloſas, & in praxi pernicioſas.

CAPUT XXVI.

Dantur propoſitiones prohibitæ ab Innocentio XI. ut ad minimum ſcandaloſæ, & in praxi pernicioſæ.

1. *NOn eſt illicitum in ſacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore ſacramenti, relictâ tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi.*

Hinc

Hinc sententiâ probabili tantùm utendum non est in collatione baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis. Contrà virtutem Religionis: etenim exponimus sacramenta periculo nullitatis.

2. *Probabilitèr existimo Judicem posse judicare juxtà opinionem etiam minùs probabilem.* Ex S. Thomâ 2.2. q 60. a.2. judicium est temerarium, quando *deest certitudo rationis*; quæ ex a.3. ad 1. *in humanis actibus invenitur, putà, cum aliquid per idoneos testes probatur.* Vide clariùs, & fusiùs eundem q.67. a. 2. Contrà justitiam.

3. *Generatim, dum probabilitate, sive intrinsecà, sive extrinsecà, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudentèr agimus.* Probabilitas extrinseca est authoritas Doctorum, quæ ex c. 25. n. 29. ad probandum est *locus infirmissimus.* Prudentiâ, utpotè virtus in intellectu residens respicit, pro objecto, quod est per se verum, sed practicum, ideòque potens deficere, sed per accidens, & ut in pauciori-bus; quare nullatenùs potest respicere probabile, ut in propositione.

4. *Ab infidelitate excusabitur infidelis, non credens ductus opinione minùs probabili.* Ex S. Thomâ 2.2. q. 1. a. 1. motivum, quo ducimur ad credendum, est veritas prima revelans; propterea ex eodem qu. 10. art. 1. non ex opinione, infidelitas rationem exuit peccati, sed quia nihil infidelis audierit de fide.

5. *An peccet mortalitèr, qui actum dilectionis Dei*

ſemèl tantùm in vitâ eliceret? condemnare non audemus. Vide primam Alexandri VII.

6. *Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigorosè quinquenniis per ſe obligare præceptum charitatis ergà Deum.* Vide eandem.

7. *Tunc ſolùm obligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, quâ juſtificari poſſumus.* tenemur juſtificari, ut amemus Deum, non amare Deum, ut juſtificemur.

8. *Comedere, & bibere uſque ad ſatietatem, ob ſolam voluptatem, non eſt peccatum, modò non obſit valetudini, quia licitè poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui.* In nullo actu poſſumus quærere delectationem ſecundum ſe; quare peccat, qui comedit ob ſolam voluptatem; multò magis ſi comedat ad ſatietatem. S. Thomas ſuppl. q. 49. a. 6. in argumento: *Sed cõtrà.* Eſt contra Abſtinentiam.

9. *Opus conjugii ob ſolam voluptatem exercitum, omni pœnitùs caret culpâ, ac defectu veniali.* Ratio præcedentis eſt univerſalis. Vide S. Thomam ſuppl. q. 49. a. 6. Contrà Caſtitatem.

10. *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.* Vide S. Thomam 2. 2. q. 25. a. 12., qui ex S. Auguſtino ponit quatuor diligenda ex charitate, Deum, qui ſuprà nos eſt, nos ipſos, qui intrà nos ſumus, proximum, qui juxtà nos eſt, & corpus proprium, quod infrà nos eſt. Secundum mandatum eſt Matt. 22. *Diliges proximum tuum.* dilectio autem eſt actus internus, & formalis. Contrà Charitatem.

11. *Præ-*

11. *Præcepto proximum diligendi, satisfacere possumus per solos actus externos*. Vide præcedentem.

12. *Vix in sæcularibus, invenies, etiam in regibus superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosinam, quando tenetur tantùm ex superfluo statui*: Dicitur 1. Jo. 3. *Non diligamus verbo, neque linguâ, sed opere, & veritate;* quare ultrà actum internum diligendus est proximus, etiam per externam beneficentiam: quid autem intelligatur per superfluum statui, vide apud S. Thomam 2. 2. q. 32. a. 5. & 6. Contrà Charitatem.

13. *Si cum debitâ moderatione facias, potes absque peccato mortali, de vitâ alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare; non quidem ex displicentiâ personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum*. Mors proximi solùm potest ordinari, ut medium, ad bonum publicum, utpotè majus, & quidem ab habente authoritatem publicam, & quando vita esset maximè damnosa bono publico. Contrà Charitatem approbat Invidiam.

14. *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirùm ei obventura est pinguis hæreditas*. Vide præcedentem.

15. *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis à se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas*. Vide duas præcedentes.

16. *Fides non censetur cadere sub præceptum spe-*

ciale, & ſecundum ſe. Dicitur Jo. 1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, bis, qui credunt in nomine ejus*: Contrà Fidem.

17. *Satis eſt actum fidei ſemèl in vitâ elicere.* Vide primam ex damnatis ab Alexando VII.; & præcedentem.

18. *Si à poteſtate publicâ quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo, & fidei glorioſum conſulo: tacere, ut peccaminoſum periſe non damno.* Contrarium probat S. Thomas 2.2. q.3. a.2. ex illo Ro.10. *Ore confeſſio fit ad ſalutem*, dicens obligari, *ſi quis interrogatus de fide taceret*, & ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quòd fides non *eſſet vera, vel alii, per ejus taciturnitutem, averterentur à fide.*

19. *Voluntas non poteſt efficere, ut aſſenſus fidei in ſe ipſo ſit magis firmus; quàm mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.* Pertinacia, quà ſæpè defendimus vana, & futilia, etiam ſine ullâ ratione, oſtendit, quàm falſa ſit propoſitio. Contrà Fidem.

20. *Hinc poteſt quis prudentèr repudiare aſſenſum, quem habebat ſupernaturalem.* Prudentia eſt recta ratio agibilium; & aſſenſus ſupernaturalis eſt aſſenſus fundatus in revelatione divinâ: quare juxtà hanc Theſim, recta ratio poterat dictare, quod ut falſa repudiaremus, quæ Deus revelavit eſſe vera.

21. *Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem, ſtat cum notitiâ ſolùm probabili revelationis;*

imò

imò cum formidine, quà quis formidet, ne non sit locutus Deus. E' contrà ex Augustino Angelicus 2.2. q. 171. a. 5. vult quod fidei assensus habeat *maximam certitudinem*, & quod Abraham nullatenùs præparasset se ad immolandum filium, *nisi de divinâ revelatione fuisset certissimus.*

22. *Non nisi fides unius Dei videtur necessaria necessitate medii; non autem explicita Remuneratoris.* E' contrà Hæbr. 11. dicitur: *Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit*: Si est necessaria charitas, etiam fides, & spes, quæ præcedunt charitatem.

23. *Fides latè dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo, ad justificationem sufficit.* Debet præcedere virtus fidei Theologicæ, hoc est, fundatæ in testimonio primæ veritatis loquentis ad Ecclesiam Catholicam, & per Ecclesiam Catholicam nobis.

24. *Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.* E' contrà S. Thomas 2. 2. q. 98. a. 3. ad 2. *Qui jocosè perjurat, non evitat divinam irreverentiam, sed quantum ad aliquid magis auget; & ideò non excusatur à peccato mortali.* Contrà Religionem.

25. *Cum causà licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.* Qui jurat sine animo jurandi, adhibet verba de se significativa animi, quem non habet; & ita mentitur, habens aliud in ore, aliud in corde. Vide S. Thomam

2. 2. q. 110. a. 1. Contrà Religionem.

26. *Si quis, vel solus, vel coràm aliis, sive interrogatus, sive propriâ sponte, sive recreationis causâ, sive quocunque alio fine juret, se non feciſſe aliquid, quod reverà fecit, intelligendo intrà se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab eâ, in quâ fecit, vel quodvis aliud additum verum, reverà non mentitur, nec eſt perjurus.* Juramentum confirmat, quod ore exprimitur: quare ſi aliud ſit in mente, aliud in voce, jàm eſt mendacium. Contrà Religionem.

27. *Cauſa juſta utendi his amphibologiis eſt, quotiès id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem corporis, bonorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, itaut veritatis occultatio cenſeatur tùnc expediens, & ſtudioſa.* Occultare veritatem tacendo, licet aliquando ex S. Thomâ 2. 2. q. 69. a. 1. ſed utendo amphibologiis in datis caſibus facimus aliquid ampliùs, quàm occultare ſilentio veritatem: Porrò præparans ſe ad confeſſiones inveſtiget, ad quod vitium reducatur hæc amphibologia, ut poſſit Theologicè diſcernere, nùm liceat ob graviores cauſas. Contra Veracitatem.

28. *Qui mediante commendatione, vel munere, ad Magiſtratum, vel Officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare juramentum, quod de mandato Regis à ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.* S. Thomas 2. 2. q. 89. a. 7. ad 4. ait: *Quando non eſt eadem juranti s intentio, & ejus,*

cui

cui jurat, si hoc provenit ex dolo jurantis, debet servari juxtà sanum intellectum ejus, cui juramentum præstatur: Vide illum: duo enim probat: primò quod tale juramentum sit dolosum, & per consequens perjurium: secundò quod servandum sit juxtà intentionem exigentis.

29. *Urgens metus gravis est causa justa sacramentorum administrationem simulandi*. Hæc simulatio, utpotè intrinsecè mala, non potest cohonestari ex timore gravi. Contrà Religionem.

30. *Fas est viro bonorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si alitèr hæc ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat; & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat*. Est contrà justitiam commutativam: Vide 18. Alexandri VII.

31. *Regularitèr possum occidere furem pro conservatione unius aurei*. Hanc Thesim horrebant etiam Hæretici, utpotè facientem minoris uno aureo vitam hominis. Contrà Justitiam.

32. *Non solùm licitum est defendere defensione occisivâ, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus*. Verbo defensionis cohonestat occisionem, quæ est vera offensio, nisi ad summum in casu, de quo S. Thomas adductus ad 18. Alexandri VII. Contrà Justitiam.

33. *Licitum est tàm Hæredi, quàm Legatario contrà injustè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se talitèr defendere, sicut & jus habenti*

benti in Cathedram, vel præbendam contrà eorum possessionem injustè impedientem. Vide præcedentem. Occisio nulla tenùs potest intendi, & ut permittatur licitè, nulla alia debet esse via defendendi vitam meam. Contrà Justitiam.

34. *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.* Reducitur ad homicidium innocentis, cùi vita impeditur; nec potest tolli vita vel in actu, vel in potentiâ innocenti, ne tollatur vita peccatori; multò minùs ne tollatur fama, quæ est bonum inferius vitâ. Contrà Justitiam.

35. *Videtur probabile, omnem fœtum, quàndiu in utero est, carere animâ rationali, & tùnc primùm incipere eandem habere, cùm paritur, ac consequentèr dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.* Contrà omnem Philosophiam inducta fuit hæc opinio, ut juxtà præcedentem, puellæ passìm, ad salvandam famam, possent procurare quemlibet abortum.

36. *Permissum est furari, non solùm in extremâ necessitate, sed etiam in gravi.* Contrà justitiam: vide S. Thomam 2. 2. q. 66. a. 7. qui docet arbitrio possidentis esse commissum, ut dispensèt propria, ut subveniat necessitatibus aliorum; & tunc solùm licitè accipi posse rem alienam, quando est *evidens, & urgens necessitas*, hoc est, *cum imminet personæ periculum, & alitèr subveniri non potest.*

37. *Famuli, & famulæ domesticæ possunt occultè heris suis surripere, ad compensandam operam suam;*

quam

quam majorem judicant salario, quod recipiunt. Et ita in causâ propriâ famulus constituitur Judex sui heri, quo nihil monstruosius? Contrà Justitiam.

38. *Non tenetur quis sub pœnâ peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcunque sit magna summa totalis.* Ita docentes decepti sūt eo, quia semper iste fur accipit alienum in materiâ levi; sed notandum, quod restituere tenetur etiam, qui alienum retinet in materiâ gravi, esto non peccasset, quando accepit; ergo fur, de quo in casu, peccat mortalitèr, quia retinet; imò retentio voluntaria est continuata acceptio, sicuti conservatio rei est continuata productio. Contrà justitiam.

39. *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.* Quicumque est causa injustitiæ tenetur eam reparare; & in moralibus magis considerantur causæ morales, quàm physicæ. Vide 2. 2. q. 62. a. 7.

40. *Contractus* Mohatra *licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito, cum intentione lucri.* Contractus est hujusmodi. Titio à me petenti centum uummos, offero pannum valoris centum, si æstimetur pretio rigoroso; & paciscor, quòd statim ubi Titius emerit tali pretio, ipse pannum eundem mihi vendat pretio infimo, quod est octogintà, quos statim enumero, recipiens mihi pannum; & ita

in

in rei veritate, præſcindendo à ſubtilitatibus metaphyſicis, do octogintà, & in ſyngraphâ ſcribitur Titius debitor centum. Contrà Juſtitiam.

41. *Cum numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non majoris faciat pecuniam præſentem, quam futuram, poteſt Creditor aliquid ultrà ſortem à Mutuatario exigere, & eo titulo ab uſurâ excuſari.* Coincidit cum 42. Alexandri VII. poſſemque juxtà theſim mutuando tibi centum per quadrans, aliquid exigere, ſicuti mutuans per annum, quod eſt vendere tempus. Contrà Juſtitiam.

42. *Uſura non eſt, dum ultrà ſortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentiâ, & gratitudine debitum; ſed ſolùm ſi exigatur, tanquam ex juſtitiâ debitum.* S. Thomas 2. 2. q. 106. a. 1. ad 2. *Ad virtutem gratitudinis retributio pertinet, quæ fit ex ſolo debito honeſtatis, quam, ſcilicet, aliquis ſponte facit.* quare implicant hæc duo ſimùl *exigere*, & *exigere ex gratitudine*; ſed qui exigit, debet eſſe fundatus in juſtitiâ.

43. *Quid ni non niſi veniale ſit, detrahentis auctoritatem magnam ſibi noxiam falſo crimine elidere?* Poſt vitam, & bona exteriora tot modis impetita, impetitur jàm fama proximi. E contrà S. Thomas 2. 2. q. 73. a. 2. ait: *Auferre alicui famam valdè grave eſt, quia inter res temporales videtur fama eſſe pretioſior.* Contrà Juſtitiam.

44. *Probabile eſt, non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam juſtitiam, & bonorem*

norem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla opinio erit probabilis in Theologiâ. Sub specioso titulo defensionis, licitè, quando est regulata ratione, involvitur offensio gravissima, quæ semper de naturâ suâ est peccatum mortale. Contrà Justitiam.

45. *Dare temporale pro spirituali, non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum, gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra.* Unicum spiritualia conferendi, vel efficiendi motivum est bonum Ecclesiæ ex S. Thomâ 2. 2. q. 63. a. 2. Propterea neque possum dare spiritualia, ut gratuitè compensem temporalia mihi collata: nam unicè possum dare spiritualia in bonum Ecclesiæ: neque possum, ex motivo compẽsandi spiritualia, mihi collata, dare temporalia, quia compensatio importat proportionem, quæ nulla potest esse inter temporale, & spirituale, addito maximè, quod justitia distributiva debet habere locum in spiritualibus, quorum dispensator non est dominus; & sic non potest compensari de eo, quod mihi non confert gratis: nàm gratitudo compensantis præsupponit gratiam benefactoris. Contrà Religionem.

46. *Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; imò etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis sic, ut illud pluris æstimetur, quàm res spiritualis.* Multò gravior præcedenti.

47. *Cum dixit Concilium Tridentinum eos alienis*

pec-

peccatis communicantes mortalitèr peccare, qui, niſi, quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, ad Eccleſias promovent, Concilium vel primò videtur, per hoc digniores, *non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum, ſumpto comparativo pro poſitivo; vel ſecundò locutione minùs propriâ ponit digniores, ut excludat indignos: non verò dignos, vel tandem loquitur tertiò, quando ſit concurſus.* Omnes explicationes de ſe corruunt, ſemper enim verba ſunt accipienda in ſenſu proprio, niſi alitèr cogat neceſſitas. Tres iſtæ Theſes tangunt bona ſpiritualia.

48. *Tàm clarum videtur fornicationem ſecundum ſe nullam involvere malitiam; & ſolum eſſe malam, quia interdicta, ut contrarium omninò rationi diſſonum videatur.* E contrà tàm clarum eſt fornicationem eſſe prohibitam jure naturæ, utpotè adverſantem fini ſecundario generationis, qui eſt educatio prolis, ut habentes aliquod lumen rationis, non poſſint capere, quomodo Theologi potuerint docere contrarium. Vide S. Thomam 2. 2. q. 154. art. 2. Contrà Caſtitatem.

49. *Mollities jure naturæ probibita non eſt. Unde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpè eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali.* Quæ tamen eſt gravius peccatum ſimplici fornicatione, quia eſt contrà primarium finem à naturâ intentum: & ideò dicitur *peccatum contrà naturam.* Vide S. Thomam a. 11. Contrà Caſtitarem.

50. *Copula cum conjugata, conſentiente marito,*

non

non eſt adulterium; adeòque ſufficit in confeſſione dicere ſe eſſe fornicatum. Committit injuſtitiam, qui de jure non poteſt conſentire, etiamſi de facto conſentiat, ut apparet in depoſitario, qui de facto conſentit furanti depoſitum; & ideò eſt adulterium, ſi maritus conſentiat, quia de jure non poteſt conſentire, ut ſua uxor commiſceatur alteri. S. Thomas a. 8. in argumento *Sed contra.*

51. *Famulus, qui, ſubmiſſis humeris, ſcientèr adjuvat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandum Virginem, & multotiès eidem deſervit deferendo ſcalam, aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, putà, ne a Domino malè tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur; ne domo expellatur.* Certum eſt, quod hujuſmodi actiones abſque ullo metu, & causà factæ, erant de ſe, & ab intrinſeco illicitæ contrà ſextum Decalogi præceptum. Porrò nulla actio contrà hoc præceptum poteſt cohoneſtari per ullum metum etiam mortis Contrà Caſtitatem.

52. *Præceptum ſervandi feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus.* Contrà virtutem Religionis, cujus actum determinatum præcipit Eccleſia, & de ratione præcepti eſt obligare ſub mortali. S. Thomas 2. 2. quæſt. 104. & q. 186. art. 9. ad 2.

53. *Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo ſacro, qui duas ejus partes, imò quatuor ſimùl a diverſis celebrantibus audit.* Contrà virtutem Religionis,

nis, quæ ex præcepto Ecclesiæ nos obligat ad sacrum integrum; nec talitèr auditum dici potest integrum in proprio verborum sensu.

54. *Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.* Imò è contrà ubi debemus aliquod divisibile, si non possumus reddere totum, reddimus partem, quam possumus. Deo, Patribus, & Magistris non possumus reddere ad æqualitatem; & ridiculus esset, qui propterea, nihil redderet. Contrà Religionem.

55. *Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.* Vide 14. Alexandri VII. Contrà Religionem.

56. *Frequens Confessio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.* Dicitur 2. Petr. 1. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* Igitur bona opera sunt nota, seù signum prædestinationis.

57. *Probabile est sufficere attritionem naturalem, modò honestam.* Debent esse in eodẽ genere forma, & dispositio ad formã: sicut igitur gratia per sacramentum Pœnitentiæ introducenda, est supernaturalis; debet etiam esse talis attritio, quę disponit ad gratiam, & ad convertendum hominem in Deum, ut Authorem supernaturalem. Per quid autem actus dicatur supernaturalis, vide dicta c. 13. n. 3. Contrà Religionem.

18. *Non tenemur Confessario interroganti fateri pec-*

peccati alicujus consuetudinem. Consuetudo ex c.22. n.4. est circumstantia, quæ variat judicium Confessarii, & ideò explicanda; etenim juxtà ibi dicta, ut plurimum debebit differre absolutionem. Contrà Pœnitentiam.

59. *Licet sacramentalitèr absolvere dimidiatè tantùm confessos ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut Indulgentiæ.* Vide c. 13. n. 4.

60. *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contrà legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, & si emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio; dummodò ore proferat se dolere, & proponere emendationem.* Dicitur Matth. 7. *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui fecerit,* &c. Contrà Pœnitentiam.

61. *Potest aliquando absolvi, qui in proximà occasione peccãdi versatur, quam potest, et nõ vult omittere; quin imò directè, & ex proposito quęrit, aut ei se ingerit.* Dictum est c. 22. n. 5. quod occasio proxima voluntaria peccandi est peccatum spectans ad speciem illius peccati, in cujus occasione se constituit: quare Thesis docet posse absolvi, qui est in proposito, seù voluntate peccandi.

62. *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.* Semper ob dictam rationem fugienda est occasio proxima; potest tamen dari casus, quod reddatur involuntaria, ut contingit in filio familias;

lias; & tunc utpotè involuntaria non eſt peccatum.

63. *Licitum eſt quærere directè occaſionem proximam peccandi pro bono temporali, vel ſpirituali, noſtro, vel proximi.* Ut ad duas præcedentes.

64. *Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantiâ Myſteriorum Fidei; & etiamſi per negligentiam, etiam culpabilem, neſciat myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Noſtri Jeſu Chriſti.* Ignorans, etiam invincibiliter myſteria neceſſaria neceſſitate medii, ſicut non poteſt ſalvari, ita non poteſt juſtificari per ſacramentum, quia gratia eſt ſemen gloriæ. Ignorans culpabilitèr myſteria neceſſitate præcepti, niſi pœniteat ignorantiæ, eſt voluntariè conſtitutus in peccato habituali; & ita abſolveretur, qui eſt in voluntate peccandi. Contrà Pœnitentiam.

65. *Sufficit illa myſteria ſemèl credidiſſe.* Vide Tridentinum c. 4. n. 5. ex quo mihi videor deduxiſſe, quod homo quotiès vult juſtificari, debet ad ejus juſtificationem influere ſaltèm virtualiter actus fidei de illis myſteriis. Ex propoſitione 57. dolor debet eſſe ſupernaturalis, hoc eſt, regulatus lumine fidei; in quâ fide prædicta ſunt principaliora myſteria; & in omni genere, quod eſt principale, magis debet influere. Contrà Fidem, & Pœnitentiam.

CA-

CAPUT XXVII.

Dantur propositiones ab Innocentio XI. prohibitæ, Michaelis de Molinos.

1. HArum notitia non est omninò necessaria, ut præcedentium, Confessori ordinario, & exposito multitudini fidelium, nihilominùs quia plurimi amantes perfectionis Christianæ, præsertìm inter Moniales, affectant contemplationem acquisitam, cui persuadendæ Molinos illa scripsit, erit utilissimum cuilibet, habere prædictam damnationem. Et quia plerèque propositionum sunt dogmaticæ, non potest dici, quod opponantur virtutibus in praxi; quare ab hoc abstinebo, sed tantùm assignabo brevem rationem. Cave tamen, ne cogites inductam à meà ratione Sedem Apostolicam ad illas damnandas, juxtà dicta c. 25. n. 2.

1. *Oportet hominem suas potentias annihilare. Et hæc est Via interna.*

Dùm dicitur *annihilare potentias*, intelligitur, quod nihil operentur per suam virtutem, ita ut solùm moveantur à Deo, ut ab artifice ad operandum movetur martellus, non moveant se ipsas, ut est proprium rationalis creaturæ, à Deo quidem motæ, sed, & simul moventis se ipsam: quare propositio mihi videtur contrà Tridentinum sess. 6. c. 5. in illis verbis: *Tangente Deo cor hominis*

per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omninò agit &c.

2. *Velle operari activè est Deum offendere, qui vult ipse esse solus Agens; & ideò opus est se ipsum in Deo totum, & totaliter derelinquere, & postea permanere, velut corpus exanime.* Vides clariùs in hac secundâ insinuatum primæ sensum, & datam apertè paritatem instrumenti inanimati, non sè moventis, sed tantùm moti.

3. *Vota de aliquo faciendo sunt perfectionis impeditiva.* Cum tamen Religionis vota sint consilia Evangelica; quæ ducunt ad perfectionem.

4. *Activitas naturalis est gratiæ inimica, impeditque Dei operationes, & veram perfectionem, quia Deus operari vult in nobis, sine nobis.* E contrà Augustinus ab Ecclesiâ totâ receptus habet illud insigne. *Qui fecit te sine te, non justificabit te sine te.* quod intelligitur etiam de augmento quolibet justificationis.

5. *Nihil operando Anima se annihilat, & ad suum principium redit, & ad suam originem, quæ est essentia Dei, in quâ trãsformata remanet, & divinizata, & Deus tunc in se ipso remanet; quia tunc non sunt ampliùs duæ res unitæ, sed una tantùm: & hac ratione Deus vivit, & regnat in nobis, & Anima se ipsam annihilat in esse operativo.* Anima divinizatur faciendo operationes proprias Dei, quæ sunt cognoscere, & amare Deum: Vita Dei est ejus operatio; quare in nobis vivit, & regnat, si operemur modo proprio creaturæ rationalis, qui est moveri à Deo,

Deo, & se movere. Deus communicat animæ non solùm esse divinum per gratiam, sed etiam operari divina per cognitionem, & amorem: quare anima debet esse, non ut corpus exanime, sed ut anima, cui proprium est se movere ad operandum.

6. *Via interna est illa, in quà non cognoscitur nec lumen, nec amor, nec resignatio, & non oportet Deum cognoscere, & hoc modo, rectè proceditur.* Contrà illud Apostoli 1. Cor. 2. *Spiritum Dei accepimus, ut sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis.* Et super hoc textu vide S. Thomam 2. 2. q. 161. a. 3.

7. *Non debet Anima cogitare, nec de præmio, nec de punitione, nec de Paradiso, nec de inferno, nec de morte, nec de æternitate.* Cõtrà hanc sufficiat innuere, quod fides explicita Dei Remuneratoris per Paradisum, & infernum, est necessaria necessitate mediis.

8. *Non debet velle scire, an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eâdem voluntate resignata maneat, nec nè, nec opus est, ut velit cognoscere suum statum, nec proprium nihil, sed debet, ut corpus exanime, manere.* Vide primam, & sextam.

9. *Non debet anima reminiscì, nec sui, nec Dei, & in viâ internâ omnis reflexio est nociva, etiam reflexio ad suas humanas actiones, & ad proprios defectus.* In tribus fidei mysteriis necessariis necessitate medii reminiscimur Dei, & animæ nostræ, cui ut immortali confertur præmium, & pœna. In examine autem conscientiæ, reflectimus ad nostras actiones, & defectus.

10. *Si propriis defectibus alios, ſcandalizet non eſt neceſſarium reflectere, dummodò non adſit voluntas ſcandalizandi, & ad proprios defectus non poſſe reflectere gratia Dei eſt.* Ut in aliis peccatis, ita in ſcandalo, peccatur, etiamſi deſit voluntas ſcandalizandi, ſi actio de ſe ſit occaſio ruinæ ſpiritualis. Quoad ſecundum, ſi eſſet verum, eſſet gratia Dei, non peccatum, relinquere examen conſcientiæ ad confeſſionem.

11. *Ad dubia, quæ occurunt, an rectè procedatur nec nè, non opus eſt reflectere.* Imò è contrà opus eſt reflectere; nàm operans cum conſcientià dubià peccat: quare opus eſt deponere dubium re prudentèr examinatà; vel ſuſpendere operationem, ſi dubium perſeveret.

12. *Qui ſuum liberum arbitrium Deo donavit, de nullà re debet curam habere, nec de Inferno, nec de Paradiſo; nec debet deſiderium b[illegible]e propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ ſanctitatis, nec propriæ ſalutis, cujus ſpem purgare debet.* Quoad Infernum, & Paradiſum vide prop. 7. Quoad propriam perfectionem &c. eſt contrà illud Luc. 13. *Cõtendite intrare per anguſtam portam.* Hæc anguſta porta eſt perfectio Chriſtiana, & verbum *Contendere* ſignificat ardens deſiderium.

13. *Reſignato Deo libero arbitrio, eidem Deo relinquenda eſt cogitatio, & cura de omni re noſtrà, & relinquere, ut faciat in nobis ſine nobis ſuam divinam voluntatem.* Vide contrarium Auguſtini dictum prop. 4.

14. *Qui*

14. *Qui divinæ voluntati resignatus est, non convenit, ut à Deo rem aliquam petat; quia petere est imperfectio, cum sit actus propriæ voluntatis, & electionis; & est velle, quod divina voluntas nostræ conformetur, & non quod nostra divinæ; Et illud Evangelii:* Petite, & accipietis, *non est dictum à Christo pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem. Imo hujusmodi Animæ, eò perveniunt, ut non possint à Deo rem aliquam petere.* Petere est indigentis, quare si animæ internæ non petunt, nec possunt petere, non indigent. Dum petimus, conformamur divinæ voluntati, quia ipse non solum voluit, sed præcepit, ut peteremus. Verbum illud *Petite* &c. habetur Luc. 11. postquam Christus docuerat orationem Dominicam. Porrò hanc ex Matth. 6. colligitur docuisse Dominus in mon[illegible]ro eo tempore, quo explicuerat octo beatitudines, quæ sunt summa totius Christianæ perfectionis.

15. *Sicut non debent rem aliquam petere à Deo, ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debent, quia utrumque est actus propriæ voluntatis.* Contrà illud Apostoli, Eph. 5. *Implemini Spiritu Sancto*, quod est perfectorum, *gratias agentes semper pro omnibus.*

16. *Non convenit Indulgentias quærere, pro pœnâ propriis peccatis debitâ, quia melius est divinæ justitiæ satisfacere, quàm divinam misericordiam quærere, quoniam illud ex puro Dei amore procedit, & istud ab amore nostri interessato; nec est res Deo grata, nec meritoria, quia est velle Crucem fugere.* In om-

ni opere Dei ſplendet miſericordia, & juſtitia, ſed *Miſericordia ſuperexaltat judicium* Jacob. 2. Quærenda nobis eſt gloria Dei, ſed in miſericordiâ, non in juſtitiâ, ſicut ipſe dixit: *Miſericordiam volo, & non judicium*: Matth.9.

17. *Tradito Deo libero arbitrio, & eidem relictâ curâ, & cognitione Animæ noſtræ, non eſt amplius habenda ratio tentationum, nec eis alia reſiſtentia fieri debet, niſi negativa, nullâ adhibitâ induſtriâ; & ſi natura commovetur, oportet ſinere, ut commoveatur, quia eſt natura,* Contrà illud Pauli, Eph.6. *Accipite armaturam Dei, ut poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus PERFECTI ſtare.* Et Jac. 4. *Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis.*

18. *Qui in oratione utitur imaginibus, figuris, ſpeciebus, & propriis conceptibus non adorat Deum in ſpiritu, & veritate.* Illud Jo.4. ex quo conſtituitur ſecunda pars explicatur à S. Thomâ 2. 2. q.81. ad 1. quod adoratio externa debeat procedere ab actu interno, & q.83. a.13. ad 1. quod actus iſte internus debeat eſſe ex inſtinctu Spiritus Sancti operantis in homine, juxtà modum hominis, qui per ſenſibilia ducitur ad inſenſibilia.

19. *Qui amat Deum eo modo, quo ratio argumentatur, aut intellectu comprehendit, non amat verum Deum.* Niſi aliud obſtet, amat verum Deum, quia amor ſequitur ad cognitionem, & *Inviſibilia Dei à creaturâ mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*, licèt imperfectè.

20. *Aſſerere, quod in oratione ſibi opus eſt per diſcur-*

discursum auxilium ferre, & per cogitationes, quando Deus animam non alloquitur, ignorantia est: Deus nunquam loquitur: ejus locutio est operatio; & semper in Animâ operatur, quando hæc suis discursibus, cogitationibus, & operationibus eum non impedit. Contrà illud Tridentini ab Augustino desumptum: *Deus jubendo monet, & facere, quod possis, & petere, quod non possis.*

21. *In oratione opus est manere in fide obscurâ, & universali, cum quiete, & oblivione cujuscunque cogitationis particularis, ac distinctæ Attributorum Dei, ac Trinitatis; & sic in Dei præsentiâ manere ad illum adorandum, & amandum, eique inserviendum sed absque productione actuum, quia Deus in his sibi non complacet.* Ad actum explicitum fidei, de Deo Uno, & Trino, Remuneratore, & Incarnato convenit, quod sequatur in voluntate Adoratio, & Amor, cum hi sint actus voluntatis: Ridiculus est, qui dicit Deum adorandum, & amandum, sed absque productione actuum.

22. *Cognitio hæc per fidem non est actus à creaturâ productus, sed est cognitio à Deo creaturæ tradita, quam creatura se habere non cognoscit, nec poste à cognoscit illam se habuisse, & idem dicitur de Amore.* Cognitio, & Amor sunt actus creaturæ rationalis; quare in isto statu (quidquid sit de possibili) sunt actus producti ab homine moto quidem primo à Deo, sed & se movente.

23. *Mystici cum S. Bernardo, in scalà Claustralium, distinguunt quatuor gradus Lectionem, Medi-*

tationem, Orationem, & Contemplationem infusam. Qui semper in primo sistit, nunquam ad secundum pertransit. Qui semper in secundo persistit, nunquam ad tertium pervenit, qui est nostra contemplatio acquisita, in quà per totam vitam persistendum est, dummodò Deus animam non trahat, absque eo qnod ipsa id expectet, ad contemplationem infusam; Et hac cessante, Anima regredi debet ad tertium gradum, absque eo, quod ampliùs redeat ad secundum, aut primùm. E contrà S. Thomas 2. 2. q. 180. a. 3. ponit omnes illos pertinere ad vitam contemplativam, & a. 6. ponit motum obliquum compositum ex circulari, & recto. Rectus autem est per discursum, quare motus contemplationis obliquus habet discurrere meditando. Et ita si cessat actualis contemplatio, debemus redire ad meditationem.

24. *Qualescunque cogitationes in oratione occurrãt, etiam impuræ, etiam contrà Deum, Sanctos, Fidem, & Sacramenta, si voluntariè non nutriantur, nec voluntariè expellantur, sed cum indifferentiâ, & resignatione tolerentur, non impedium Orationem fidei; imò eam perfectiorem efficiunt, quia Anima tunc magis divinæ voluntati resignata remanet.* Vide 17.

25. *Etiamsi superveniat somnus, & dormiatur, nihilominùs fit oratio, & contemplatio actualis; quia oratio, & resignatio, resignatio, & oratio idem sunt; & dum resignatio perdurat, perdurat & oratio.* Ridiculus est, qui vult durare actum, aut orationis, aut resignationis, quando per somnum cessat omnis actus, & usus rationis. Equidem S. Tho-

S. Thomas 1. 2. q. 3. a. 2. ad 4. dicit operationem quasi continuam, esto dormiamus (ex necessitate naturæ, non in oratione) sed manifestè ait per somnum cessare actum omnem, & vult quasi continuari contemplationem, quia somnus ordinatur, ut deinde possimus actu contemplari.

26. *Tres illæ viæ, Purgativa, Illuminativa, & Unitiva sunt absurdum maximum, quod dictum fuerit in mysticâ; cum non sit nisi unica via, scilicet, via Interna.* Sufficiat, quod Ecclesia tota semper diviserit illas tres vias.

27. *Qui desiderat, & amplectitur devotionem sensibilem, non desiderat, nec quærit Deum, sed se ipsum; & malè agit, cum desiderat, & eam habere conatur, qui per viam internam incedit tàm in locis sacris, quàm in diebus solemnibus.* Non malè desiderat, qui ut medium desiderat, quod est ordinatum à Deo ad aliquem finem: quare desiderans devotionem sensibilem, ut medium ad intelligibilem, non malè agit, nec quærit seipsum.

28. *Tædium rerum spiritualium bonum est; siquidem per illud purgatur amor proprius.* Hoc tædium est Acidia; quare Acidia non erit vitium capitale, sed virtus; quo nihil ineptius?

29. *Dum anima interna fastidit discursus de Deo, & virtutes, & frigida remanet, nullum in se ipsa sentiens fervorem, bonum signum est.* Vti ad præcedentem.

30. *Totum sensibile, quod experimur in vitâ spirituali, est abominabile, spurcum, & immundum.* Media

dia ſpecificantur à fine. Cum igitur hoc ſenſibile ſit medium ad vitam ſpiritualem, cogitur dicere, quod hæc ſit abominabilis, ſpurca, & immunda.

31. *Nullus meditativus veras virtutes exercet internas, quæ non debent à ſenſibus cognoſci. Opus eſt amittere virtutes.* Quoad primam partem Meditativus, ſi non exercet virtutes, non amabit Deum neque ſperabit, aut credet; & ita erit ſemper in peccato mortali; nam aliàs obligamur exercere actus verarum virtutum Theologalium. Quoad ſecundam, ſi opus eſt amittere virtutes, debebimus acquirere vitia.

32. *Nec ante, nec poſt communionem, alia requiritur præparatio, aut gratiarum actio (pro iſtis animabus internis) quàm permanentia in ſolitâ reſignatione paſſivâ, quià modo perfectiore ſupplet omnes actus virtutum, qui poſſunt, & fiunt in viâ ordinariâ. Et ſi hac occaſione Communionis, inſurgunt motus humiliationis, petitionis aut gratiarum actionis, reprimendi ſunt, quoties non dignoſcatur eos eſſe ex impulſu ſpeciali Dei; Aliàs ſunt impulſus naturæ nondum mortuæ.* Quaſi (quoad primam partem) ſit melius nihil boni operari, quàm operari. Quoad ſecundam; lumen fidei ſufficienter nos docet, quod nemo poteſt facere hos actus, niſi in Spiritu Sancto. Lumine ulteriori non indigemus. Natura nondum mortua inclinat ad actus ſuperbiæ, non humiliationis &c.

33. *Malè agit Anima, quæ procedit per hanc viam in-*

internam, si in diebus solemnibus vult aliquo conatu particulari excitare in se devotum aliquem sensum, quoniam Animæ internæ omnes dies sunt æquales, omnes festivi. Et idem dicitur de locis sacris, quia hujusmodi Animabus, omnia loca sunt æqualia. Si vera esset hęc doctrina, malè fideles, in diebus festis, abstinerent ab opere servili, & audirent sacrum: Etiam malè, cum specialiori devotione, assisterent locis sacris; quando aliàs Ecclesia specialiori cultu præcepit coli dies festos, & loca sacra; & quò major est in illis nostra devotio, magis Ecclesiæ placemus, & Deo.

34. *Verbis, & linguà gratias agere Deo, non est pro animabus internis, quæ in silentio manere debent, nullum Deo impedimentum apponendo, quod operetur in illis; & quo magis Deo se resignant, experiuntur se non posse orationem Dominicam, seù* Pater Noster *recitare.* Omne, quod à Deo habemus, expendi debet in laudem Dei, etiam verba, & lingua. Si aliquando patitur in recitando, id certè non provenit à Deo; quem in patriâ etiam vocalitèr, Sancti laudabunt.

35. *Non convenit Animabus viæ hujus internæ, quod faciant operationes, etiam virtuosas ex propriâ electione, & activitate. Aliàs non essent mortuæ, nec debent elicere actus amoris ergà B. Virginem, Sanctos, aut Humanitatem Christi; quia cùm ista objecta sensibilia sint, talis est etiam amor ergà illa.* Quoad primam partem vide primam, & secundam: quoad alteram; primò Amor non est talis, qualis est in se obje-

objectum; ſed quale repræſentatur per cognitionem: quia verò Sancti, Virgo, & Humanitas Chriſti cognoſcuntur per cognitionem intellectus ornati lumine fidei, amor ad illam ſequens eſt voluntatis, non appetitus ſenſitivi, & ſi eſſet ſenſibilis, non propterea malus ex dictis prop. 30.

36. *Nulla creatura, nec B. Virgo, nec Sancti ſedere debent in noſtro corde, quia ſolus Deus vult illud occupare, & ſedere.* Terminus hic *Sedere* importat, quod amentur ut finis. Porrò Charitas amat duos, ut finem; Deum, & proximum, licet Deum ſolum ut finem ultimum; quare propoſitio hæc deſtruit ſecundarium objectum charitatis.

37. *In occaſione tentationum, etiam furioſarum, non debet Anima elicere actus explicitos virtutum oppoſitarum, ſed debet in ſupràdicto Amore, & Reſignatione manere.* Vide 17.

38. *Crux voluntaria mortificationum pondus grave eſt, & infructuoſum; ideòque dimittenda.* E contrà Mat. 16. dicitur: *Qui vult venire poſt me, tollat crucem ſuam.* Et Matth. 19. *Vende, quæ habes*, quod certè eſt crux voluntaria, cujus ut fructum oſtendat, addit: *Habebis theſaurum in cœlo.*

39. *Sanctiora opera, & pœnitentiæ, quas peregerunt Sancti, non ſufficiunt ad removendam ab Animà, vel unicam adhæſionem.* Hæc refrænant concupiſcentias, & per conſequens mortificant adhæſionem ad bonum concupiſcibile, ut contrarium gratiæ.

40. *B. Virgo nullum unquam opus exterius fecit,*

& tamen fuit sanctis omnibus sanctior. Igitur ad sanctitatem perveniri potest absque opere exteriori. Luc. 1. & 2. narrantur, plures actus externi B. Virginis ergà Cognatam Elisabeth, ergà puerum Jesum; & notatur, quod in Paschà ibat in Jerusalem *per singulos annos.* Jo. 19. *Stabat juxtà crucem Jesu Maria Mater ejus.* Alia plura vide in Evangeliis. Consequentia quàm mala sit, apparet, quia sacramentorum perceptio est actus externus, sine quo non possumus salvari, uti neque sine aliis actibus externis à lege præceptis.

41. *Deus permittit, & vult ad nos humiliandos, & ad veram transformationem perducendos, quod in aliquibus animabus perfectis etiam non arreptitiis, Dæmon violentiam inferat eorum corporibus, easque actus carnales committere faciat, etiam in vigilià, & sine mentis offuscatione, movendo physicè illorum manus, & alia membra contrà earum voluntatem. Et idem dicitur quoad alios actus per se peccaminosos; in quo casu non sunt peccata, quia his non adest consensus* Homo in vigilià, non offuscatus, neque exterius à potentiore coactus, est dominus sui actus, præsertim quoad motum manuum, & aliorum membrorum non inservientium generationi: quare nisi omninò cogatur, potest resistere. Et membra inservientia generationi, quia non perfectè subduntur rationi, possunt quidèm moveri, sed hos motus Anima advertens debet reprimere.

42. *Potest dari casus, quod hujusmodi violentiæ ad actus carnales contingant eodem tempore, ex parte dua-*

duarum perſonarum, ſcilicet maris, & fœminæ, & ex parte utriuſque ſequatur actus. Multò abſurdior quàm præcedens.

43. *Deus præteritis ſæculis efficiebat Sanctos Tyrannorum miniſterio, nùnc verò eos efficit Sanctos miniſterio dæmonum, qui, cauſando in eis prædictas violentias, facit, ut illi ſe ipſos magis deſpiciant, atque annihilent, & ſe Deo reſignent.* Ut ad duas præcedentes.

44. *Job blaſphemavit, & tamen non peccavit labiis ſuis, quia fuit ex dæmonis violentiâ.* In hoc, & aliis exemplis è Sacrâ Sripturâ petitis, quæ poſteà dabuntur, patiatur Lector unicam illam à me rationem afferri, quod ita ſint intelligenda, nempè, quia ſic intellexit Eccleſia, cujus eſt fidelibus exponere verum Scripturæ ſenſum à Spiritu Sancto intentum.

45. *S. Paulus hujuſmodi dæmonis violentias in ſuo corpore paſſus eſt, unde ſcripſit.* Non quod volo bonum, hoc ago, ſed, quod nolo malum, hoc facio. Ut ad præcedentem.

46. *Hujuſmodi violentiæ ſunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, & ad eam ad veram transformationem, & unionem perducendam, nec alia ſupereſt via. Et hæc eſt via facilior, & tutior.* Via facilior, & tutior, ut exuatur homo vetus, & induatur novus, qui ſit filius adoptivus Dei, eſt facere operationes proprias Dei, nempè, cognoſcere, & amare Deum, omniaque ordinare in ipſum Deum, ut ipſe Deus cognoſcit, amat

ſe,

se, & omnia ordinat in se.

47. *Cum hujusmodi violentiæ occurrunt, sinere oportet, ut Satanas operetur, nullam adhibendo industriam, nullumque proprium conatum, sed permanere debet homo in suo nihilo, & etiam si sequantur pollutiones, & actus obscæni propriis manibus, & etiam pejora, non opus est se ipsum inquietari, sed foràs emittendi sunt scrupuli, dubia, & timores; quia Anima fit magis illuminata, magis roborata, magisque candida & acquiritur sancta libertas. Et præ omnibus non opus est hæc confiteri, & sanctissimè fit hæc non confitendo, quia hoc pacto superatur dæmon, & acquiritur thesaurus pacis.* Quoad primam partem de resistendo, vide 17. Quoad secundam, ex S. Thomâ 3. part. q. 80. a. 7. mens per hujusmodi passiones in somno contingentes, etiam absque causà ex parte nostrà, distrahitur, & obfuscatur, non illuminatur. Quoad tertiam est contrà praxim in toto hoc opere stabilitam, ut confiteamur omnes nostras passiones iræ, spei, timoris &c. esto videantur ordinatissimæ, quia difficillimum est in his non excedere; sed multò magis accusandæ sunt immunditiæ hujusmodi, etiam quando accidunt in somno. Quoad quartam, imò Tridentinum sess. 14. c. 3. serenitatem conscientiæ, seù thesaurum pacis ponit pro effectu confessionis, non quidem semper, sed aliquandò subsequente.

48. *Satanas, qui hujusmodi violentias infert; suadet deinde gravia esse delicta, ut anima se inquietet, nè in viâ internà ulterius progrediatur: unde ad*

ejus

ejus vires enervandas, melius est ea non confiteri, quia non sunt peccata, nec etiam venialia. Ex parte nostrâ Diabolus retunditur maximè per humilitatem, cujus actum excellentem exercemus in confessione. Pro parte Dei, nos ille adjuvat ad retundendum, per sacramenta. Utrum verò sint peccata, debet desumi aliunde, quàm ex dicto Magistri ab Ecclesiâ damnati, ut Hæresiarchæ.

49. *Job ex violentiâ dæmonis se propriis manibus polluebat eodem tempore, quo* mundas habebat ad Deum preces (*sic interpretando locum ex c.*16. *Job.* Vide 44.

50. *David, Hieremias, & multi alii ex Prophetis hujusmodi violentias patiebantur harum impurarum operationum externarum.* Vide 44.

51. *In sacrâ Scripturâ multa sunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminosos. Uti illud de Samsone, qui per violentiam se ipsum occidit cum Philistæis, conjungium iniit cum alienigenâ, & cum Dalilà meretrice fornicatus est, quæ aliàs erant prohibita, & peccata fuissent. De Juditbà, quæ Holoferni mentita fuit. De Elisæo, qui pueris maledixit. De Eliâ, qui combussit Duces cum turmis Regis Acab. An verò fuerit violentia immediatè à Deo peracta, vel Dæmonum ministerio, ut in aliis animabus contingit, in dubio relinquitur.* Non omnia prædicta exempla Interpretes excusant, quidquid tamen de hoc sit; quæ peracta fuere peculiari Sancti Spiritus instinctu, non fuere per violentiam, quia Deus operatur per modũ naturæ, licèt directione donorũ.

52. *Cum*

52. *Cum hujusmodi violentiæ etiam impuræ, absque mentis obfuscatione accidunt, tùnc Anima Deo potest uniri, & de facto semper magis unitur.* Vide doctrinam S. Thomæ prop.47. Uniimur Deo per cognitionem, & amorem: Amor sequitur ad cognitionem, & cognitio ad species objecti: Impuritates hujusmodi relinquunt species sensibiles in sensibus, qui trahunt intellectum; quomodo igitur Anima in illis potest Deo uniri?

53. *Ad cognoscendum in praxi, an aliqua operatio in aliis personis fuerit violentia, regula, quam de hoc habeo, ne dum sunt protestationes Animarum illarum, quæ protestantur se dictis violentiis non consensisse, aut jurare non posse, quod in iis consenserint; & videre, quod sint Animæ, quæ proficiunt in viâ internâ, sed regulam sumere à lumine quodam actuali, cognitione humanâ, ac Theologiâ superiore, quod me certò cognoscere facit cum internâ certitudine, quòd talis operatio est violentia, & certus sum, quòd hoc lumen a Deo procedit, quia ad me pervenit cum certitudine, quod à Deo proveniat, & mihi nec umbram dubii relinquit in contrarium, eo modo, quo interdum contingit, quòd Deus, aliquid revelando, eodem tempore, animam certam reddit, quòd ipse sit, qui revelat, & Anima contrarium non potest dubitare.* De hoc Doctore, suique similibus, dicit Dominus Jer.23. *Seduxerunt populum meum, cum ego non misissem eos.* Hinc discat Confessor dirigere animas per Scripturam, Traditionem, per Superioris ordinationes, & rationem naturalem: Scriptura, & Traditio sunt

ipſum Dei lumen, & verbum, quo Deus alloquitur nos: Superiores, & Patres inſtrumentum, & miniſtri Dei: Ratio autem naturalis inſerta eſt nobis ab ipſo Deo. Et quia Confeſſori poteſt facere difficultatem, quòd, ſicut Patres veteris teſtamenti certificabat Deus peculiari lumine ad aliqua, cur non eodem modo poteſt hoc peculiari lumine Confeſſorem certificare, ſciat ex S. Thomâ 2. 2. q. 171. a. 5. primò Deum non certificare de his, quæ per inſtinctum nobis inſpirat; quare ex Scripturâ &c. certificari debemus, an fuerint ex inſtinctu: ſecundò certificavit in expreſsâ revelatione primos fidei fundatores. De reliquis vult, ut diſcernant ſuas revelationes ex regulis univerſalibus Scripturę, Eccleſiæ &c.

54. *Spirituales vitæ ordinariæ in horâ mortis ſe deluſos invenient, & confuſos, & cum omnibus paſſionibus in alio mundo purgandis.* Vita ordinaria tantùm purgat paſſiones, quãtùm exercet vitutes.

55. *Per hanc viam internam pervenitur, & ſi multâ cum ſufferentiâ ad purgandas, & extinguendas, omnes paſſiones, ità quod nihil amplius ſentitur, nihil, nihil; nec ulla ſentitur inquietudo, ſicut corpus mortuum, nec amplius ſe anima commoveri ſinit.* Donec extat fomes in nobis, extant paſſiones. Porrò fomes nunquã totalitèr extinguitur; imò ex S. Thomâ 3. p. q. 27. a. 3. in B. Virgine ſolum fuit extinctus in Annunciatione; Anteà verò prę ſervata ſpecialiſſimè ab omni peccato per protectionem extrinſecam.

56. *Duæ*

56. *Duæ leges, & duæ cupiditates, animæ una, & amoris proprii altera, tamdiù perdurant, quandiù perdurat amor proprius, unde quando hic purgatus est, & mortuus, ut sit per viam internam, non adsunt amplius illæ duæ leges, & cupiditates, nec ulterius lapsus aliquis incurritur, nec aliquid sentitur amplius, ne quidem veniale peccatum.* Et ita per hanc viam internam somniabat evadere perfectiores Apostolo, qui dicebat Rom. 7. *Video aliam legem in membris, repugnantem legi mentis meæ.*

57. *Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum non faciendi amplius peccata, nec mortalia, nec venialia.* Tridentinum sess. 6. can. 23. *Si quis dixerit hominem . . . . posse in totâ vitâ, peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.*

58. *Ad hujusmodi statum pervenitur, non reflectendo amplius ad proprias operationes, quia defectus ex reflexione oriuntur.* E contrà Jer. 12. dicitur. *Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est, qui recogitet corde.*

59. *Via interna sejuncta est a Confessione, a Confessario, a casibus conscientiæ, a Theologiâ, & Philosophiâ.* Et sic nullo lumine dirigitur, neque naturali, neque supernaturali.

60. *Animabus provectis, quæ reflexionibus mori incipiunt, & eò etiam perveniunt, ut sint mortuæ, Deus confessionem aliquando efficit impossibilem, & supplet ipse tantâ gratiâ perseverante, quantùm in sacramen-*

to reciperent, & ideò hujuſmodi Animabus, non eſt bonum in tali caſu ad ſacramentum Pœnitentiæ accedere: quia id eſt illis impoſſibile. Cum ex 57. omnes peccent, *omnes*, ut dicitur Rom. 3. *egent gratia Dei* per ſacramentum Pœnitentiæ ad hoc inſtitutum.

61. *Anima cum ad mortem myſticam pervenit, non poteſt ampliùs aliud velle, quam quòd Deus vult, quia non habet amplius voluntatem, & Deus illi eam abſtulit.* Cum tamen ex 57. non poſſimus vitare omnia venialia: quæ contingunt, quia non facimus voluntatem Dei.

63. *Per viam internam pervenitur etiam ad mortem ſenſuum: quin imò ſignum, quòd quis in ſtatu nihilitatis maneat, ideſt, mortis Myſticæ, eſt, ſi ſenſus exteriores non repræſentent ampliùs res ſenſibiles, ac ſi non eſſent, quia non perveniunt ad faciendum, quod intellectus ſe ad eos applicet.* Duo involvit hæc propoſitio: primum quod ſenſus non repræſentet ſenſibilia ſufficienter applicata: ſecundum quod neque intellectus applicet his: Porrò, & ſenſus, & intellectus ſunt potentiæ neceſſariò motæ à ſuis hiſce objectis, & ſola voluntas poteſt illos divertere: quare ſola hæc poteſt illos non applicare per ſuam motionem.

64. *Theologus minorem diſpoſitionem habet, quàm homo rudis ad ſtatum contemplativi: primò, quia non habet fidem adeò puram: ſecundò, quia non eſt adeò humilis: tertiò, quia non adeò curat propriam ſalutem: quartò, quia caput refertum habet phantaſmatibus, ſpeciebus, opinionibus, & ſpeculationibus; & non po-*

teſt

teſt in illum ingredi verum lumen. Obruitur hæc propoſitio exemplis SS. Thomæ, Bonaventuræ, Auguſtini &c. ſed & ratione: Theologia enim de ſe docet veras virtutes ad contemplationem requiſitas, & per ſe loquendo aptior eſt alicui exercitio, qui ſcit illud, quàm qui omninò ignorat: Lumen, quod habetur per rationis inquiſitionem adjuvat ad habendum aliud per quandam connaturalitatem; conſuetudo enim, & connaturalitas fit per multiplicatos actus: Theologia ſubordinatur lumini ſupernaturali perfecto patriæ, cujus participatio eſt omnis noſtra contemplatio.

65. *Præpoſitis obediendum eſt in exteriore, & latitudo voti obedientiæ Religioſorum tantummodò ad exterius pertingit. In interiore verò alitèr res ſe habet, quò ſolus Deus, & Director intrant.* E contrà Hæbr. 13. dicitur: *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis: Ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri*: dicit *pro animabus*. & hoc eſt forum internum. Si forum interius intrat Director, debet eſſe director ordinatus à Deo, qui ſolùm ordinavit Prępoſitos legitimos.

66. *Riſu digna eſt nova quædam doctrina in Eccleſiâ Dei, quòd anima quoad internum gubernari debeat ab Epiſcopo: quòd ſi Epiſcopus non ſit capax, Anima ipſum cum ſuo Directore adeat. Novam dico doctrinam, quia nec Sacra Scriptura, nec Concilia, nec Canones, nec Bullæ, nec Sancti, nec Authores eam unquam tradiderunt, nec tradere poſſunt, quia Eccleſia non judicat de occultis; & anima jus habet*

eligendi quemcumque ſibi benè viſum. Epiſcopi ſunt Directores conſtituti à Deo, juxtà illud Act. 20. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo*.

67. *Dicere, quòd internum manifeſtandum eſt exteriori Tribunali Præpoſitorum, & quòd peccatum eſt id non facere, eſt manifeſta deceptio, quia Eccleſia non judicat de occultis, & propriis Animabus præjudicant bis deceptionibus, & ſimulationibus*. Tridentinum ſeſs. 14. c. 5. *Colligitur oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia . . . in confeſſione recenſeri, etiamſi occultiſſima ſint, & tantùm adversùs duo ultima Decalogi præcepta*. Equidem Eccleſia non judicat, neque punit occulta, ſeù interna; niſi manifeſtentur, ſed à Deo præcipimur hæc manifeſtare, ut Eccleſia nos dirigat.

68. *In mundo non eſt facultas, nec juriſdictio ad præcipiendum, ut manifeſtentur epiſtolæ Directoris, quoad internum Animæ, & ideò opus eſt animadvertere, quòd hoc eſt inſultus Satanæ* &c. Sic ſcribunt, qui volunt docere falſa, & ſi detegantur, timent Sanctam Inquiſitionem; ad quam ſpectat judicare quidquid circà materiam fidei manifeſtatur externè per ſcripturam. Nec ſolum id eſt hujus Tribunalis, ſed & aliorum civilium; etenim ſi Director ſcribat ſuadens rebellionem contrà Principem debet omninò manifeſtari.

Hujuſmodi 68. propoſitiones Innocentius XI. damnavit, ut *hæreticas, ſuſpectas, erroneas, ſcandaloſas*

losas, blasphemas, piarum aurium offensivas, temerarias, Christianæ disciplinæ relaxativas, & seditiosas respectivè, cum prohibitione *loquendi, scribendi, disputandi, credendi, docendi, tenendi, aut in praxim reducendi* illas, sub pœnà excommunicationis reservatæ, ipso facto incurrendà.

Circà vitam Contemplativã Innocentius XII. prohibuit alias viginti tres, ut desumptas ex libro inscripto *Maximes des Saints* &c. sed illas omitto, quia non credo esse omninò necessarias pro Confessore ordinario.

CAPUT XXVIII.

Dantur propositiones prohibitæ ab Alexandro VIII.

1. *BOnitas objectiva consistit in convenientiâ objecti cum naturâ rationali: Formalis verò in conformitate actus cum regulâ morum: Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè. . . . HUNC HOMO NON TENETUR AMARE, NEQUE IN PRINCIPIO, NEQUE IN DECURSU VITÆ SUÆ MORALIS.* Damnatur ut hæretica: nàm obligationem amandi Deum declarant pœnè omnes paginæ Sacri Textus.

2. *Peccatum Philosophicum, seù Morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum verò, & mortale est transgressio li-*

bera divinæ legis. Philoſophicum quantumvis grave in illo, qui Deum, vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque æternà pœnà dignum. Damnatur ut erronea &c. Sæpiſſimè S. Thomas ex Philoſopho notat mundum eſſe unum unitate ordinis, cujus Deus eſt Caput. Porrò in omni corpore tàm phyſico, quàm morali Reipublicæ, offendens unum membrum, offendit totam Rempublicam, & præcipuè illius Caput, etiamſi ignoret, vel actu non cogitet de Republicà, & ejus Capite; qui enim offendit partem, eo ipſo offendit totum, cujus eſt pars. S. Thomas 1. 2. q. 21. art. 3. Ad idem facit, quod de arte, & artificiato ait q. 71. a. 2. ad 4.

3. Idem Alexander de anno 1690. damnavit alias trigintà unam; quæ quidem non omnes pertinent ad mores; At quia non eſt hominis privati edicere, quæ ſpectent, & quæ non ſpectent, quando alii poſſunt judicare, quod ſpectent, quas ego crediderim non ſpectare; ideò illas omnes hic ſubiicio.

4. 1. *In ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum formale, & demeritum ſufficit illa libertas, quà voluntarium, ac liberum fuit in causà ſuà, peccato originali, & libertate Adami peccantis.* S. Thomas 1. p. q. 83. art. 1. probat ad libertatem requiri, quòd ipſe operans poſſit utrumque contradictorium; & art. 2. ad 3. quòd hæc libertas per Adæ peccatum non fuit amiſſa, ſed debilitata, & 1. 2. q. 21. a. 2. quod actus

ha-

habet rationem culpabilis, quia eſt in poteſtate operantis.

5. 2. *Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipsâ, non excuſat a peccato formali.* Ratio hujus non poteſt exprimi paucis verbis; quare vide S. Thomam 1. 2. q. 94. a. 4. & 6.

6. 3. *Non licet ſequi opinionem, vel inter probabiles, probabiliſſimam.* Quid intenderint per hanc theſim non capio: nàm quando inter opiniones probabiles adeò aliqua excedit, ut attingat gradum probabiliſſimæ, jàm talis eſt, ut inter eas habeat illam certitudinem, quæ *invenitur in humanis actibus, non ſicut in demonſtrativis, ſed ſecundum quod convenit tali materiæ*, ut ait S. Thomas 2. 2. q. 60. a. 3. ad 1. & ibidem confirmat Cajetanus exemplo judicii Salomonis. 3. Reg. 3.

4. *Dedit ſemetipſum pro nobis oblationem Deo, non pro ſolis electis, ſed pro omnibus, & ſolis fidelibus.* Dicitur 1. Jo. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.*

5. *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omninò accipiunt à Jeſu Chriſto influxum; adeòque hinc rectè inferes in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem, ſine omni gratiâ ſufficienti.* Contradictoria juſtiſſimè definitur: conſtat enim complures ex nominatis habere inſpirationes vividas, ut ſe ad fidem convertant; Compluresque exprobrari poſſunt illis verbis, Actor. 7. *Vos ſem-*

ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis.

6. *Gratia ſufficiens ſtatui noſtro, non tàm utilis, quàm pernicioſa eſt, ut proinde meritò poſſimus petere: A gratiâ ſufficienti liberâ nos Domine.* Theſis videtur loqui de gratiâ purè ſufficienti, quæ tamen fatenda eſt Dei donum; & de illâ diſſerendum, uti de fide informi diſſerit S. Thomas 2.2. quæſt.6. art. 2.

7. *Omnis humana actio deliberata eſt Dei dilectio, vel mundi: Si Dei, Charitas Patris eſt; ſi mundi, concupiſcentia carnis, hoc eſt, mala eſt.* Plura opera faciunt peccatores, ut ſe diſponant ad Charitatem Patris, quæ propterea nec ſunt charitas Patris, nec concupiſcentia carnis.

8. *Neceſſe eſt infidelem in omni opere peccare.* Et ſic peccabit, contrà omnem rationem, dum voluntariè acceptat inſpirationes præambulas ad fidem; quæ tamen procedunt ex illuſtratione Spiritus Sancti, ut ait S. Thomas 2. 2. q 8. art. 5. Videatur etiam q. 10. a. 4.

9. *Re verâ peccat, qui odio habet peccatum, merè ob ejus turpitudinem, & diſconvenientiam cum naturâ rationali, ſine ullo ad Deum reſpectu.* Ex S. Tho. 1.2. q. 21. a. 3. & 4. omnis actio hominis habet ordinem ad naturam rationalem, & alium ordinem in Deum: quomodo igitur peccat, qui conſiderat peccatum ſub primâ ratione. Vide eundem q. 100. a. 10. ad 2.

10. *Intentio, quâ quis deteſtatur malum, & proſequitur bonum, merè, ut cæleſtem obtineat gloriam,*

non

non est recta, nec Deo placens. Ut præcedens.

11. *Omne, quod non est ex fide Christianâ supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.* Phrasis usurpata ex Apostolo, Gal. 5. etiam à Tridentino sess. 6. c. 7. Nùnc utrobique legitur, *quæ per charitatem operatur*, ut possit haberi respectus ad habitum charitatis. At S. Thomas 2.2. q. 4. a. 2. ad 3., & q. 23. a. 6. ad 2., ut etiam possit intelligi actus dilectionis, seù charitatis; seù dilectio, quæ est actus virtutis charitatis, & coincidit cum Thesi septimà. Videatur S. Doctor 2. 2. quæst. 23. a. 7.

12. *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiamsi videantur credere, non est fides divina, sed humana.* Tridentinum sess. 6. c. 6. solùm ante fidem requirit liberam motionem in Deum ex parte voluntatis; amoris initialis meminit post enumeratos à fide complures actus in intellectu, & voluntate. Aliàs certum est, quòd, remoto posteriori, potest remanere prius: quare omni amore non tantùm perfecto Dei, sed & initiali remoto, potest remanere fides. S. Thomas 2. 2. q. 4. a. 7. præsertìm ad 4.

13. *Quisquis, etiam æternæ mercedis intuitu, Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quotiès, intuitu licet beatitudinis, operatur.* Videtur excludere omnem famulatum, etiamsi per illum in primis glorificetur Deus; & sic intellecta, est contrà Tridentinum sess. 6. c. 11. Si loquatur de famulante merè ob intuitum æternæ mercedis,

vide

vide dicta ad 9. & ſubſequentes.

14. *Timor gehennæ non eſt ſupernaturalis*. qui tamen procedit à fide, quæ ex dictis c. 13. n. 3. eſt principium ſupernaturalitatis. Tridentinum dolorem peccati ortum ex illo ſeſs. 14. c. 4. vocat donum Dei, & impulſum Spiritus Sancti. Vide S. Thomam 2. 2. q. 19. a. 4. 7. & 9.

15. *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, ſine dilectione benevolentiæ Dei, propter ſe, non eſt bonus motus, ac ſupernaturalis*. Fides, non dilectio, eſt principium ſupernaturalitatis ex præcedente.

16. *Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni, induxit non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti lex, & præſcriptio; naturâ rei id ipſum quodammodò dictante*. In nullo judicio reus ante ſententiam Judicis habet ſubire pœnam, ut eſt ſatisfactoria delicti commiſſi. Utique ſatisfactio ſacramentalis ex Rituali c. 7. n. 23. debet etiam eſſe medicinalis in futurum; ſed ſemper in ſacramento determinanda per Judicem.

17. *Per illam praxim mox abſolvendi, ordo pœnitentiæ, eſt inverſus*. Falſitas deducitur ex dictis in præcedenti.

18. *Conſuetudo moderna, quoad adminiſtrationem ſacramenti Pœnitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet authoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominùs ab Eccleſiâ non habetur pro uſu, ſed abuſu*. Videatur S. Thomas 1. 2. q. 97. a. 3. ubi oſtendit ſolùm illam conſuetudinem de ſe, &

in

in genere eſſe abuſum, quæ eſt contrà legem divinam, aut naturalem. Igitur antequam conſuetudo adminiſtrandi ſacramentum pœnitentiæ dicatur abuſus, in particulari debet oſtendi, quid præjudicet legi divinæ, aut naturali; quando maximè arguitur efficacitèr non præjudicare, ſi ſuſtentatur diuturnitate, & authoritate: nihil enim contrà legem Dei, aut naturæ in Eccleſiâ diu duravit, nec habuit authoritatem.

19. *Homo debet agere totâ vitâ pœnitentiam pro peccato originali*. S. Thomas ſuppl. q. 2. a. 2. docet de originali non poſſe haberi veram contritionem; licèt de ſatisfactione taceat; nihilominùs 3. p. q. 68. a. 5. firmat peccatoribus baptizatis non eſſe imponenda opera pœnalia, quia fieret injuria morti Chriſti, quaſi non eſſet ſufficiens, quando applicatur tota ejus efficacia. Vide illum.

20. *Confeſſiones apud Religioſos factæ, plerèque, vel ſacrilegæ ſunt, vel invalidæ*. Hujus Theſis inſubſiſtentia ex ſe apparet.

21. *Parochianus poteſt ſuſpicari de Mendicantibus, qui eleemoſinis communibus vivunt, de imponendâ nimis levi, & incongruâ pœnitentia, ſeù ſatisfactione, ob quęſtum, ſeù lucrum ſubſidii temporalis.* Legatur S. Thomas 2. 2. q. 60. a. 3. ut poſſit concipi, quàm grave peccatum ſit iſta ſuſpicio contrà præclariſſimas, & ſanctiſſimas Religiones.

22. *Sacrilegi ſunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis ſuis pœnitentiam egerint*. Tamen totaſem-

ſemper Eccleſia ſolùm illos judicavit ſacrilegos, qui communicant cum conſcientiâ peccati mortalis. Adde, quod hæc Theſis tollit ſecundarium effectum Euchariſtiæ, qui eſt remittere pœnam peccatis debitam (ut explicat S. Thomas 3. p. q. 79. art. 5.) hoc ipſo quod docet communicandum poſt condignam pœnitentiam, hoc eſt, ſine ullo debito pœnæ.

23. *Similitèr arcendi ſunt a ſacrâ communione, quibus nondum ineſt Amor puriſſimus, & omnis mixtionis expers.* Tollitur per hanc alius effectus, qui eſt tollere venialia, quoad maculam culpæ. S. Thomas a. 4. nàm amor omnis mixtionis expers non compatitur venialia.

24. *Oblatio in templo, quæ fiebat a B. Virgine Mariâ, in die Purificationis ſuæ, per duos pullos columbarum, unum in holocauſtum, & alterum pro peccatis, ſufficientèr teſtatur, quòd indiguerit purificatione, & quòd filius, qui offerebatur, etiam maculâ Matris maculatus eſſet, ſecundum verba legis.* Videatur S. Thomas 3. p. q. 37. a. 3., & 4. ubi loquitur de Filio, & de Matre. In 4. ad 3. dicit maculam legalem fuiſſe quandam irregularitatem, à quà expreſsè preſervat matrem.

25. *Dei Patris ſedentis ſimulachrum nefas eſt Chriſtiano in templo collocare.* Sanctus Thomas 3. parte quæſt. 25. a. 3. probat licitam imaginum adorationem.

26. *Laus, quæ defertur Mariæ, ut Mariæ, vana eſt.* quæ tamen eſt actus virtutis Hyperduliæ. Videa-

dea-

deatur S. Thomas 2. 2. q. 103. præsertim a. 4. ad 2. & ad 3. habes, quod esset vana laus delata creaturæ irrationali, ut tali, non sic rationali, in quam tendere possumus motu absoluto, imò 3. p. q. 25. a. 5. vult Matrem Dei esse adorandam motu absoluto, quanquam referatur ad filium.

27. *Valuit aliquandò baptismus sub hac formà collatus.* In nomine Patris &c. *prætermissis illis.* Ego te baptizo. S. Thomas 3. p. q. 66. a. 5. dicit necessariò exprimendas in baptismate duas causas, principalem, atque instrumentalem, & ad 2. quòd sit exprimenda actio ministri, per illa verba, *Ego te baptizo*, quia per alia exprimentia causam principalem, non habetur determinatus effectus, ad quem verba assumantur.

28. *Valet baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat: intùs verò in corde suo apud se resolvit.* Non intendo facere, quod facit Ecclesia. Ex S. Thoma 3. p. q. 64. a. 8. quia forma baptismi est indifferens, ut assumatur ad baptizandum, ad ludum &c. debet determinari ad baptizandum per intentionem baptizantis, qui ubi contrarium determinat, certè non habet intentionem. Ad 2. videtur exigere, quod intentio contraria exprimatur exterius; hoc tamen addit, ut baptizatus possit sufficientèr dubitare de suo baptismo. Damnatio habet locum, quando simùl proferendo verba, intùs habet contrariam intentionem.

29. *Futilis, & totiès convulsa est assertio de Pontificis*

tificis Romani ſuprà Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in Fidei quæſtionibus decernendis infallibilitate. Sanè futilis non eſt, quam efficacitèr firmat S. Thomas 2.2. q.1. a 10. & innumeri poſt ipſum Theologi.

30. *Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clarè fundatam, illam abſolutè poteſt tenere, & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam.* Sicut ad aſſerendam rationem entis non ſufficit reſpicere cauſam proximam, niſi reſpiciatur etiam cauſa prima entis, ita ad aſſerendam rationem veri, non ſufficit reſpicere regulam proximam, niſi reſpiciatur etiam prima viſibilis regula veritatis, quæ eſt Sedes Apoſtolica, & ejus Bullæ. Hoc innuit idem Auguſtinus adductus à S. Thomâ 1. p. q. 1. ar. 8. ad 1. in fine, latiùs videndus in fonte ipſius epiſtolæ 19.

31. *Bulla Urbani Octavi* In eminenti, *eſt ſubreptitia.* Credendum eſt Sedi Apoſtolicæ atteſtanti ſuggeſtam ſibi nullatenùs fuiſſe falſitatem.

Hujuſmodi propoſitiones Alexander damnavit, ut temerarias, ſcandaloſas, malè ſonantes, injurioſas, hæreſi proximas, hæreſim ſapientes, erroneas, ſchiſmaticas, & hæreticas.

CAPUT XXIX.

Observationes generales in propositiones prohibitas.

1. HOc Caput non est omninò necessarium pro Confessoribus ordinariis; nihilominùs illius doctrina generalis poterit esse multùm utilis. Non est necessarium, quia vix invenietur Catholicus, qui sciens aliquas theses in materiâ morum esse prohibitas ab Apostolicâ Sede, velit illas adhùc sustinere in sensu damnato, & in praxim reducere: quòd si aliquis inveniatur, primò non est hoc ex peccatis, quæ ordinariè soleant contingere: secundò potest à Pœnitente Confessor sibi tempus petere, ut videat notam, seù censuram, sub quâ propositio fuit damnata, ut exquirat consilium doctiorum &c. sed tamen prodest plurimùm habere regulas generales, quas facilè possit applicare. Igitur.

2. Primò: propositiones intelliguntur semper damnatæ in proprio verborum sensu, & ut jacent, nisi aliud exprimeret decretum: quare nunquam extorquendæ sunt in sensus improprios, & alienos à proprietate sermonis, quem verba, ut jacent, præseferunt.

3. Secundò notandum, quod ordinariè loquendo, Pontifex prohibens propositiones in materiâ morum, etiam in virtute sanctæ obedien-

tiæ vetat eas reduci ad praxim: v. g. ſecunda propoſitio Alexandri VII. deduceretur in praxim, ſi vir equeſtris acceptaret duellum in vim illius propoſitionis, ut licitum, quando aliàs agnoſcit illud eſſe vetitum in tali propoſitione; in quo caſu peccaret duplici peccato, & duelli, & inobedientiæ contrà præceptum Romani Pontificis. At ſi, ne videatur timidus, acceptet duellum, non habens reſpectum ad illius uſum permiſſum in tali propoſitione, tùnc peccat tantùm peccato duelli. Aliud eſt fornicari, & aliud eſt fornicari, credendo fornicationem eſſe licitam.

4. Tertiò: ſi aliquandò contingat pœnitentem audiviſſe alios, qui ſuſtinerent propoſitiones prohibitas, ut Confeſſor ſciat, nùm ſit obligandus ad denunciationem in Sancto Tribunali, neceſſe eſt, quod calleat cenſuras inuſtas prædictis propoſitionibus: Explicatur aliquandò ſola cenſura *ſcandaloſæ*, aliquando etiam aliæ. Ubi ergo damnantur propoſitiones ut hæreticę, vel alià cenſurà, vi cujus illas docens reddatur ſuſpectus de hæreſi, tùnc obligandus erit ad denunciationem juxtà edictum Sancti Officii: At ſi non adſit hujuſmodi cenſura, tùnc utique erit excommunicatus, qui illas docet &c. non tamen obligabitur ad denunciationem, qui audit illas docentem &c. Eritque imponenda hæc obligatio denunciationis, etiamſi tali determinatæ propoſitioni non inuratur cenſura determinata, ſed tantùm omnes expoſitæ dicantur damnari, ut hæreticæ, erroneæ, ſcandaloſæ

loſæ &c. nàm poterit quidèm contingere, quòd illa particularis propoſitio damnata fuerit in ſe, ſolùm ut ſcandaloſa, ſed quia id ignorat Pœnitens, & Confeſſor, hujus non eſt determinare cenſuram, quam Pontifex voluit indeterminatam: Remittendum ergo erit negotium Sancta Tribunali, cujus Miniſtri nullatenùs accipient juridicam denunciationem, quando non adſit locus.

5. Ut conſulatur praxi, notabit 45. Alexandri, & 65. Innocentii, fuiſſe damnatas, ut *ſcandaloſas*, & *in praxi pernicioſas*. Hæc cenſura non reddit ſuſpectum de hæreſi: quare Pœnitens, qui ſciat aliquam illarum teneri, ex vi talis damnationis, non tenetur illum denunciare. At 68. Innocentii, & duas, ac 31. Alexandri VIII. videt damnatas ut hæreticas, erroneas &c. quare illas tenens eſt ſuſpectus de hæreſi; ac propterea denunciandus.

CAPUT XXX.

Præparans ſe ad confeſſiones debebit ſemper magni facere doctrinam S. Thomæ.

1. QUò ad exercendum rectè ſuum triplex officium Judicis, Medici, ac Doctoris, Confeſſor ut poſſet diſcernere inter lepram, & lepram, hoc eſt, diſtinguere inter ſe peccata, Rituale c. 7. n. 7. commendavit eidem primò ſtudium Catechiſmi Romani, & in

illis verbis univerſalitèr ſtudium omnis doctrinæ, quam Sedes Apoſtolica ſtabilivit circà peccata ; ideòque omnium primò adductæ ſunt propoſitiones prohibitæ: ſecundò Rituale commendat ſtudium probatorum Auctorum : Præparans ſe ad confeſſiones, utpotè filius obediens ſanctæ Matris Eccleſiæ, ſequetur in omnibus ſanctæ Matris ductum : quare ubi curaverit callere circà peccata propoſitiones prohibitas, evolvet ſemper probatos Authores. Porrò alii ſunt probati ex communi conſenſu fidelium, qui eis utuntur ; illoſque permittit Eccleſia: Alii ſunt probati poſitivè per auctoritatem Eccleſiæ: Utroſque curabit ſæpiùs legere, & intelligere Confeſſor, ſed tamen ratio dictat, ut principem locum det Authoribus poſitivè approbatis. Quoad primos, maximè incumbet iis, qui communitèr reputantur Claſſici ; & quia non omnes omnia poſſumus, Doctores ſe diviſerunt, ſcribentes alii ex profeſſo in unà materià, & alii in alià ; Unumquemque ſuo loco habebit, ut pluris fiat in materià ex profeſſo examinatà, quàm in alià. Non negligantur libelli probatorum Authorum, qui Moralem redegerunt in breve compendium, ita tamen ut hi inſerviant ad retinenda memoritèr principia magis univerſalia, peccatorumque definitiones, quibus memoritèr conſervatis, peccata obvia reducuntur ad ſuas ſpecies ; difficile tamen eſt cum ſolis illis decidere caſus paulò abſtruſiores ; quare horum deciſio petenda eſt ſtudio probatorum Authorum, qui de illà

illà materià tractarunt ex profeſſo.

2. Ex Auctoribus, qui methodicè tractarunt Theologiam Moralem, neminem reperio præcipuè commedatum ab Apoſtolicà Sede, niſi Præceptorem Angelicum, S. Thomam Aquinatem: C. 12. n. 12. innui per tranſennam, quanti ſemper habitus fuerit, & annuatìm habeatur ab Eccleſià univerſali. Ad exemplum Matris, viri prudentiſſimi Fundatores Academiarum, ac Religionum quàm plurimi præſcripſerunt ſuis Angelici doctrinam ſequendam; & ſingularitèr commendandus venit S. Philippus Nerius, qui non modò ſectandam indixit, ſed unicè prælegendum voluit Sancti Doctoris textum, ad cujus amuſſim Eminentiſſimus Cardinalis Caſanate, præter alia in favorem hujus doctrinæ, in Conventu primario de Urbe, erexit duas cathedras perpetuas, & quotidianas, quorum Lectores publicè legerent, & ad litteram explicarent eundem textum.

3. Fuit quidem S. Thomas magni ſemper habitus in omni ſcientiarum genere, ſed in Theologià Morali, quandam adhùc habet eminentiam. In eà etiam florentiſſima ſchola Scoti amplectitur Angelici ſententias, ubi ex ſuo Doctore Subtili nõ habet quid particularius definiat, adeò ut in Morali dicendus ſit S. Th. Magiſter communis. Et verò æquiſſimus in omnibus, neque relaxans, neq; premens conſcientias, ita Theologiæ Moralis fundamenta ſtabilit, ut omnium caſuum, etiam abſtruſiorum, enodationem polliceri poſſit ſibi

quicumque profundiùs illa curaverit introſpicere (loquendo ſemper de iis, quæ non pendent à jure poſitivo Eccleſiæ, poſt mortem Sancti Doctoris firmato; nam omnia hæc petenda ſunt ab ipſis legibus Eccleſiaſticis) Appoſitè Solem geſtat in pectore, ut omnes irradiet: qui tamen præparans ſe ad confeſſiones, Aquilæ oculos non habet, videat in radiis, quibus reflectit iſte Sol in Montibus, nempè, in tot Doctoribus, qui ſcripſere ſuper opera Theologica S. Thomæ.

4. Mirabilis eſt Angelici doctrina, ſed, & ordo, quo traditur: Theologi complures procedunt examinando caſus in particulari, & vulgus complacet in hâc methodo varià in ſingulis ferè paginis, ob varietatem caſuum: Varietas enim delectat; S. Thomas 1.2. q. 32. a. 1. & delectatio nos reddit attentiores. Idem q. 33. a. 4. Sed iſta methodus nec habet ordinem, nec poteſt ſufficere; infiniti enim ſunt caſus, & quemlibet infinitæ poſſunt variare circumſtantiæ. Alii per præcepta diſſerunt; ſed neque iſta methodus eſt omnibus numeris abſoluta: cum enim ex præceptis non habeatur perfectè differentia ſpecifica peccatorum, qui prædictam viam incedit, neceſſe habet, ut aliunde ſpeciem dignoſcat.

5. S. Thomas Theologiam Moralem præcipuè tradidit in ſecundâ parte ſuæ Summæ. Ut hęc evaderet omnibus numeris abſolutiſſima; ſubdiviſa eſt in duas partes, quarum altera dicitur prima ſecundæ: altera ſecunda pars ſecundæ partis. In pri-

primà agit de fine hominis: ſecundò de actibus, per quos pervenitur ad finem: tertiò de principiis intrinſecis, & extrinſecis horum actuum, quæ ſunt fundamenta univerſalia Theologiæ Moralis. Quia tamen hæc ſcientia eſt practica, & directiva operationum: Operationes autem ſunt in ſingularibus; ideò addidit ſecundam partem, in quà particularitèr ageret de actionibus, & bonis, & malis. Comprehendit omnes virtutes ſub illis ſeptem, quarum tres ſunt Theologicæ, quatuor Cardinales. Poſt virtutem agit de vitiis eidem virtuti appoſitis, de præceptis ad quamlibet virtutem ſpectantibus, & de donis Spiritus Sancti eidem correſpondentibus.

6. Ad complementum totius Theologiæ Moralis reſtat notitia ſacramentorum, & quæ dignè, ac reverenter ſumere ſpectat ad Religionem, ſed tamen Angelicus judicavit commodiùs de illis agi poſſe in tertià parte: quia ſunt medicinæ hominis infirmi, debebat de illis agere poſt Chriſtum Medicum. In hoc opere nullatenùs agetur de ſex ſacramentis, quorum adminiſtratio ſpectat ad alios, præter Confeſſores: de ſacramento autem Pœnitentiæ actum eſt in præcedentibus, quia ſemper notitia finis debet præcedere notitiam mediorum. Nùnc autem procedemus, agentes principalitèr de peccatis, quæ ſunt medium, ſeù materia remota ſacramenti: neceſſarium erit aliquid tangere de virtutibus, tùm quia unum oppoſitorum innoteſcit per aliud, tùm quia Confeſſoris munus eſt

evellere vitia, plantare virtutes; quoniam nihilominùs opus dirigitur ad inſtructionem Confeſſoris ordinarii expoſiti fidelium multitudini, & virtus perfecta, eſt paucorum, ideò principalior tractatio erit de peccatis; At ſemper juxtà methodum Sancti Doctoris, ut datà aliquali notitiâ virtutis, Donique correſpondentis, aſſignentur ſingula peccata eidem virtuti oppoſita.

CAPUT XXXI.

Præparanti ſe ad confeſſiones proponitur diſtinctio actuum internorum.

1. DE fine hominis non eſt, quod agatur cum Confeſſore ordinario, qui per fidem credit hominem elevatum eſſe ad æternam beatitudinem conſiſtentem in clarà Dei viſione. Actus autem, quibus ab hoc fine abducimur, alii ſunt merè interni, quia completi tantùm in corde: alii ſunt externi, quia conſummati in opere. Quilibet Chriſtianus facilè agnoſcit peccata ſua externa, & de illis confitetur: non ita contingit de peccatis internis: quare ex Rituali adducto cap. 7. num. 19 pœnitentem in hoc debet adjuvare Confeſſarius, ut comprehendat illorum ſpeciem, ac numerum.

2. Prima diviſio actuum internorum, eſt in Amorem, & Odium: ſed hæc eſt diſtinctio valdè generica; Amare eſt *velle bonum*. Odire eſt *velle ma-*

malum: & æquè vult bonum, qui triſtatur de malo proximi, qui gaudet de bono proximi, qui deſiderat bonum proximi &c. cum tamen iſti ſint actus ſpecie diſtincti: Idem à contrario dic de odio: quare in confeſſione non ſufficientèr ſe explicat pœnitens, qui ſe accuſat v. g. *Ter odio habui proximum meum*: ſed ulteriùs illum debet interrogare Confeſſarius, ut explicet nùm odiverit triſtando de ejus bono, vel deſiderando malum, vel gaudendo de malo; & prætereà, quæ ratio mali fuerit volita: nàm ſicut facere malum proximo in bonis externis, eſt peccatum ſpecie diſtinctum à peccato, quod facit malum in famà, vel in perſonà, ita ſunt diſtincta ſpecie peccata interna, quibus volumus proximo malum rei externæ, malum famæ, malum perſonæ. Præparans ſe ad confeſſiones ad id maximè attendat: nàm in examine Romano interrogabitur, non ſuper caſibus hinc indè diſputatis, ſed an ſciat diſcernere lepram à leprà, ubi pœnitens illam non diſcernit, ſcilicet, an ſciat exquirere à pœnitente, quæ in dato caſu ſit ſpecies odii.

3. In actibus internis etiam diſtinguendi ſunt: primò ſimplex complacentià: ſecundò deſiderium: tertiò Intentio: quartò Electio, poſt quas venit executio, quæ eſt actus externus, & tandem gaudium, ſeù delectatio, quam habemus in re poſſeſsà. Et quidèm Pœnitens in confeſſione aperiens externum ſuum peccatum, ſufficientèr explicat omnes illos actus, dicendo ſe v. g. ſemèl peccaſſe cùm

fœ-

fœminà: etenim primi quatuor neceſſariò præcedunt, & ultimus neceſſariò conſequitur ad actum; imò actus eligitur propter delectationem; & qui habet quartum, neceſſariò fatetur primos tres, ſine quibus non poteſt haberi quartus. Idem dic de reliquis reſpectu ſuorum præcedentium. At non eſt ita de præcedentibus reſpectu ſubſequentium, & tùnc exigitur prudentia Confeſſarii, præſertìm in peccatis contrà Caſtitatem, juxtà monitum Ritualis c. 7. n. 20. Contingit enim in praxi, quod fœminæ, præcipuè Virgines nobiles, ſi aliquando ex fragilitate labantur, ſe accuſant unicè, quòd habuerint cogitationes minùs honeſtas. Per quam accuſationem nihil adhùc aperiunt peccati, quia cogitationes hujuſmodi ſæpè ſunt in animabus ſanctioribus; quare prudentiam Rituale, ubi ſuprà, requirit in Confeſſario, ne ex unà parte doceat peccare pœnitentem: ex aliâ eliciat primò, ſi peccaverit: ſecundò ſpeciem peccati, quam non poterit agnoſcere, niſi ſciat diſtinctionem actuum prædictorum.

4. Simplex complacentia eſt actus, quo quis ſimpliciter ſibi complacet de objecto cogitato, abſque ullo reſpectu ad illud in actu conſequendum: ab aliquibus vocatur *Deſiderium inefficax*. Præparans ſe ad confeſſiones non litiget de verbis, & nominibus: Intelligat ſubſtantiam, ſeù ſpeciem, ac numerum actuum, & otioſis relinquat quæſtiones de nomine. Contingit ſæpè in praxi, quod fœminæ nobiles habent actum poſitivum,

quæ

quæ determinatæ sunt potiùs mori, quàm aliquid externum, vel minimum committere contrarium honori, non propterea statim illas excusat à peccato Confessor, sed neque statim damnet: etenim delectatio illa potuit fuisse orta in appetitu tantùm sensitivo, renuente per omnia voluntate; in quo casu potest esse materia magni meriti, sed prudenter inquirat, num advertens ad illas cogitationes inhonestas, voluntariè commorata fuerit in illis: & quando non plenè se explicet, successivè interroget de aliis actibus, objectis &c.

5. Hæc sufficiunt de simplici complacentiâ in genere. Confessor debet pleniùs instrui de illâ ut est peccatum. Dignoscitur autem esse peccatum. ex illâ regulâ S. Thomæ 1.2. qu. 34. a. 2. *Delectatio sequitur naturam actus*. quare complacentia erit licita, si actus est licitus, & illicita, si actus est illicitus. Simplex complacentia, etiam voluntaria de actu conjungali, sine ulteriori periculo, est licita maritatis, quia illis hìc, & nùnc, ratione matrimonii actus est licitus, esto per accidens, ob absentiam mariti, non possit exerceri: E contrà sponsæ illicita est delectatio de actu conjugali futuro, vel etiam viduæ de actu conjugali præterito, quia ambabus pro tempore, quo delectantur, actus est per se prohibitus. Ex illo S. Thomæ principio venialis erit delectatio, si venialiter, & mortalis, si mortaliter interdicatur actus. Hæc simplex complacentia, quæ est peccatum, vocatur delectatio morosa, non à morâ temporis, quâ quis in illâ sistit:

nàm

nàm omne peccatum fieri poteſt in inſtanti, ſed â morà voluntatis, quatenùs eſt voluntaria, etiam per unicum inſtans.

6. Quod dictum eſt delectationem eſſe malam, ſi actus ſit illicitus, non eſt intelligendum ita univerſaliter, ut non fiat aliqua diſtinctio: nàm S. Thomas dixit: *Delectatio ſequitur naturam actus*: quare non erit peccaminoſa delectatio conſurgens ex actu cogitato, qui de naturà, & ab intrinſeco non ſit illicitus, etiamſi talis actus extrinſecè in re, per ſuperioris præceptum, remaneat prohibitus: non peccat, qui in die Veneris delectatur de comeſtione carnium, niſi delectetur, ut in die Veneris, quia tùnc fertur formalitèr contrà præceptum, & id eſt malum intrinſecè, & de naturà ſuà. Errant autem, qui credunt ſolùm eſſe peccatum delectationem contrà Caſtitarem: etiam eſt peccatum delectari morosè de homicidio, de furto, & in genere omnis delectatio moroſa, de objecto intrinſecè malo, eſt malà.

7. Theologi diſſident diſputantes, nùm in delectatione morosâ ſit explicanda circunſtantia, quę neceſſariò explicari deberet in deſideriis, & aliis actibus, v. g. qui delectatur de fœminâ, nùm explicare debeat, quòd ſit Virgo, vel nupta &c. Certum eſt, quòd circumſtantia concurrens ex parte ſubjecti, debet explicari, ut ſi delectetur Sacerdos, maritatus &c. De circumſtantiâ ex parte objecti, Theologi diſſident, ſed ego cenſeo explicandas eſſe has etiam circumſtantias ratione objecti.

8. Se-

8. Secundus actus internus considerandus præparanti se ad confessiones, est desiderium. Ut nomen importat, est actus tendens in opus externum, adeò ut ex vi actus semper velimus consequi, quod desideramus, licèt non semper media ponantur ad illud consequendum, ut si Rusticus in honestè desideret Reginam sanctam. Hoc desiderium erit mortale peccatum, si sit desiderium objecti, quòd sit contrà legem Dei: Erit veniale, si hoc objectum sit præter legem Dei. Licèt delectatio de re malà, quia prohibità, non sit peccatum, nihilominùs desiderium rei malæ, quiâ prohibitæ, est peccatum, quando scitur lex prohibens. Licèt, ut n. 7. dictum est, in morosà delectatione aliqui teneant non necessariò explicandam esse circumstantiam objecti, tamen omnes tenent explicari debere in desiderio.

9. Tertiùs actus internus est intentio finis. Ex S. Thoma 1. 2. q. 12. a. 1. ad 3. distinguitur à desiderio, quia hoc vult aliquid, v. g. sanitatem: At intentio vult hoc totum, nempè, pervenire ad sanitatem: In peccatis desiderat homo rem alienam, & intendit pervenire ad accipiendum aliena.

10. Quartus actus internus est electio. De hac S. Thomas 1. 2. q. 13. & de consilio præcedente electionem q. 14. Igitur, ubi homo intendit pervenire ad aliquem finem, si adsint plura media perveniendi ad illum, ordo exigit, ut quærat medium magis utile, magisque proportionatum fini; & ista inquisitio est propriè consilium pertinens

ad

ad intellectum: Ubi verò, conſideratis omnibus mediis, accipit unum præ alio, dicitur electio mediorum ad finem, pertinens ad voluntatem. Poteſt peccari & in conſilio, & in electione: In conſilio quidèm eo ipſo, quòd voluntas applicat intellectum ad conſiliandum de mediis illicitis, ut cum quis conſulit dæmonem: ſpecies porrò peccatorum, quæ committi poſſunt in conſilio per defectum habes p.2.c.16.n.3. & per exceſſum c.17.n.3. In electione peccatur etiam: quare qui elegit expectare hoſtem in viâ, ut illum occidat, etiamſi pœniteat, dùm expectat, non ſufficientèr explicat ſuum peccatum in confeſſione, accuſans ſe, quòd propoſuerit illum occidere, ſed debet explicare medium electum, quòd illum expectaverit &c. Inſupèr ſi aſſumpſit media de ſe aliàs illicita, ut ſi dedit pecuniam ſicario, quòd prohibetur per leges; Regula autem ad dignoſcendum, quæ media ſpecialitèr ſint explicanda, dabitur c.38.n.16. cum agemus de præceptis obligantibus per ſe, & per accidens.

11. Quintò: ſuccedit actus externus, de quo nihil nùnc eſt differendum; & quo explicato in confeſſione, intelliguntur explicati actus præcedentes, ut dictum eſt n.3. Imò intelligitur etiam explicata delectatio, ſeù gaudium immediatè conſequens ad ipſum actum: At ſi poſt tempus reflectens peccator ſuprà ipſum actū, novitèr gaudet, eſt novum peccatum; & in confeſſione debet explicare pœnitens, non tantùm quòd delectatus fuerit de

mor-

morte inimici: tùnc enim tale gaudium, quod est ſpecies diſtincta à ſimplici complacentiâ, confunderetur cum iſtâ, ſed explicari debet, ſe gaviſum fuiſſe, aut delectatum de occiſione à ſe perpetratâ. Idem dic in aliis caſibus.

12. Videbis à q. 15. ad 18. S. Thomam nominare alios actus, de quibus nùnc non diſſero, qui non reperiuntur ſeparati a prædictis; ergo etiamſi perfectè illos non percipiat Confeſſor, non eſt periculum, quòd reddatur defectuoſa confeſſio. Ad pleniorem notitiam videantur in fonte. Prædictorum differentiam præparans ſe ad confeſſiones curet perfectè noſcere, &, quod magis neceſſarium eſt, explicari perfectè à Pœnitentibus, ubi deficiunt: alitèr enim non ſunt explicatæ ſpecies peccatorum, ut requiritur ad integram confeſſionem.

CAPUT XXXII.

De Paſſionibus Animæ.

1. SAnctus Thomas, poſt explicatos actus internos voluntatis, à q. 18. ad 22. examinat, undè prædicti actus deſumant bonitatem, vel malitiam: finis hujus operis non eſt ita ſublimis, ut finis Theologiæ S. Thomæ: nàm finis eſt *diſcernere lepram à leprâ*, hoc eſt, peccatum à peccato; quare procedendum eſt ad explicandas cum eodem Angelico à q. 22. ad 49. paſſiones animæ

mæ, quibus moderandis in Pœnitente plurimùm Confeſſor debet inſiſtere, præſertìm in iis, qui frequentant Pœnitentiæ ſacramentum. Horum videris complures bis, ter, aut ſæpiùs in hebdomadà, ſemper accuſantes eaſdem paſſionum inordinationes, quæ tamen poſt plura etiam luſtra ſemper inſurgunt inordinatiores. Id ſanè ex culpâ pœnitentis, ſed cui Confeſſor deberet mederi; & propterea multi ſuſpicantur de hujuſmodi confeſſionibus, ex quibus nulla, vel minima emendatio apparet de peccatis venialibus, quæ repetimus tàm frequentèr. Sed quomodo Medici officium exercebit Confeſſor circà hnjuſmodi peccata provenientia ex inordinatione paſſionum, ſi omninò ignorat ipſas paſſiones? *Vulnus, quod ignorat, medicina non curat*, ait Tridentinum ſeſs. 14. cap. 5., & morbum nequit tollere Medicus, qui neſcit radicem morbi.

2. Homo habet duplicem appetitum: intellectivum, qui dicitur voluntas, & ſequitur ad cognitionem intellectus, habetque actus enumeratos capite præcedenti: Alterum ſenſitivum, qui dicitur ſenſualitas, & movetur ad cognitionem ſenſitivam, cujus actus paulò poſt enumerabimus. Loquendo de peccatis mortalibus, homo ut plurimùm peccat per utrunque appetitum: fœmina v. g. repræſentatur homini, ex cujus imaginatione, conſurgit delectatio, ſeù complacentia in appetitu ſenſitivo; quà imaginatione, & delectatione per intellectum repræſentatà voluntati; hæc

etiam

etiam vult utramque; & ita committitur peccatum. Idem dic de reliquis peccatis; nàm ordinariè committuntur, quia appetitus ſenſitivus movetur ergà ſuum bonum, & voluntas, quæ eſt domina, deberetque moderari hos motus ſenſitivi appetitus juxtà dictamen rationis, non ſe opponit motui ſenſualitatis iis modis, quibus tenetur; & ita ſerva prævalet in dominam, concupiſcentia trahit voluntatem; Non tamen omne peccatum ſemper contingit hoc modo. Sæpè, antequam exurgat motus concupiſcentiæ, ipſa voluntas excitat concupiſcentiam, ſeù ſenſualitatem: ſæpè etiam peccat homo circà ea, quæ non poſſunt appeti motu ſenſualitatis, ut qui diſcredit Deo &c. Hæc autem peccata, quæ contingunt per motionem primam voluntatis, ex ſuo genere ſunt graviſſima.

3. Appetitus ſenſitivus habet duas potentias: altera dicitur Concupiſcibilis, & altera Iraſcibilis: Per Concupiſcibilem fertur in bonum ſibi conveniens, vel utile, vel delectabile (bonum, ut honeſtum, eſt objectum voluntatis) vel fugit à malo. Per Iraſcibilem fertur ad vincendas difficultates, quæ ſibi occurrunt, pro conſecutione talis boni, vel ad ſuperandas difficultates, quæ occurrunt in evitando malo imminenti.

4. Actus appetitui ſenſitivo competentes quoad utramque potentiam vocantur paſſiones, quia fiunt cum aliquà immutatione corporis: & id patet: nàm etiam in facie cognoſcitur per alteratio-

nem, an quis gaudeat, an timeat, an deſperet, an ſit iratus &c. Sunt undecim hæ paſſiones: Amor, qui eſt ſimplex complacentia, Abominatio, quæ etiam dicitur Odium, & eſt ſimplex diſplicentia, Deſiderium, quod eſt actus efficax tendens in opus: Fuga, ſeù Odium, quod eſt deſiderium mali, Gaudium, quod eſt Delectatio in bono poſſeſſo, & Triſtitia, quæ eſt diſplicentia de malo preſenti, quod habemus, Spes, quæ firmat appetitum in eo, quod deſideramus ad illud conſequendum, contrà difficultates, quas patimur in ejus conſecutione: Deſperatio, quæ eſt deſtitutio appetitus conſequendi bonum, ex eo quod apprehendimus non poſſe nos ſuperare difficultates occurrentes in ejus conſecutione, per quod etiam deſiſtimus à deſiderando, quia non ampliùs nobis apparet conſequibile: Timor in nobis oritur, cùm videmus imminere malum, quod difficilè poſſumus evitare. Ad hunc timorem facillimè ſequitur deſperatio: Audacia ſequitur ad ſpem: quando enim ſperamus conſequi aliquod bonum, eſto mala, ſeù difficultates nobis impediant ejus conſecutionem, animamur ad vincenda illa mala, ſeù difficultates; & hæc animatio dicitur Audacia: Tandèm Ira eſt appetitus vindictæ: cum homo triſtatus eſt ob malum ſibi illatum, & ſperat illud vindicare, reſtituendo nocenti; quod tenet convenire, ut nocens habeat malum pro malo, tùnc inſurgit in appetitu Iraſcibili paſſio hæc Iræ, quà appetit vindicare.

4. Sex

5. Sex primæ pertinent ad Concupiſcibilem: quinque ultimæ ad Iraſcibilem: Et hoc ordine procedunt etiam in brutis, cum quibus illas homo habet communes: Quoad bonum, imaginativa repræſentat talem cibum eſſe ſaporoſum, & complacet ſibi in ſapore imaginato: progreditur imaginans ſibi convenire talem cibum, & deſiderat: ſed hìc repræſentatur difficultas in obtinendo illo, quare firmat ſe per ſpem, qnæ movet ad Audaciam, ut, ſcilicet, in opere aggrediamur ſuperare difficultates, ex quarum apprehenſione priùs per ſpem firmaveramus nos in deſiderio illius conſequendi: & quia imaginamur Petrum habentem in ſuà manu cibum, nobis injuſtè opponi ad tradendum, excitamus iram contrà Petrum, appetentes vindicari de injuſtà parvipenſione, quam habet de nobis: Porrò his obſtaculis remotis, habito jàm cibo, gaudemus illum comedendo. Semper igitùr incipit operari Concupiſcibilis: Ubi opus eſt, mediat Iraſcibilis, & ſemper terminat Concupiſcibilis. Si difficultates apprehendantur vix ſuperabiles, poſt deſiderium ſequitur timor de illis ſuperandis; & tandèm ubi apprehenduntur inſuperabiles, ſequitur deſperatio. Ad apprehenſionem mali ſequitur Abominatio, ſeù diſplicentia; & ſi iterùm imaginemur poſſe nobis advenire, ſequitur Odium, ſeù Fuga; quòd ſi videatur difficilè vitari poſſe, ſequitur timor: ubi verò nobis advenit malum, ſequitur Triſtitia: quare pariformitèr incipit operari Concupiſcibilis: ubi

opus est, mediat Irascibilis, & terminat Concupiscibilis.

6. Undecim hæ passiones de se non sunt peccata; sed imò Deus inserit homini, ut illis adjuvetur ad consequendum bonum honestum: Timor gehennæ retrahit à multis excessibus, & inducit remotè ad charitatem: Audacia, & Ira competunt viro forti, ex S. Thomâ 2. 2. qu. 123. a. 3. & 10. Duplicitèr possunt esse malæ: primò: si excitentur voluntariè passiones istæ circà objectum aliàs prohibitum: secundò: si circà objectum licitum excitentur inordinatè; & Ira, quæ ponitur vitium Capitale, non est ipsa passio Iræ secundùm se, sed ut est inordinata.

7. Multi decipiuntur credentes non esse peccatum mortale quidquid provenit ex passione iræ. maledicentias, imprecationes, blasphemias, etiam hæreticales: Hinc vulgus innumerum perseverat in peccatis mortalibus: confitentur equidem se hujusmodi maledicentias &c. protulisse ex animo, sed ex animo irato: Ubi autem Confessarius imperitus intelligit, statìm eximit ab omni culpà mortali. Præparans se ad confessiones sciat ex S. Thomâ 1. 2. q. 77. præsertim a. 7. quòd omnis passio potest prævenire rationem, quoad ipsum actum passionis, v.g. quoad ipsam iram, sed non quoad actus aliarum potentiarum, qui excitantur per iram. Id totum paucis verbis explicari nequit meliùs, quàm adducendo doctrinam ejusdem ex 2. 2. q. 13. a. 2. ad 3. ubi loquitur de blasphemiâ, & ait:

& ait: *Blaſphemia poteſt abſque deliberatione, ex ſurreptione procedere dupliciter: Uno modo, quòd aliquis non advertat hoc, quod dicit eſſe blaſphemiam: quod poteſt contingere, cum aliquis ſubitò ex aliquâ paſſione in verba imaginata prorumpit, quorum ſignificationem non conſiderat; & tùnc eſt peccatum veniale. Alio modo, quando advertit hoc eſſe blaſphemiam, conſiderans ſignificata verborum; & tùnc non excuſatur à peccato mortali, ſicut nec ille, qui ex ſubito motu iræ aliquem occidit juxtà ſe ſedentem.* Quæ multò magis locum habent in maledicentiis, & imprecationibus matrum ergà filios &c. ex animo jactis pro illo inſtanti iræ: nàm maledicentia ex animo jacta, eſt maledicentia volita per voluntatem, & conſequentèr priùs conſiderata per intellectũ: quare totiès mortalitèr peccant, quotiès maledicunt ex animo;

8. Confeſſor advertat has undecim paſſiones eſſe genera, non ſpecies: quare quando in illis eſt peccatum mortale, non ſufficit Pœnitenti ſe accuſare, quòd proruperit in odium, in iram &c. ſed debet ulteriùs explicare, quod malum voluerit per odium, & quomodo, an, ſcilicèt, complacendo, vel deſiderando &c. ut dictum eſt c. 31. n. 2. Porrò circà pœnitentes timoratos, qui frequentant hoc ſacramentum ſine peccatis mortalibus, maximè attendat, ut, quantùm fieri poteſt, moderentur paulatìm ſuas paſſiones: ut id conſequantur, proponet duplex medium: primò: ut in omnibus conſiderent finem, & ita aſſument paſſio-

nes v. g. iram, quantùm est necessaria, ut cum fructu corrigant vitia: Idem dic de gaudio, seù delectatione in cibo, potu, & reliquis actibus pertinentibus ad propagationem speciei, ut curent nihil ampliùs delectationis quærere, quàm quod confert ad fines talium actuum: secundò: quia difficillimum est, ut in hujusmodi actibus exercendis, ita ratio moderetur appetitum sensitivum, ut hic neque deficiat, neque excedat in irascendo &c. optimum erit consulere prædictis pœnitentibus, quòd, ubi passio concurrit ad aliquam operationem, se accusent in fine confessionis ex corde, de inordinatione passionis: v. g. pater, & mater debent irasci contrà filium delinquentem; se accusent veniam petentes à Deo, si fortè defecerint, vel excesserint in irà. Hoc est remedium efficax ad passiones magis, ac magis moderandas: nam duo concurrunt: primò: nostra humilitas: secundò: meritum Christi applicatum per sacramentum, quod institutum est in remedium nostræ infirmitatis; & excessus, vel passionis defectus in hujusmodi casibus provenit ex infirmitate.

CAPUT XXXIII.

De principiis bonorum Actuum.

1. EQuidem finis principalior hujus operis est *discernere lepram a leprâ*, hoc est, instruere præparantem se ad confessiones de

de distinctione peccatorum, ut in Confessionali ritè possit exercere triplex illud officium Judicis, Medici, & Doctoris. Sed, quia unius oppositi nequit haberi perfecta cognitio, nisi, saltèm imperfectè, cognoscatur aliud oppositum, ideò, ubi agitur de peccatis, & vitiis, præparans se ad confessiones, etiam aliqualitèr debet instrui de bonitate actuum, & de virtutibus. S. Thomas postquam egit primò de actibus appetitus intellectivi, quos dedimus cap. 31. & de actibus appetitus sensitivi, quos dedimus c. 32 procedit ad agendum de principiis intrinsecis actuum, & bonorum, & malorum: Distinguit principia intrinseca ab extrinsecis: quia enim actus nostri appetitus sunt vitales, manent in ipso operante: Igitur principium intrinsecum apud Angelicum est, quod recipit ipsam operationem: quare appetitus ipse dicitur principium intrinsecum, & quidquid concurrit ad operationem, ut forma ipsius appetitus: Principium verò extrinsecum dicitur omne principium, quod ab appetitu distinctum concurrit ad operationem, estò imprimat aliquid in ipso appetitu, ut est Deus, qui aliàs in appetitu infundit gratiam actualem auxiliantem &c. De potentiis appetitivis tractaverat sufficientèr S. Doctor in 1. p. q. 70. ad 74. cum in earum consideratione nihil occurrat speciale pro Confessario, brevitatis gratiâ nihil circà illas attingam: qui pleniùs instrui cuperet, videat Sanctum in prædictis locis. Hìc autem agit de habitibus in genere, qui potentias in-

formant à q.49.ad 54., sive concurrant ad bonum, sive ad malum; & à 56. ad 71. de habitibus bonis cum aliquibus eorum actibus specialibus. At fortè facilius evadet præparanti se ad confessiones, si in hoc capite brevitèr concludatur, quidquid spectat ad principia bonarum operationum, physicè operantia, sive sit ipse Deus per suam gratiam, sive voluntas ipsa per suos habitus.

2. Voluntas Justi, quando operatur bonum, & movet se ipsam ad tale bonum, & movetur etiam à Deo ad illud: quare debet perfici per duplicem habitum. Alter dicitur virtus, & alter dicitur Donum Spiritus Sancti. Virtutes omnes Morales reducuntur ad septem, quarum tres sunt Theologicæ, quatuor Cardinales: Etiam septem sunt dona Spiritus Sancti. De utrisque videnda est *Instructio pro ordinandis* c.12. quoad universalem quandam intelligentiam: quæ verò perfectiùs de illis debet scire præparans se ad confessiones, dicentur suis locis de qualibet virtute in particulari, & dono eidem correspondente. Virtutes Cardinales aliæ sunt acquisitæ, & aliæ infusæ: dicuntur acquisitæ, quæ nos disponunt ad suos actus naturales: infusæ verò, quæ nos disponunt ad actus supernaturales earũdem virtutum: Theologicę Virtutes, & Dona sunt solùm supernaturales, quia omnes sequuntur ad fidem, quæ est principium supernaturalitatis. Tàm virtutes, quàm Dona sunt invicèm connexa intèr se, & cum charitate, ut nequeat haberi perfecta ex omni parte una Virtus,

tus, & Donum, nisi habeantur omnes, & maximè Charitas: quare in peccatore nulla virtus, est ex omni parte perfecta; sed, si habet aliquem habitum inclinantem ad actus virtuosos, ille habitus in ratione virtutis, nullatenùs est omni ex parte perfectus: cum hoc tamen stat, quod eliciat aliquos actus verè virtuosos: nàm actuum verè virtuosorum alii sunt perfecti, & alii imperfecti. Primi exigunt procedere ab habitu virtutis: secundi autem præcedunt, veluti dispositio, ad introducendam virtutem: Sicut ignis habet producere calorem: sed alius est calor perfectus, & alius est imperfectus: Octavus gradus est perfectus, & iste semper æxistit cum formà ignis: cœteri sunt imperfecti, qui non semper exigunt esse cùm ipsà formà ignis, sed præcedunt tanquam dispositiones: nihilominùs sunt verus calor, esto sint imperfecti.

3. Etiam in lineà donorum Spiritus Sancti reperio actus imperfectos; & perfectos; ne videar sine fundamento ponere hanc distinctionem, legatur S. Thomas 2.2.q.8. a.5. ubi ait, quod *qui nondùm consecutus est donum* Intellectus, tamen *ex illustratione Spiritus Sancti alia quædam præambula cognoscit*. Ad 1. addit Augustinum aliquando nomine doni Intellectus, accepisse quamcumque *illustrationem intellectualem*, *quæ tamen non pertingit ad perfectam doni rationem*. Et hi actus in lineà donorum imperfecti reperiuntur etiam in peccatore. Porrò actus perfecti Donorum sunt in duplici genere: nàm alii sunt perfectissimi, & alii minùs perfecti.

fecti. In hoc ſecundo genere ſunt duodecim fructus Spiritus Sancti, & in primo ſunt octo Beatitudines, & actiones, quas vocant Virtutis Heroicæ. Notitia ſuperficialis utrorumque data eſt in *Inſtructione pro ordinandis* c. 12. n. 7. & 8. Præparans ſe ad confeſſiones, qui velit de illis pleniùs inſtrui, legat S. Thomam 1. 2. q. 69. & 70.

4. Principium extrinſecum concurrens phyſicè cum voluntate ad ejus operationes, eſt Deus per ſuam gratiam. De hac gratiâ plenè S. Thomas 1. 2. à q. 109. ad finem: Gratiæ neceſſitatam ut intelligat præparans ſe ad confeſſiones, habeat ante oculos doctrinam univerſaliorem Catechiſmi Romani 1. p. c. 2. n. 22. ubi dicitur: *Non ſolùm — Deus univerſa, quæ ſunt, providentiâ ſuâ tuetur, atque adminiſtrat: verùm etiam, quæ moventur, & agunt aliquid, intimâ virtute ad motum, atque actionem ita impellit, ut, quamvis ſecundarum cauſarum efficientiam non impediat, præveniat tamen, cùm ejus occultiſſima vis ad ſingula pertineat; & quemadmodum Sapiens teſtatur* Sap. 8. Attingit à fine uſque ad finem fortitèr, & diſponit omnia ſuavitèr. *Quare ab Apoſtolo* Act. 17. *dictum eſt, cùm apud Athenienſes annunciaret Deum, quem ignorantes colebant*: Non longè eſt ab unoquoque noſtrum: in ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus. *Atque hæc* &c. Id verò pridem exemplo mirabilitèr explicuerat S. Thomas q. 3. de pot. a. 7. ad 7. Artifex enim ſecuri dat primò eſſe, ut ſit ſecuris: ſecundò conſervat eſſe ſecuri, non deſtruendo illam: tertiò

dat

dat virtutem securi, acuendo illam, sed estò sit perfectissima in his tribus, nunquam tamen actu scindet, nisi actu artifex illam moveat ad scindendum. Ita semper se habet causa universalis, respectu particularis, & maximè prima respectu secundæ, scilicet, Deus.

5. Scio, quod præparans se ad confessiones non facilè percipiet hanc doctrinam respectu causarum contingentium, de quibus non omninò adæquatum exemplum reperitur extrà Deum: nihilominùs debet supponere duo certissima: primò Artifex tollens, velut abotiositate securim, & per impulsum movens illam ad scindendum, nihil virtutis, quam priùs habebat, tollit securi; & si ex utrâque parte erat acuta, ita ut ex utrâque posset scindere, artifex imprimens illi motum ad scindendum ex hac parte, nihil pœnitùs acuminis tollit ex alterâ parte, sed solùm istam movet: uno verbo dat isti operationem, sed nihil virtutis, aut potentiæ ad scindendum tollit alteri: Eodem modo Deus movens causam contingentem ad hanc operationem, dat illi solùm talem operationem determinatam, sed nihil virtutis, aut potentiæ tollit causæ contingenti ad aliam operationem; & consequentèr adhùc ipsa operatio est contingens, quia procedens à causà illam ita operante, ut cum illà operatione actuali conjungat potentiam, & virtutem ad aliam, quæ si per motum, quo Deus movet ad talem operationem non tollitur, profectò remanet: secundò, ut melius id percipiat, notet

pri-

primum principium, quod traditur in Summulis: *Conclusio sequitur debiliorem partem*; & quia operatio procedens à causà primà, Deo, simul & secundà, est veluti conclusio, talis operatio debet sequi causam particularem, & contingentem, ut sit particularis, & contingens: Ratio desumitur ex alio principio æquè certo: Effectus nequit esse perfectior suis causis: cum igitur omnis ratio formalis reperta in effectu, procedat indivisibilitèr à duabus illis causis, si haberet necessitatem à primà, & non contingentiam à secundà; cum hæc necessitas in effectu, tribuenda sit utrique causę, jàm effectus esset perfectior suà causà.

6. Hæc omnia deducuntur ex principiis naturalibus; cæterùm præparans se ad confessiones ulteriùs ex fide supponet per Adæ peccatum fuisse multùm debilitatas hominis potentias ad bonum, ita quod amisit primò amorem naturalem, Dei finis ultimi; & scimus, quòd ab intentione finis regulatur electio mediorum: secundò incurrit in intellectu ignorantiam, in voluntate malitiam, in Irascibili infirmitatem, in Concupiscibili concupiscentiam. S. Thomas 1. 2. q. 85. a. 3. Vide c. 3. n. 11. Ità vulneratus homo remansit in bonum, quasi securis, cui multum est diminutum de acie; & sicut hæc talitèr relicta; ut actu scindat, duobus indiget, primò, quod reddatur acies, seù vis ad scindendum, secundò quod actu moveatur ad scindendum; ita homo, ut operetur bonum, indiget duobus, primò: quod per auxilium gratiæ confor-

ten-

tentur vires debilitatę per peccatum: secundò: quòd tali auxilio confortatæ moveantur ad operandum per aliud auxilium gratiæ; & quidèm intellectus contrà ignorantiam, ad cognoscendum verum, confortatur principalitèr lumine fidei, donisque fidei correspondentibus, sive sint actus perfecti, sive imperfecti; sed ubi ad cognoscendum adsit hæc gratia in intellectu, non per hoc est confortatus in voluntate ad bonum: Patet exemplo infirmi duabus infirmitatibus, nempè, in oculis, & in pedibus: Illum perfectissimè sanavit Medicus in oculis, fecitque videre medicinam in angulo cubiculi, efficacissimam ad statìm sanandos pedes. Estò id multùm adjuvet, quòd infirmus cognoscat virtutem medicinę, tamen non sufficit, ut convalescat, nisi sublatum in humeros Medicus ducat ad ipsam medicinam. Id innuere volens Tridentinum sess. 6. can. 4. dixit *liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum* &c. volens & excitationem, quà illuminamur, & prætereà motionem, quà illuminati movemur. Porrò sunt varia genera gratiarum, de quibus, ut dictum est, si velit pleniùs instrui præparans se ad confessiones, consulat loco prædicto S. Thomam. Et de gratiis gratis datis 2. 2. à q. 171. ad 179. quà doctrinà maximè indiget Confessor dirigens animas perfectiores simùl cum damnatione propositionum Michaelis de Molinos.

CA-

CAPUT XXXIV.

Quid circà peccatum in genere debeat particularitèr addiscere præparans se ad Confessiones.

1. SAnctus Thomas postquam egit de actibus virtutum, ejusque principiis intrinsecis, a q. 71. ad 89. pleniſſimè agit de peccato, ejusque principiis, adeò ut perfectus Theologus nihil ulteriùs possit desiderare ad totalem peccati notitiam. Quia tamen hoc opus eò solùm tendit, ut instruat Confessorem ordinarium, ut sciat, quæ spectant ad exercendum ritè suum triplex munus Judicis, Doctoris, ac Medici, secundum quod exercent in aliis negotiis ordinarii Judices, Medici, & Doctores, ideò ex thesauro Angelico solùm seligentur, quæ tenetur scire Confessor ordinarius. Rei cujuslibet agnoscenda est saltèm crassâ Minervâ, & essentia, & accidentia; quare cùm peccata sint materia remota, circà quam suum triplex officium Confessor exercet, debebit scire peccati essentiam, seù speciem, ac numerum, & peccati accidentia, seù circumstantias, quas peccati accidentia vocat S. Thomas 1. 2. q. 21. a. 10. præsertim ad 2. Quæ omnia, ut quantùm fieri potest, clarissimè proponantur, sciendum, quòd, quę conveniunt univocè sub uno nomine, priùs definiun-

niuntur, deinde dividuntur; at quæ conveniunt analogicè, ut peccatum ex S. Thomâ q. 88. a. 11. ad 1., priùs dividuntur, deinde definiuntur; quare.

2. D. Detur distinctio peccatorum?

M. Peccatum aliud est originale; aliud actuale: De originali dictum est in *Instructione pro ordinandis* c. 12. n. 11. & c. 41. à n. 4. datæ sunt Scripturæ authoritates à Tridentino primùm adductæ, ut Missionarii hæreticis probent dari hoc originale peccatum: S. Th. à q. 81. ad 84. & 4. contrà Gentes c. 50. 51. 52.

3. D. Quotuplex est peccatum actuale?

M. Peccatum actuale primò dividitur in capitale, & non capitale: Capitalia peccata dicuntur, quæ sunt caput, seù origo, undè alia proveniant. S. Thomas q. 84. a. 3. & sunt septem data in *Instructione pro ordinandis* c. 12. n. 13. & seqq. quorum tria de naturâ suâ non sunt mortalia, nempè, Avaritia, Gula, & Ira. S. Thomas a. 4. de quorum singulis dicetur suo loco, cum agemus de virtutibus, quibus opponuntur: secundò: peccatum aliud est spirituale, aliud carnale: Carnale perficitur, seù completur in delectatione gustus, & tactus: spirituale verò in aliis delectationibus. S. Thomas q. 72. a. 2. Tertiò: aliud est peccatum in Deum, aliud in se ipsum, aliud in proximum. Licèt omnia peccata sint in Deum, dicimur tamen specialitèr peccare in Deum, quando peccamus in his, quæ ratio dictat deberi soli Deo, ut quando peccamus contrà virtutes Theologicas, vel contrà vir-

virtutem Latriæ: dicimur peccare in nos ipsos, quando peccamus in his, quæ ratio dictat deberi nobis, ut quando peccamus gulà, &c. dicimur peccare in proximum, quando peccamus in his, quę ratio dictat deberi proximo, ut quando lædimus justitiam. S. Thomas q. 72. a. 4. Quartò: peccatum aliud est commissionis, aliud omissionis: Peccatum commissionis est contrà præceptum negativum: quare furtum est peccatum commissionis, quia est contrà præceptum negativum, seù prohibens furari: Peccatum omissionis est contrà præceptum positivum: quare omissio sacri in die festo est peccatum omissionis, quia est contrà præceptum positivum, seù præcipiens auditionem sacri. S. Thomas a. 6. Quintò: distinguitur peccatum cordis, oris, & operis. S. Thomas a. 7. apud quem videbis alias distinctiones peccatorum, sed pro quanto necessarium est pręparanti se ad confessiones, reducuntur ad istas, vel ad distinctionem peccati venialis, & mortalis, de quà n. sequenti. Porrò Confessor curabit, ut in confessione pœnitens explicet has differentias, ubi agitur de mortalibus: nèc enim sufficientèr se accusat dicendo, v. g. *Peccavi gravitèr contrà charitatem proximi*, sed debet addere, nùm læserit proximum peccato omissionis, negando illi signa benevolentiæ positivè præcepta, vèl peccato commissionis, operando contrà præceptum negativum prohibens odium &c. Similitèr debet explicare, nùm odium fuerit tantùm in corde, vel addita fuerint verba indicativa

odii,

odii, vel tandèm deventum fuerit ad actus externos odii. Porrò prædictæ peccatorum differentiæ inveniuntur æquè in peccato mortali, ac in veniali.

4. D. Imple promissum factum dandi distinctionem peccati venialis, & mortalis?

M. Sextò: peccatum dividitur in mortale, & veniale: Mortale est dictum, factum, vel concupitum contrà legem æternam Dei: Venialè est dictum, factum, vel concupitum præter legem æternam Dei: S. Th. q. 71. a. 6. additis, quę habet q. 88. a. 1. ad 1. Illud propriè dicitur cõtrà legem, quod est cõtrà finem legis: Porrò 1. Tim. 1. *Finis præcepti*, seù legis, *est charitas:* quare propriè peccatum mortale est contrà legem, quia destruit charitatem: Veniale verò dicitur prætèr legem, quia non destruit charitatem.

5. D. Ex S. Thomâ 1. 2. q. 96. a. 4. leges humanæ obligant in conscientià, & præsertìm præcepta obligant sub mortali ex 2. 2. q. 186. a. 9. ad 2. quare videtur dari peccatum mortale, quod tamen non est contrà legem æternam?

M. Ex eodem 1. 2. q. 95. art. 2. omnis lex humana justa (& solùm justa obligat in conscientià) derivatur à naturali, quam Deus indidit in corde hominum, ut imaginem particularem suæ legis æternæ universalis: ergo sicut offendit Principem, qui offendit imaginem Principis, ita offendit legem æternam, qui offendit imaginem legis æternæ. Vide rationem adductam pro damnatione peccati Philosophici c. 28. n. 2.

6. D. Quædam peccata dicuntur mortalia ex genere ſuo, & quædam ex genere ſuo non ſunt mortalia; vellem ſcire, quà regulà poſſim diſcernere hanc differentiam?

M. Duplici regulà poteris id diſcernere: prima eſt digna Theologo; quia univerſalis: Dictum eſt numero præcedenti peccatum mortale eſſe, contrà finem legis, ſeù contrà charitatem: quare Theologus videns peccatum aliquod habere de naturà ſuà oppoſitionem cum charitate, vel cum mediis neceſſariis ad conſervandam charitatem, judicabit illud eſſe de naturà ſuà mortale. Secunda regula magis infigetur memoriæ Confeſſoris ordinarii: videbit primò, quænam virtutes obligent nos de naturà ſuà ad ſuos actus ſub mortali; & deinde judicabit peccata illis oppoſita de naturà ſuà eſſe mortalia. Sed quia homo faciliùs percipit res in particulari, quàm in univerſali, ſciat in ſuà 2.2. S. Thomam examinare trigintà octo virtutes, quarum quatuordecim ſub mortali nos obligant ad ſuos actus, nempè, Fides, Spes, Charitas, Juſtitia commutativa, Juſtitia Diſtributiva, Juſtitia legalis, Juſtitia Vindicativa in Superiore, Religio, Pietas, Obedientia, Obſervantia, quæ dat obſequium debitum Superioribus, Sobrietas, Caſtitas, & Humilitas. Reliquæ non obligant de naturà ſuà ſub mortali. Prudentia v. g. determinat media ad conſequendum, vel conſervandum finem charitatis, & quia non omne medium eſt omninò neceſſarium, ſed aliquod eſt ad meliùs

ſeù

ſeù perfectiùs conſervare charitatem, ideò de naturâ ſuâ non obligat ſub mortali, ſed, ſolùm quando medium eſt tale, ut ſine eo non poſſet haberi charitas. Igitur peccata prudentiæ oppoſita de naturâ ſuâ non ſunt mortalia. Similitèr liberalitas non obligat nos ſub mortali, quia poſſumus habere charitatem ergà proximum, etiamſi non ſimus liberales, dummodò exerceamus charitatem in caſibus particularibus, quando proximus eſt in extremâ neceſſitate, aut gravi, vel habemus ſuperflua; quod autem obligat nos tantùm in caſibus particularibus, non obligat nos de naturâ ſuâ, & per conſequens peccata liberalitati oppoſita, de naturâ ſuâ non erunt mortalia. In *Inſtructione pro ordinandis* c. 40. n. 27. enumeravi ſingulas ſpecies peccatorum ſingulis quatuordecim prædictis virrutibus oppoſitas, ut novus Sacerdos memoriæ facilè commendaret, quæ peccata de naturâ ſuâ ſint mortalia; cæterùm hìc non eſt neceſſe illa repetere, quia de ſingulis agetur ſuo loco.

7. D. Plurlès dictum eſt, quod verba Ritualis *diſcernens inter lepram, & lepram*, important, ut Confeſſor ſciat diſtinctionem ſpecificam, & numericam peccatorum; quà ergo regulà uti debeo ad dignoſcendam hanc diſtinctionem?

M. In praxi hoc eſt præcipuum munus Confeſſarii, quà Judex eſt, ut à pœnitente faciat explicari ſpeciem, numerum, & circumſtantias explicatu neceſſarias peccatorum, juxtà Rituale ad-

ductum c. 7. n. 19. Sed in ſubſequentibus agetur de circumſtantiis, quæ ſunt accidentia, & de individuatione, ſeù numero; in præſenti danda eſt regula, ut cognoſcatur eſſentia (quæ eſt fundamentum cæterorum) ſeù ſpecies. Igitur præparans ſe ad confeſſiones utetur duabus regulis, quæ tamen in idem recidunt: primò: peccata ſunt diverſa ſpecie, quæ habent diverſum formale objectum; quæ eſt regula generalis ad diſtinguendum omnem actum. S. Thomas 1. p. q. 77. a. 3. Alia regula pro diſtinguendà particularitèr ſpecie peccatorum, eſt hujuſmodi: *Tùnc peccata diſtinguuntur ſpecie, quando opponuntur diverſis virtutibus, vel eidem virtuti per exceſſum, & defectum*. Ita odium, & furtum diſtinguuntur ſpecie, quia primum opponitur charitati: ſecundum opponitur juſtitiæ: Eſtò eidem liberalitati oppoſita prodigalitas, & avaritia, diſtinguuntur ſpecie, quia prima excedit in dando, ſecunda deficit: Furtum, & homicidium, licèt oppoſita eidem juſtitiæ commutativç, diſtinguuntur ſpecie, quia homicidium tollit vitam, quæ eſt bonum ſuperioris ordinis omni bono fortunæ. Idem dic de reliquis. Confeſſarius igitur à Pœnitente audiens, quòd peccavit contrà virtutem aliquam, ulteriùs inquirat ſpeciem, quia plura ſunt peccata ſpecie diverſa contrà eandem virtutem. S. Thomas 1. 2. q. 72. a. 8. Hæc regula duplex in rei veritate non ſolùm inſeruit ad diſtinguendas ſpecies peccatorum mortalium, ſed etiam venialium ad invicem.

8. D. Plu-

8. D. Plura inferiùs assignabis peccata contrà dona Spiritus Sancti: nam dices c. 35. n. 18. Ignorantiam opponi dono Scientiæ. Par. 2. suo loco. Hebetudinem sensus, & Cæcitatem mentis opponi dono Sapientiæ. Propterea videntur non ex solâ oppositione ad virtutes distingui peccata?

M. Optimè peccata distinguuntur ex oppositione ad virtutes; estò assignentur peccata contrà dona Spiritus Sancti, inter quæ computari debent blasphemiæ in Spiritum Sanctum, de quibus dicetur Par. 2. suo loco. Notandum ex S. Thomâ 2. 2. q. 159. art. 2. ad 1. quòd dona Spiritus Sancti apud Theologos, in suo actu perfectissimo correspondent virtuti Heroicę apud Philosophos, quam etiam vocabant divinam, quia excedit modum, quo solent operari homines. Theologi quærunt, an virtus Heroica distinguatur specie à communi. De hoc non curet Confessor: potest enim satisfacere suo muneri Judicis, estò ignoret prædictam distinctionem. Loquendo autem de peccatis oppositis virtuti Heroicæ, seù donis, illa erunt talia, quæ à Philosophis dicuntur bestialia, inhumana, & contrà naturam. Hujusmodi est in Luxuriâ peccatum Antonomasticè dictum *Contrà naturam*: Hujusmodi sunt blasphemiæ in Spiritum Sanctum, quas inter S. Thomas enumerat obstinationem; & deinde 2. 2. q. 88. a. 6. ait obstinationem esse circumstantiam notabilitèr aggravantem. Quæst. 159. a. 12. ad. 1. Crudelitatem enumerat inter peccata opposita donis. Omnia porrò hæc

peccata ſaltem mediatè opponuntur virtutibus. Et vel differant ſpecie, vel tantùm aggravent, Confeſſor curabit explicari ex ratione dandâ num. 26.

9. D. Quia diſcernere lepram à leprâ non ſolùm importat agnoſcere ſpeciem, ſed etiam numerum peccatorum, ideò detur mihi regula, ut diſcernam, quomodò peccata diſtiguantur numero?

M. Confeſſor non debet curare unitatem, & diſtinctionem numericam peccatorum in genere phyſico, ſed in genere moris, ut ſunt peccata. Hinc ex S. Thomâ 1. 2. q. 20. a. 6. plures actiones phyſicè (etiam ſpecie) diverſæ, erunt unum numero peccatum, ſi ad eundem finem ordinentur v. g. Petrus ut occidat hoſtem in mane, citiùs ſolito in veſperi vadit dormitum, ſurgit, induit ſe, arripit enſem, exit domo, ambulat per compita, ut hoſtem inveniat: Equidem phyſicè ſunt plures actiones diverſæ ſpecie, ſed in genere moris, quia unus eſt omnium finis, unum ſunt numero peccatum. E contrà, ſi dum continuè ambulat, incipiat curſum, primò propter vanam gloriam: ſecundò propter gloriam Dei, tertiò ut furetur: una phyſicè actio erit primò peccatum veniale: ſecundò actus bonus: tertiò peccatum mortale, quia eſt ordinata in tres fines: Secundò: ſicut ex diverſitate objecti formalis deſumitur diſtinctio ſpecifica, & formalis, ita ex diverſitate objecti materialis deſumitur diſtinctio materialis, & numerica

merica peccatorum. Id nisi maximè attendat Confessor, milliès exponet sacramentum pœnitentiæ periculo nullitatis: etenim Philosophus, etiam lumine naturali, agnovit, quod *Injuria est in injuriato*: quare si uno ictu duos occidam, uno verbo duobus detraham, vel duobus sim scandalo, quanquàm una sit actio, tot erunt peccata homicidii, detractionis, & scandali, quot sunt offensi; & tamen plures Confessarii à pœnitentibus non sufficientèr explicantibus fortè negligunt petere numerum offensorum, ex quo pendet cognoscete quot numero peccata commiserit. Tertiò: etiam distinguuntur, seù multiplicantur numero peccata ex diversitate temporis, quo commissa fuerunt, ut si hodiè, & crás percutio inimicum, erunt duo peccata numero distincta. Porrò totum hoc videtur provenire, quia tanta intercapedo temporis facit mutare intentionem, seù quòd non remaneat virtualitèr prima illa intentio, sed interrumpatur per actus, qui mediant, moralitèr. Hinc tempus illud faciet distinctionem numericam peccatorum, quod moralitèr censetur sufficere ad variandam intentionem. Et hoc debet hìc, & nunc determinari judicio prudentum; & Confessor in praxi, ubi potest esse dubium, provideat securitati conscientiarum.

10. D. Explicata est sufficienter pro quanto pertinet ad Confessorem ordinarium, & essentia, seù distinctio specifica, & individuatio, seù distinctio numerica peccatorum: explicentur nùnc

accidentia, ſeù circumſtantiæ.

M. Confeſſarius, quà Judex, debet etiam ſcire circumſtantias peccati; nàm, quod ait Rituale adductum c. 7. n. 19. *Si Pœnitens ... circumſtantias peccatorum explicatu neceſſarias non expreſſerit, eum Sacerdos prudentèr interroget*; innuit officium Judicis, cujus eſt interrogare. De circumſtantiis actuum humanorum agit S. Thomas 1.2. quæſt. 7. q. 18. a. 3. a. 10. & 11. & de circumſtantiis peccatorum q. 72. art. 9. q. 73. a. 3. & q. 88. a. 5. Porrò notandum, quòd accidentium aliqua verè ſunt in ſe talia, & aliqua ſunt in ſe ſubſtantiæ, ſed accidentia reſpectu ſubjecti, cui ſuperveniunt: albedo hominis v. g. in ſe verè eſt accidens: veſtis autem dicitur accidens reſpectu hominis, cui ſupervenit, ſeù accidit; cæterum in ſe eſt ſubſtantia; quæ applicando circumſtantiis peccatorum, aliæ ſunt verè accidentia, ita quòd cum actu conſtituant unicum peccatum: aliæ verò ſunt accidentia reſpectu iſtius actus, verè tamen in ſe habent rationem alterius peccati: primæ circumſtantiæ dicuntur aggravare, vel diminuere peccatum intrà eandem ſpeciem: ſecundæ verò dicuntur mutare, ſeù transferre ſpeciem peccati in aliam: Ut autem ſciamus, quando circumſtantiæ aggravent intrà eandem ſpeciem, & quando mutent ſpeciem, notanda eſt regula n. 7. tradita pro diſtinctione ſpecificà peccatorum: Ibi diximus peccata diſtingui ſpecie, ſi opponantur diverſis virtutibus, vel eidem virtuti per exceſſum, & defectum: ſi ergo

idem

idem actus physicus opponatur diversis virtutibus, vel eidem per excessum, & defectum, erit in duplici specie morali, eruntque duo peccata specificè distincta: sicut enim in uno actu dicuntur duo peccata numero distincta, si attingantur duo objecta materialia, ut firmatum est n. 9. ita, si uno actu attingantur duo objecta formalia, erunt duo peccata specie distincta, & ita unum furtum rei sacræ est duplex peccatum. Eodem modo si quis eodem actu furetur, & occidat, committit duplex peccatum contrà justitiam, quia ille actus est in duplici specie.

11. D. Quæ sunt circumstantiæ peccatorum, ad quas præcipuè Confessor debet attendere?

M. Comprehenduntur illo versu, quem 1. 2. q. 7. a. 3. recitat S. Thomas:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

cum hunc versum vel pueri ferè decantent, gratior esse non potero præparanti se ad confessiones, quàm, si particularitèr explicem, quando circumstantiæ in illo enumeratæ mutent speciem: pro quo ante omnia ex n. 5. recolendæ sunt quatuordecim virtutes, quæ nos obligant sub mortali, ac differentia intèr præceptum negativum, & affirmativum, quòd illud obligat semper, & ad semper: istud semper, sed non ad semper. Igitur.

12. Prima circumstantia *Quis* importat personam peccantem, & personam, in quam peccatur. Circà peccantem mutabit speciem, quando actus uni-

universalitèr prohibitus ab unà virtute, specialitèr prohibetur tali personæ per aliam virtutem, vel actus universalitèr hic, & nunc præceptus omittitur ab eo, qui hic, & nùnc obligatur ad illum ex virtute: Hoc secundum dico quoad præcepta affirmativa, quæ non obligant ad semper. Exemplo res erit clarior. Castitas universalitèr prohibet omne peccatum luxuriæ, & sunt aliæ virtutes, quæ sub alia ratione illud prohibent aliquibus personis specialibus. Igitur quis peccet, primò considerandum est in omnibus peccatis contrà charitatem proximi; & debet considerari solùm quoad hæc duo, *si sit conjunctus*, & *si sit superior*. tùnc enim quoad primum, illa peccata sunt contrà Pietatem, & quoad secundum contrà observantiam; nec modò in peccatis contrariè oppositis, sed etiam in peccato omissionis, ut si omittam subvenire patrem in extremà necessitate: secundò: ob eandem rationem uttumque est considerandum in justitià commutativà, ut si offendam patrem, vel Superiorem, vel Clericum juxtà c. *Si quis suadente* 17. q.4. tùnc enim, utpotè contrà Religionem, est sacrilegium. Tertiò: in materià Castitatis, est considerandum, si sit conjunctus, quia est contrà Pietatem: si sit maritatus, vel sub ejus custodià sit Virgo, quia utrumque est contrà Justitiam; si sit voto adstrictus, quia est contrà Religionem. Quis etiam sit ille, in quem peccatur explicandum est in prædictis casibus ob easdem rationes; & si contrà Castitatem ambo sint maritati, tùnc erit duplex

plex numero peccatum in specie adulterii: fit enim duplex injuria: vir suæ uxori, & uxor suo marito.

13. Circumstantia *quid* importat, quid sequatur per se ex tali peccato. Scandalum potest ordinariè sequi ad quodlibet peccatum exteriùs expressum; & consequentèr hæc circumstantia *quid* potest habere locum, ubi violatur quælibet ex prædictis quatuordecim virtutibus, etiam ubi violatur ipsa charitas: nàm v. g. qui omittit subvenire proximo in extremâ necessitate, ultrà peccatum omissionis contrà præceptum positivum eleemosinæ, facit peccatum (si publicè omittat) de se scandalosum, & inductivum ruinæ spiritualis proximi, contrà præceptum negativum Charitatis; quare cum tali publicitate hoc peccatum habet duas malitias specie diversas, quia una eidem virtuti opponitur per excessum suprà aliam: inducere ad ruinam spiritualem est malum de se multò gravius, quàm non sustentare vitam corporalem: quare in hoc casu circumstantia *quid* ponit peccatum in duplici specie, totque numero peccata erunt, quot fuerint homines affecti scandalo. Alios malos eventus est opus considerare, præsertim in adulterio, si nascantur filii, qui supponantur vero marito: etenim tùnc emergit damnum, & marito, & filiis legitimis: marito. nam educat filios alienos: legitimis autem, quorum hæreditas dividitur cum extraneis. Confessor in his casibus interrogabit omnia, & imponet matri, ut de suo, vel de bonis adulteri alat filium illegitimum, cui

etiam

etiam conſulet ingredi Religionem tempore opportuno, ita quòd etiam cælet ſuam turpitudinem. Etiam erunt interrogandi pœnitentes hi, quando explicant expoſuiſſe filios in Hoſpitali an ſint pauperes. Hoſpitalia enim ſunt erecta pro pauperibus: quare ſi ſint divites, in conſcientiâ tenentur Hoſpitali de alimentis, licèt non exigantur ab Hoſpitalibus viâ juridicâ. Idem dic de infirmo habente competens patrimonium, & ex avaritiâ ſe conferens ad Hoſpitale in infirmitate.

14. Circumſtantia *Ubi* ſignificat locum, in quo committitur peccatum; Per conſtitutiones Eccleſiaſticas religio ſub mortali ſpecialitèr prohibet ſine debitis facultatibus extrahere delinquentes è loco ſacro, futari, rapere bona exteriora, vel inſultare alterius vitæ in loco ſacro, Religio etiam ſpecialitèr præcipit obſervantiam Caſtitatis in loco ſacro; Ubi Confeſſor audierit hujuſmodi peccata, prudentèr debebit interrogare circumſtantiam iſtam loci, ut quæ conſtituat illud peccatum etiam in ſpecie ſacrilegii. Ulteriùs ex circumſtantiâ *Ubi*, peccata contrà vitam proximi conſtituuntur in ſpecie contrà Virtntem Obſervantiæ Principi debitę, ſi offendatur proximus in ipſo Principis palatio, vel alio in loco, ratione cujus talis offenſio ſit crimen læſæ Majeſtatis.

15. Circumſtantia *quibus auxiliis* importat inſtrumenta, quibus utimur ad peccatum, non quidem inſtrumenta phyſicè tantùm diverſa, ut ſi percutiam fuſte, vel enſe, ſed ſi ſint inſtrumen-

ta

ta moralitèr diverſa; Poſsū uti homine tāquam inſtrumēto in peccatis cōtrà ſingulas quatuordecim virtutes, ad diſſeminandam hæreſim v.g. ad inducendum in deſperationem alios, ad violandam fœminæ caſtitatem, ut ſeducatur &c. Poſſum uti dęmone, qnod eſt peccatum ſuperſtitionis religioni oppoſitum, & diſtinctum in varias ſpecies, ut ſuo loco dicetur. Poſſum uti, ſeù verius abuti ſacramentis; Peccatum parirèr oppoſitum Religioni, quod non habet nomen particulare; ſed vocatur ſacrilegium nomine ſui generis. Et ita interrogandus eſt prudentèr pœnitens, de ſingulis his, & aliis auxiliis, ſeù inſtrumentis, quæ hìc; & nùnc doctus Confeſſor agnoſcet, vel ſaltèm dubitabit poſſe conſtituere diverſitatem ſpecificam ex oppoſitione ad aliam virtutem; quæque cùm ſint infinita, & infinitè variabilia, non poſſunt hic ſingula emumerari.

16. Circumſtantia *Cur* denotat finem peccaminoſum, in quem dirigo aliud peccatum: Hæc etiam circumſtantia poteſt habere locum in peccatis contrà ſingulas quatuordecim virtutes: nam, eligere poſſum unum peccatum, ut medium ad aliud. Ita nonnulli amplectuntur hæreſim, ut libidini vacent: Alii furantur è terris Chriſtianorum, ut habeant, unde poſſint convolare ad partes infidelium pro hæreſi amplectendà &c.

17. Circumſtantia *Quomodo* importat qualitèr quis operetur, quali animo, an ex paſſione, an ex malitià, vel habitu, an intensè, an remiſsè &c.

Dica-

Dicamus etiam, quòd ad hanc circumſtantiam reducatur quantitas: nàm interroganti *qualis eſt injuria*, *qualis paſſio* &c. reſpondemus: *magna*, *vel parva*; eſtò philoſophicè, ac propriè loquendo quantitas ſit propria materiæ: qualitas verò propria formæ. Hæc circumſtantia ut explicata non habet mutare ſpeciem, ſed ſolùm aggravare intrà eandem ſpeciem: virtus enim, quæ prohibet abſolutè actum, prohibet ſimùl qualitatem, & quantitatem: qui enim tollit fundamentum, tollit multò magis, quæ ſolùm inniti poſſunt tali fundamento: & quando diximus peccata ſpecie diſtingui per exceſſum, & defectum, intelligitur exceſſus, & defectus ex parte objecti, non ex parte actus.

18. Circumſtantia *Quando* importat tempus, ut ſi quis in odio proximi duret per horam, vel per menſem &c. ſi peccatum committatur die feſtivo &c. Neque circumſtantia hæc mutat ſpeciem; quoad durationem actus valet eadem ratio, quæ in præcedenti: quoad tempus feſtivum nonnulli tenent quarto Decalogi præcepto cum operibus ſervilibus prohiberi ſimùl ſpecialitèr mortale peccatum; ſed communitèr nimis rigoroſa reputatur hæc opinio: cum tot peccata committantur in die feſto, nec Confeſſores, nec Pœnitentes etiam timorati, ſunt ſolliciti, ut explicent hanc circumſtantiam; & ratio eſt, quià tale præceptum formalitèr prohibet opera ſervilia, quæ ſervis propriè competunt per exercitium corporale, propterea

tereà si fur die festo corporalitèr laboraret per horas, transferendo rem furto ablatam, peccaret duplex peccatum in confessione aperiendum.

19. Ex his septem circumstantiis, quæ transferunt peccatum in aliam speciem, omninò sunt aperiendæ in confessione. Tridentinum ita determinavit sess.14.c.5.

20. D. Tenemurnè in confessione aperire circumstantias notabilitèr aggravantes, vel diminuentes intrà eandem speciem?

D. Ex Catechismo adducto ç.6. n.10. tenemur explicare quantitatem furti: ex 58. propositione Innocentii XI. tenemur explicare consuetudinem peccati. Quià Sedes Apostolica nihil temerè definit, danda est ratio. Hæc autem utpotè universalis ostendet generalitèr, quas circumstantias teneamur aperire. Porrò illam non potest nos docere meliùs, quàm ipsa columna, & firmamentum veritatis, Ecclesia. Hæc in Tridentino sess. 14.c.5.docet circumstantias mutantes speciem explicandas esse, quia *fieri nequit, ut de gravitate criminum rectè* Confessores *censere possint, & pœnam, quam oportet, imponere pœnitentibus pro illis*. Ponit conclusionem & tradit rationem. Conclusio est, quòd circumstantiæ speciem mutantes explicandę sint:quare id est de fide,contrà hęreticos,qui negabant hoc præceptum. Circà circumstantias notabilitèr aggravantes nihil definivit, quia controversia erat inter Doctores Catholicos, convenerat que Synodus ad eliminandos errores Hæreticorum,

rum, non ad damnandas opiniones Catholicorum; tamen adduxit rationem, quæ mihi & aliis videtur generalitèr concludere pro omnibus circumstantiis, etiam notabilitèr aggravantibus. Confessor enim has ignorans certè nequit judicare de gravitate criminum, nec imponere pœnitentiam convenientem. Furanti centum mille nummos imponenda est major pœnitentia, quàm furanti testonem: Ulteriùs furans testonem, si primà vice promittat restituere, potest absolvi statim, antequam incipiat restitutionem, etiamsi commodè possit actu restituere: Furans centum mille, potensque actu restituere, non est absolvendus, nisi priùs saltèm restituat partem notabilem. Idem dic de consuetudinario. Hic, ut dictum est c. 22. n. 4. nisi præcedat notabilis emendatio, nequit absolvi: quare sit hæc regula generalis: Explicandæ sunt circumstantiæ notabilitèr aggravantes, quæ vel circà dandam absolutionem, vel circà imponendam pœnitentiam notabilitèr variant judicium Confessarii. Diverso modo tractandus est, qui per unum instans odio habet proximum, & qui odio habet per mensem uno actu continuato; & sic differendum de reliquis. Casus, in quibus notabilitèr aggravetur peccatum, non possunt hìc omnes enumerari, quia sunt infiniti; sed tamen Confessor habens præ oculis prædictam regulam universalem, & illam applicans casui particulari, secundum quod inuitur à pœnitente, poterit plus, vel minùs discernere, an ulterior explica-

tio

tio pœnitentis sit exigenda; quòd si non adeò doctum se agnoscat, ut possit ex se solo statìm judicare, reducat in memoriam pœnitentis, quòd ipse est Medicus, & quòd, in explicandà infirmitate corporali, abundare potiùs, quàm deficere debent infirmi ex corde cupientes sanari. Ubi casus est dubius, non asserat certò notabilitèr aggravari peccatum, ut id non asserit Medicus corporalis, sed ostendat meritum humilitatis Christianæ in vincendà erubescentià, quam fortè non tenemur vincere. Omnia verò peragat juxtà regulam Ritualis positam c. 7. n. 20. sed præsertìm in circumstantiis peccatorum contrà Castitatem. Meminerit quali cautelà, & honestate verborum, Medicus corporalis prudens interroget Virginem pudicam circà morbos interiorum membrorum.

CAPUT XXXV.

De Ignorantià, quæ habet causare, vel excusare peccatum.

1. UBi sufficientèr explicatum est peccatum in se, seù quoad causam formalem, quæ est ejus definitio, procedit S. Thomas ad inquirendum de aliis causis peccatorum à q. 73. ad 85. Sunt autem plures causę, de quibus videatur S. Doctor. Præparans se ad confessiones maximè debet scire duas: primam, an peccatum sit ex malitiâ, sive habitu, an ex passio-

ne, quia inde pendet, an ſtatìm poſſit abſolvere: ut enim totiès dictum eſt, conſuetudinariis, vel habituatis differenda eſt abſolutio. De hac causà ſufficientèr dictum eſt c. 22. n. 4. Secundam, an peccatum ſit ex ignorantiâ; & de hac tantò magis dicendum eſt, quia poteſt aliquandò cauſare peccatum, & aliquandò excuſare totalitèr, aliquandò diminuere gravitatem peccati. Propriè autem loquendo, diſtingui debent hæc tria, *Inadvertentia*, *Ignorantia*, & *Error*, Inadvertentia eſt, cum quis habet habitum ſcientiæ, ſed actu ad illam non reflectit, neque applicat. Hoc pacto ſciens aliquis eſſe diem jejunii, ſed non reflectens, dùm dividit carnes pro infirmis, inadvertentèr proiicit fruſtum in os. Ignorans dicitur, qui non habet habitum ſcientię, quem aliàs natus eſt habere, ut quando quis ignorat eſſe diem jejunii. Utramque diſtinguebant damnati ab Alexandro VIII. c. 28. n. 2. ignorantiam in illis verbis, *qui Deum, vel ignorat:* Inadvertentiam in illis: *vel de Deo actu non cogitat:* Error eſt, quando quis habet habitum contrarium. Id videre eſt circà fidei myſteria: nàm ignorans tria principaliora, graviſſimè quidèm peccat, ſed non eſt hæreticus, neque denunciandus, niſi poſitivè credat, quod v. g. non detur Trinitas. Vide dicta c. 19. n. 3. De errore ſpecialiùs agetur c. 39. ubi de conſcientiâ n. 5. Hìc agimus de ignorantiâ, proùt comprehendit Inadvertentiam: Utraque enim poteſt cauſare, & excuſare peccatum; & iſta eſt Ignorantia, de quâ nùnc loquimur;

mur; & de quà consulatur S. Thomas 1. 2. q. 6. a. 8. q. 76. q. 88. a. 6. ad 2. & 2. 2. q. 59. art. 4. ad 1. & 3. p. q. 80. a. 4. ad 5.

2. D. Quotuplex est Ignorantia?

M. Plures Ignorantiæ divisiones videbis apud S. Thomam, & Doctores passim; quia tamen hoc opus eò tendit, ut sit adjumento præparanti se ad confessiones pro discernendà leprà, & leprà, ideò brevitatis gratià omissis, quæ inserviunt Theologo Scholastico, proponentur solùm, quæ possunt prodesse ad praxim. Igitur notandum ex S. Thomâ 1. 2. q. 76. a. 1. quòd homo per usum rationis operans actum voluntatis, præmittit actum rationis, seù discursum, qui habet duas prçmissas, alteram universalem; & alteram particularem: v.g. præmittit hunc syllogismum: *Nullus homo est occidendus: sed animal, quod movetur, est homo, ergo non est occidendum.* In vim cujus conclusionis retrahit se ab occidendo. Possum igitùr ignorare primam propositionem, & cognità sufficientèr primà propositione, possum ignorare secundam, sive per veram ignorantiam, quà nesciam tale animal esse hominem, sive per inadvertentiam, quà sciens esse hominem, hìc, & nùnc non advertam. Prima dicitur ignorantia juris: secunda dicitur ignorantia facti.

3. D. Videtur mihi, quod clariùs procedes, si divisìm agas de singulis: quare primùm peto edoceri de primà, utrùm sit peccatum, & utrùm excuset à peccato?

M. S. Thomas q. 76. a. 2. ait: *Omnes communitèr tenentur scire, quæ sunt fidei, & universalia Juris præcepta: singuli autem, ea, quæ ad eorum statum, vel officium spectant.* Notet hæc ultima verba præparans se ad confessiones; tùm propter se, tùm propter pœnitentes; propter se quidèm, quia tenetur scire, quæ spectant ad statum Sacerdotis, & ad officium Judicis, Medici, ac Doctoris; propter pœnitentes verò, ut juxtà Rituale adductum cap. 7. n. 15. inquirat de eorum statu, & an sciat, agatque pertinentia suo statui.

4. D. Ex illis verbis adductis cognosco verè S. Thomam fuisse intellectus Angelici comprehendentis multa sub unà specie universali, sed ego indigeo, ut particularitèr singula mihi proponantur; quare peto, quæ sunt mysteria fidei communitèr scienda ab omnibus.

M. Vide hæc particularitèr enumerata, par. 2. c. 1. num. 19. & notà, quòd aliud est actu credere prædicta mysteria: aliud scire: ad credenda tenemur præcepto affirmativo virtutis Fidei; propterea non obligante nos ad semper: Ad scienda tenemur præcepto negativo doni Scientię obligante nos ad semper: quare qui per annum ignoravit; addidit circumstantiam *quando* notabilitèr aggravantem. Ad exequendum præceptum negativum Doni Scientię tenemur ponere actum addiscendi, quem actum, utpotè præcepto affirmativo impositum, non tenemur ad semper eliciendum; quare qui per annum ignoravit nisi, renovaverit hunc

actum,

actum, quòd positivè velit ignorare (tùnc enim tot numero peccata committit, quot actus renovat) commisit unum peccatum, sed cùm circumstantiâ temporis notabilitèr aggravante, contrà præceptum negativum: & quia omisit frequentare Parochiam, ut instrueretur in fide Christianâ, commisit aliud peccatum specie diversum, utpotè contrà præceptum affirmativum ~~addiscendi~~; quod peccatum totiès in illo anno multiplicavit numero, quotiès tenebatur frequentare Parochiam sub mortali: Equidem Parochi quolibet die Dominico docent doctrinam Christianam, sed non crediderim sub mortali obligatum ignorantem frequentare illam quolibet die Dominico sub mortali; nec volo ex me determinare, si obligetur semèl, vel pluriès in mense, quia id non determinavit Ecclesia; solùm dico, quòd Pœnitens debet explicare, se per annum neglexisse Parochiam, ut inde Confessor cognoscat peccata *circumcircà*, quæ commisit, & si deficiat Pœnitens, interrogandus est juxtà Rituale adductum c. 7. n. 19.

5. D. Tenemurnè omnes communitèr scire orationem Dominicam?

M. Utique tenemur, Ecclesiâ dicente in Missà *Præceptis salutaribus moniti, & divinâ institutione formati* &c. eritque peccatum ignorare illam, & aliud peccatum non addiscere, & aliud non recitare suo tempore juxtà dicta numero præcedenti. Hoc ultimum contrà virtutem Religionis, & Donum Pietatis: prima duo contrà donum Scien-

tiæ. Contrà quod erit paritèr, ſi quis ignoret facere actum Spei, & Charitatis; & ſi quis negligat id addiſcere. In quibus tamen omnibus conſtituenda eſt graduatio, ut primò omnium ſciantur myſteria fidei: ſecundò quid ſit objectum Spei: tertiò quid ſit objectum Charitatis: quartò ut ſciamus à Deo petere per orationem Dominicam; & propterea, eſtò jure divino præcepta ſit hæc oratio, tamen homo poſſet ſalvari abſolutè loquendo cum ejus ignorantià: ſi quis adultus conſtitutus in articulo mortis vellet baptizari, nèc adeſſet tempus docendi orationem Dominicam; in tali caſu inſtructus de tribus principalioribus myſteriis fidei, de objecto Spei, & Charitatis, poſſet baptizari, & ſi ita decederet, ſalvaretur.

6. D. Tenemurnè communitèr ſcire alia circà Fidem?

M. Tenemur ſcire virtutem Pœnitentiæ in genere, explicatam illis Symboli verbis *Remiſſionem peccatorum*, ita quòd infidelis adultus baptizandus tenetur ſcire pœnitentiam, quæ ex Tridentino ſeſs. 14. c. 1. eſt neceſſaria ante baptiſma. Notandum tamen, quòd non tenetur ſcire diſtinctè, ſed ſufficit, quòd ſciat baptiſmo juſtificari per merita Chriſti hominem ad ſalutem; ex hoc enim ſcit, quod debet. Ideò Eccleſia ſupponit, quòd ſciens, & volens baptiſmum, ſciat, & velit media neceſſaria pro ſuſcipiendo ritè baptiſmo: quare baptizat correptum apoplexià, qui priùs oſtendit deſiderium baptiſmi. Orationem Dominicam aliquandò

quandò tenemur scire post baptisma, ut qui baptizatur infans, vel in articulo mortis: tenebitur enim discere, si convaluerit: aliquandò tenemur scire ante baptisma, ut adultus, à quo pluriès Rituale exigit recitari orationem Dominicam, priùs quàm baptizetur. Peccator fidelis tenetur scire vim sacramenti Pœnitentiæ, & quæ faciunt ad ejus legitimam susceptionem.

7. D. Tenemurnè scire alià circà fidem?

M. Tenemur scire singuli, quæ ad nostrum statum, & officium spectant; qui proximus est, ut communicet, tenetur scire sacramentum Eucharistiæ, & quæ necessaria sunt ad ejus legitimam susceptionem, quilibet juxtà suum captum: alii magis, alii minus; & eodem modo differendum de reliquis sacramentis. Constitutus in matrimonio, quę necessaria sunt huic statui, constitutus in sacris ordinibus eorum obligationes; & ita differendum de uniuscujusque statu.

8. D. Potest nè in aliquo dari ignorantia invincibilis eorum, quæ circà fidem tenemur scire communitèr?

M. Ignorantia est duplex, alia vincibilis, alia invincibilis: secunda nullatenus est peccatum, si explicetur, ut debet explicari: prima est peccatum, quando est de iis, quæ possumus, & tenemur scire, adeò quòd hæc duo simùl requirantur, & quòd possimus, & quòd teneamur scire: altero deficiente non est peccatum; si verò non possumus scire dicitur ignorantia invincibilis, quæ ut appareat,

an detur de mysteriis fidei etiam principalioribus; ita differo: Ex Apostolo Ro. 10. *Fides ex auditu*: quare qui nunquam potuit audire prædicatorem sibi proponentem prædicta mysteria, nunquam illa potuit scire: Igitur invincibilis ignorantia fidei erit in illo, qui nunquam audivit Missionarios, nec per se, nec per alios amicos, qui retulerint adesse prædicatores fidei; Si quis extat hujusmodi rusticus in remotioribus orbis montibus, utique dicatur habere ignorantiam invincibilem de mysteriis fidei. At si quis inter Catholicos, etiam in sylvis educatus, prætendat se habere ignorantiam invincibilem de hujusmodi mysteriis, corripiatur acritèr: habet enim patrem, & matrem, habet Parochum, habet socios Christianos, à quibus potest petere instructionem, præsertìm quia pauciſsima sunt, & facili negotio addiscibilia, quæ tenetur scire circà fidem, nempè, tria mysteria necessaria necessitate medii, inclusa in signo Crucis, ut dictum est in *Instructione pro ordinandis* cap. 8. n. 53.; quoad necessitatem præcepti, Symbolum Apostolorum, & Orationem Dominicam.

9. D. Quid important illa verba S. Thomæ adducta n. 3. *universalia Juris præcepta*.

M. Important, quòd, saltèm quoad substantiam, ut ex Sancto Carolo dictum est cap. 11. num. 19. tenemur scire primò præcepta Decalogi, & de illorum ignorantià differendum est, ut de ignorantià mysteriorum fidei diſseruimus numer. 4.

10. D. Po-

10. D. Poteſt nè in aliquo eſſe ignorantia invincibilis præceptorum Decalogi?

M. Ex dictis n. 8. poteſt in aliquo eſſe invincibilis ignorantia eorum, quæ ſunt fidei; nàm hæc proponuntur, utpotè ſupernaturalia, ex revelatione Dei, quam nos acquirimus audiendo Prædicatores: At præcepta Decalogi nobis innoteſcunt naturæ lumine. Equidem Decalogus fuit Dei lege traditus; verè tamen dici debet renovatus, non primò datus; ejus enim præcepta ſunt naturalia; Deuſque renovavit, non quia nobis nulla eorum eſſet cognitio ex lumine naturæ, ſed quia multùm erat obſcurata. Igitur ex S. Thomâ 1. 2. q. 100. a. 3. præcepta naturæ primò ſunt hæc duo: *Quod tibi vis fieri, feceris alteri*, &, *Quod tibi non vis fieri, nè feceris alteri*. Hæc ſunt principia univerſaliſſima, ex quibus majoris claritatis gratiâ ſunt deducta Decalogi præcepta, etiam ipſa lumine naturæ cognita, & obvia cuilibet ex primâ apprehenſione terminorum. Ex illis principiis Decalogi univerſalibus deducuntur alia minùs univerſalia: verb. gr. diſputabatur ante Concilium Lateranenſe, an Montes Pietaris eſſent liciti; & nonnulli aſſerebant illicitos contrà ſeptimum Decalogi præceptum, conſequentèr volebant hanc univerſalem *Montes Pietatis ſunt illiciti*, deduci ex illo univerſaliori *Non furaberis*. Ex dictis c. 31. n. 7. in delectatione morosà nonnulli volunt explicandum eſſe ſtatum fœminę, alii negant; quare diſputant, an ſit contrà nonum præceptum

naturæ

naturæ lumine cognitum in univerſali. Explicato ita ſtatu quæſtionis, reſpondetur cum S. Thomà citato, quòd præceptorum Decalogi *homo habet à Deo notitiam per ipſum Deum*, & *ſcripta in ratione naturali, quaſi per ſe nota.* De his proptereà dari nequit ignorantia invincibilis. Alia deducuntur ex ipſis, ſed *ſtatìm ex primis principiis communibus cognoſci poſſunt modicà conſideratione*, v. g. uſuram eſſe illicitam, & contrà ſeptimum præceptum, quia eſtò non formalitèr, & expreſsè videatur ibi prohibita, tamen modicà conſideratione, per unum, vel alterum diſcurſum, quem quilibet homo, ut rationalis, ex ſe facilè poteſt elicere, apparet uſura comprehenſa in illo præcepto; & de his neque dari poteſt ignorantia invincibilis; quia per ſe illorum homo facilè poteſt habere notitiam. Alia verò ſunt, *quæ per diligentem inquiſitionem ſapientum inveniũtur convenire rationi* naturali, vel eſſe contrà Decalogum, & horum, etiamſi aliàs prohibita ſint lumine naturæ in præceptis Decalogi, dari poteſt ìgnorantia invincibilis; Exemplo innegabili poſſunt eſſe plures contractus olìm frequentati, quos deinde, ut in ſe uſurarios damnavit Sedes Apoſtolica. Certè hi erant contrà ſeptimum Decalogi præceptum; quod tamen invincibilitèr ignorabant (nec tùnc peccabant) contrahentes, quia illorum notitiam non poterat habere quilibet, ſed uſuraria pravitas innotuit *per diligentem inquiſitionem Sapientum*. Sic ergo habes, de quibus prohibitis lege naturæ, &

de

de quibus dari non possit ignorantia invincibilis. Ut magis instruaris, lege sæpiùs S. Thomam 1. 2. quæst. 94.

11. D. Sunt nè alia universalia juris præcepta, quæ teneamur scire communiter?

M. Præter præcepta naturalia Decalogi, tenemur scire præcepta juris divini promulgata in lege gratiæ, quę sunt circà exercitium trium Virtutum Theologicarum, & circà susceptionem Baptismi, Eucharistiæ, & Pœnitenttæ quoad peccatores, & prætereà singuli, quæ ad suum statum, & officium pertinent.

12. D. Dari nè potest ignorantia invincibilis præceptorum juris divini?

M. Vide dicta n. 8. de articulis fidei; nàm æquè differendum est de illis, & de istis.

13. D. Tenemur nè scire communitèr aliqua præcepta universalia, quæ sint juris humani?

M. Tenemur scire communitèr quinque præcepta Ecclesiæ. S. Carolus adductus c. 11. n. 19. De anno 1656. quæsita fuit Apostolica Sedes, *utrum Missionarii novis Christianis* Sinensibus, *quàm primùm baptizantur, debeant intimare jus positivum, tanquam obligatorium sub mortali, quantùm ad jejunia, festa servare, & confiteri semèl in anno, ac communicare?* Responsum est per sanctam Inquisitionem: *jus positivum Ecclesiasticum, quoad jejunia, observationem festorum, sacramentalem confessionem, & communionem semèl in anno esse à Missionariis notificandum Sinensibus Christianis, ut obligatorium sub*

peccato

peccato mortali: poſſe tamen ſimùl explicare cauſas, propter quas excuſantur &c.

14. D. Darinè poteſt invincibilis ignorantia hujuſmodi præceptorum Eccleſiæ &c.

M. Dari poteſt: cæterùm propter obligationem, quę ineſt fidelibus frequentandi Parochiam, & propter obligationem illa explicandi, quam habent Parochi, an in facti contingentiâ, invincibilis, nec ne, cenſenda ſit ignorantia hujuſmodi, vide dicta n. 8.

15. D. Quæ pluribus numeris huc uſque dicta ſunt, videntur contraria communi adagio Juriſtarum unà voce clamantium, quòd *Ignorantia facti excuſat* à peccato, *non ignorantia Juris*: quod principium ex Philoſopho recipit etiam S. Thomas pluribus locis, & expreſsè 2.2. q. 59. a. 4. ad 1. Porrò nondum huc uſque diſſeruiſti de ignorantiâ facti, ſed juris tantùm.

M. Quòd per S. Thomam detur ignorantia invincibilis alicujus juris naturalis apparet ex dictis n. 11. quòd dari poſſit invincibilis ignorantia juris divini, & excuſans à peccato, apparet ex 2.2. q. 10 a. 1. Et de conſtitutionibus Pontificiis agens quodlib. 1. a. 19. ait: *Si quis neſciat propter negligentiam, non excuſatur à peccato, ſi contrà conſtitutionem Papæ agat: ſi verò aliquis habeat ſufficiens impedimentum, putà, ſi fuit in carcere, vel in terris extraneis, ad quas conſtitutio non pervenit, vel propter aliquod ſimile, talis ignorantia excuſat, ut non peccet contrà conſtitutionem Papæ agens.* Igitur ſunt caſus, in qui-

quibus ignorantia eſt invincibilis, & ſine peccato Ut autem ſciatur, quando, ad differentiam ignorantiæ facti non excuſet ignorantia juris, recole nos dixiſſe n. 1. quòd nomine ignorantiæ venit etiam inadvertentia, & n. 2. quòd in operando facimus ſyllogiſmum, v. g. ut jejunemus, ita ratiocinamur: *In vigiliis eſt jejunandum, hodiè eſt vigilia, ergo hodiè eſt jejunandum*; & ſi comedam ſciens quidèm habitualiter vigiliam S. Bartholomæi, ſed non advertens, neque reflectens, quòd ſit hodiè, ignorantia facti excuſat me à peccato; At ſi advertens, hodiè eſſe vigiliam, non advertens ad primam præmiſſam univerſalem, quòd in vigiliis ſit jejunandum, tùnc ignorantia Juris non excuſat, quia poſſum, & teneor advertere: ſecundò dicitur ignorantia juris non excuſare, quatenùs in foro externo præſumitur potuiſſe habere ſcientiam illorum univerſalium præceptorum, quæ ſuperiores ubi volunt eſſe univerſalia, curant ſufficientèr promulgari; & Confeſſor in foro conſcientiæ, antequam excuſet pœnitentem à peccato, diligentiſſimè debet inquirere, an potuerit, vel immediatè, vel mediatè ſcientiam illorum habere juxtà ea, quæ dicta ſunt num. 8. Vide cap. 19. num. 45.

16. D. Deſcendiſti pedetentìm ad ignorantiam facti, ſeù præmiſſæ particularis, præcedentis operationem, nempè, in dato ſyllogiſmo. *Hodiè eſt Vigilia*; quæro igitur, an ignorantia hujus præmiſſæ totalitèr excuſet à peccato?

M. Mul-

M. Multiplex dari poteſt ignorantia facti, ſive iſtius præmiſſæ. Videatur S. Thomas 1.2. q 6. a.8. & q. 76. a. 3. & 4. Singularum notitia non eſt neceſſaria Confeſſori: ſufficit illum ſcire quòd tùnc ignorantia, vel juris, vel facti (in iis, in quibus extat ignorantia invincibilis) excuſat à peccato, cùm ex eà provenit actus, & ſine illà non proveniret: v.g. non pecco comedens ex ignorantià Vigiliæ, ſi ſum ita diſpoſitus, ut ſciens vigiliam, non comederem. Et hanc ignorantiam S. Thomas vocat antecedentem.

17. D. Vellem mihi decidi caſum, de quo aliàs multi diſputant: Confeſſarius agnoſcit pœnitentem invincibilitèr ignorare, v.g. impedimentum dirimens, quod ſibi intercedit cùm fœminà, quam ſibi conjunxit invalidè ob tale impedimentum; agnoſcit prætereà illum ita diſpoſitum, ut perſeveraret in ſtatu fornicario ſciens tale impedimentum; Confeſſor, ut mihi videtur, deberet illum relinquere in tali ignorantiâ, in quà non peccat, potiùs, quàm patefacere impedimentum dirimens, quo patefacto peccaret; & probo id ex reſolutione, quam dicitur dediſſe Sacra Pœnitentiaria: Annis elapſis dicitur filius inhoneſto amore ſuccenſus cognoviſſe matrem viduam, quæ concepit, & peperit fœminam. Graviſſimi inceſtus vix commiſſi horrore perculſus aufúgit è domo filius peregrinus in varias regiones per annos circiter quindecim; quo tempore mater peperit, & filiam in domo educavit. Hujus non modò

na-

nativitatem, ſed neque conceptum ſuſpicans filius, ubi redux vidit cum matre, quæſivit, quænam Virgo eſſet: Reſpondit mater fuiſſe ſibi aſſumptam in ſolamen ſuæ ſolitudinis; & ita ignorans filius invincibilitèr, quæ eſſet, proceſſu temporis exardeſcens in ejus amore, ſibi deſpondit factus jàm pater, frater, & maritus, matre crimen omnimodis tacente; ſed tandèm agitata ſcrupulis, poſt matrimonium celebratum in facie Eccleſiæ, & conſumatum, aperuit negotium Confeſſario, qui conſulens Sacram Pœnitentiariam, obtinuit reſcriptum, ut relinqueret conjuges in bonà fide.

M. Agis perſonam Magiſtri, quando in confirmationem tuorum dictorum affers exempla, & probationes ita apparentes, ut certè tales non adducantur ab omnibus. Ut ordinatim reſpondeam dubio, quod multum poterit inſtruere præparantem ſe ad confeſſiones: dico primò, non ita facilè credendum in facto, quòd ille caſus contigerit, nec deciſioni, quæ dicitur emanaſſe: etenim de ordine Urbani VIII. nulla fides eſt adhibenda deciſionibus Sacrarum Congregationum, quæ non authenticè conſtent, quantò minùs eſt habenda deciſioni Pœnitentiariæ, apud quam nullum ſervatur regiſtrum. Sed Theologus, exemplo S. Thomæ ſuppl. q. 71. a. 5. ad 5. de animâ Trajani, ſæpè ſupponit factum minùs authenticum, ut afferat rationem univerſalem pro ſimilibus, quæ poſſunt contingere; dico igitur

ſe-

ſecundò (ſi verum eſt factum) Sacrum Tribunal proceſſiſſe rationabilitèr: quia matrimonium erat contractum in facie Eccleſiæ, adeò legitimè, ut cenſuris poſſet compellere conjuges ad illud, contrà quod nihil valere poterat unicum teſtimonium matris, infamiſſimæ (ac ideò repellendæ) ſi proderet ſuam turpitudinem adeò horrendam. Cæterùm ſi ſupponamus, quòd impedimentum potuiſſet legitimè detegi, aliud conſultum fuiſſet, eſtò prævideretur conjuges velle in eo ſtatu perſeverare. Atque ita debet procedere Confeſſor, agens non modò Judicis, ſed & Doctoris officium: qui ex charitate docet, non tenetur ad correctionem, niſi probabilitèr ſperet fructum; At qui ex officio, ſeù ex juſtitiâ docet, tenetur implere ſuum munus. Ignorantiam, de quâ in dubio, ego neque invincibilem, neque antecedentem judico: Non invincibilem: quia poteſt vinci facilè per Confeſſarium, cujus conſilio debet ſtare: Non antecedentem, quia ex num. 16. antecedens eſt ita cauſa actus, ut eſſet diſpoſitus illum relinquere, ſi ſciret eſſe peccatum.

18. D. Contrà quam virtutem agit, qui peccat ex ignorantiâ vincibili?

M. Quando ignorantia ipſa eſt peccatum, illa tùnc eſt contrà donum ſcientiæ ex dictis n. 4. At ſi loquamur de ipſo peccato per ignorantiam commiſſo, ſpectat ad eandem ſpeciem, cujus eſt actus commiſſus cum ſcientiâ, & talem ſpeciem cũ numero, & circumſtãtiis debet explicare pœnitens.

19. D. Ex

19. D. Ex dictis c.34. n.8. Peccatum contrà donum est bestiale, inhumanum &c. Ignorantia autem non videtur adeò grave peccatum?

M. Ignorantia vincibilis necessariorum est omninò inhumana: etenim natura hominis habet apprehendere prima principia: nec homo est, qui illa ignorat ex apprehensione purà terminorum. Estò enim articuli fidei sint supernaturales, tamen proponuntur modo humano, tanquàm prima principia, ut non indigeamus discursu ad illos.

CAPUT XXXVI.

An peccatum aliàs mortale, quia contrà legem, reddi possit veniale, & quomodo?

1. EX Rituali adducto cap. 7. n 6. Confessor constituitur *à Deo Minister divinæ justitiæ simùl, & misericordiæ, ut tanquàm arbiter inter Deum, & homines honori divino, & animarum saluti consulat.* Porrò Arbiter, seù Judex non debet declinare ad dexterã, restringendo conscientias, neque ad siniſtram, relaxando, sed judicare, quod justum est, habendo præ oculis, quod S. Thomas 2.2. q. 60. a. 5. commendat cuicunque Judici, ut nunquam judicet ex suo arbitratu, sed semper secundum leges, & rationem petitam è visceribus legis; Propterea totiès commendavimus in hoc opere, sed nunquam satis inculcavi-

mus, ut Confessor quòad leges, persæpè recoleret Tridentinum, ordinationes Pontificias, constitutiones suæ Diœcesis &c.; quòad rationem verò Doctores probatos, præcipuè S. Thomam; etenim si id facit Judex unius diurnæ mercedis inter famulum, & dominum, quantò magis faciat Arbiter æternæ beatitudinis inter hominem, & Deum.

2. Ex S. Thomâ 2. 2. q. 60. a. 4. ad 2. audiens confessiones potest exercere triplex judicium; primùm de ipsis actionibus, utrùm sint peccata, nec nè: secundum de pœnitentibus, utrùm peccaverint: tertium veluti Medicus applicando remedia efficaciſſima ad tollendum peccatum. In singulis procedet juxtà doctrinam Angelici: etenim ad medendum efficacitèr pœnitenti, absolvet pœnitentem, estò non sit certus, quòd peccaverit mortalitèr; estò propter varias Doctorum opiniones, indubiè non possit affirmare talem actionem esse peccatum, candidè tamen consulet, ut teneat certum, dimittat incertum, exemplo Medici corporalis, qui nunquam consulit remedia inter Doctores controversa, utrùm sint salubria, sed sempèr præcipit abstinere ab his. In judicio de Pœnitente; utrùm peccaverit, inclinabit sempèr, quantum fieri potest, omnibus consideratis, ut potiùs bonum, quàm ut malum judicet Pœnitentem. In judicio autem de ipsis actibus, quos accusat, judicabit actionem, qualis sibi ex confessione sincerà pœnitentis apparet, illius substantià in se

Theo-

Theologicè consideratà, ad quod necessaria est quanta maxima scientia, atque prudentia petita tùm assiduis ad Deum precibus, tùm studio probatorum Auctorum, tùm consilio peritiorum, præcipuè Episcoporum, quos Deus dedit Ecclesiæ suæ Doctores; quare mala judicabit ut mala, bona, ut bona, dubia, ut dubia, omnibus hìc, & nùnc justitiæ sanctuariique semper lance ponderatis.

3. Hìnc vides, quàm necessarium sit præparanti se ad confessiones in praxi audiendas præsens caput; etenim, ad munus Judicis, Medici, & Doctoris ritè obeundum in praxi, non sufficit scire, an in se, seù ex genere suo, actio aliqua sit peccatum, sed requiritur scire, an hìc, & nùnc, ut facta est à tali pœnitente, sit peccatum. Ut autem Confessor id judicet, priùs in universali debet habere principia, ex quibus eliciat, quomodo peccatum mortale reddatur veniale: nàm, ut deducitur ex c. 35. n. 2. judicium hoc, quo Confessor judicat hìc, & nùnc me peccasse mortalitèr, subsequi debet ad syllogismum confectum ex alterà præmissà universali, & alterà particulari: *Ubi peccatum processit cum omnibus requisitis, ut sit mortale, fuit, verè mortale, sed hoc ita processit, ergo* &c. primam igitur præmissam debet scire in universali, ut deinde, quoad secundam, applicet illa huic actioni, & videat, nùm concurrant.

4. D. Optimè differis; & video id maximè necessarium præparanti se ad confessiones; & credo,

do, quòd universalitèr loquaris non solùm de peccato ex genere suo mortali, sed etiam de peccato, quod est mortale proptèr prohibitionem legis positivæ. Igitur dà mihi regulas, unde possim discernere, quomodò unum peccatum aliàs mortale, reddatur veniale?

M. Primò omnium, ignorantia (sive sit nescientia, sive inadvertentia) ut dictum est c. præcedenti, actionem de se peccaminosam mortalitèr potest reddere nullatenùs peccaminosam, neque venialitèr, dummodò nescientia sit invincibilis, qualis dicta est ibi, & paritèr inadvertentia; tales sunt motus primò primi: quòd si adsit aliqua advertentia, sed semiplena, & non perfecta, qualis plerumque est in semivigilantibus, tùnc dicuntur motus secundò primi, & actio aliàs peccaminosa mortalitèr, tùnc redditur veniale peccatum ex inadvertentiâ non plenâ. Contingit hoc sæpissimè in peccatis contrà castitatem, apud viros timoratæ conscientiæ, quibus fervet sanguis, adeò ut sint aliqualitèr negligentes in repellendis hujusmodi cogitationibus; cum tamen perfectè advertunt, mori malunt, quàm fædari. Cum his esse debet summè charitativus Confessor, ut illos patientèr audiat, inducatque sincerè totam aperire conscientiam. Hic enim morbus, præsertìm in junioribus, sanatur primò per gratiam sacramentalem Pœnitentiæ sacramenti, & deinde per spirituales alias medicinas; quare per Confessarium prudentem, ac discretum, confortandi sunt, ut

suam

ſuam conſcientiam candidè aperiant, accuſantes ſe tùm in genere, tùm in ſpecie, de quàlibet circumſtantià, & proponentes majorem cautelam in poſterum. Pariformitèr differendum de reliquis. S. Thomas 1. 2. q. 88. a. 6.

5. D. Quia dixiſti *primò omnium*: iſta particula videtur habere ordinem ad ſecundum: quare crediderim præter ignorantiam, dari alias cauſas, ex quibus peccatum de ſe mortale reddatur veniale?

M. Optimè differis: quare ſecundò peccatum de ſe mortale reddi poteſt veniale ex parvitate materiæ. Circà materiæ parvitatem maximè debet inſtrui præparans ſe ad confeſſiones, quia ſæpiſſimè ſuper illà fideles interrogant Confeſſarium, & quia plurimi caſus contingunt, in quibus pœnitentes prætendunt excuſari à mortali ob parvitatem materiæ, quando non habet locum; è contrà in aliis habet locum, & debent excuſari. Quando Theologicè tractandum eſſet hoc punctum, certè longior evaderem, nèc facilè poſſem percipi ab iis præparantibus ſe ad confeſſiones, qui non feciſſent grandes progreſſus in Theologià Scholaſticà, Adde, quòd S. Thomas nunquam ſpecialitèr agit de hoc puncto: nam tùnc temporis cognoſcentes actum aliquem de ſe eſſe prohibitum, accuſabant illum in confeſſione pœnitentes, cum firmo propoſito non ampliùs committendi venialia hujuſmodi procedentia ex plenà deliberatione. Igitur in hoc itinere non habens pro duce, brevem,

& claram S. Doctoris methodum, curans eſſe brevis, obſcurus fierem; quare, ut magis me componam captui multitudinis; omiſsà ratione fundamentali, referam, quod acceptatur communitèr in hac materià: In moralibus, multa ſecuriùs deciduntur ex communi conſenſu, quàm ex ſubtiliori ratione, quando maximè conſenſus eſt fidelium timoratorum, quos debemus credere à Deo non deſerendos in viâ ſalutis. De ratione autem, etiam inter viros magni nominis, atque pietatis non adeò verſatos in ſcholis, eſt illud adagium, nonnullos uti ratione, ſicuti Sutores utuntur pelle, quam dentibus extendunt, quouſque ſufficiat calceo formando; & ita rationem Confeſſor aliquando nimis indulgens pœnitenti, ſuà ſpeculatione extendit, quouſque illius conſcientiam efformet juxtà ſuas inclinationes.

6. D. Utinam hæc nunquam in praxi contigiſſent, ſed unuſquiſque conſulat ſuam conſcientiam; interìm, nè ſcientiæ neceſſariæ defectu, exponam me huic periculo, dic mihi, in quibus peccatis de ſe mortalibus dari poſſit parvitas materiæ, cujus ratione reddantur venialia; id enim ubi agnovero, aſſiduis orationibus Deum rogabo, nè in Confeſſionali permittat me declinare à viâ rectà, timore perdendi pœnitentem nobilem, aut nimio amore complacendi eidem?

M. Ubi tota deformitas reperitur ſive in parvo, ſive in magno, hujuſmodi peccata nunquam redduntur venialia ratione parvitatis materiæ. ubi

verò

verò in parvo minor est deformitas, tùnc ratione parvitatis materiæ peccatum aliàs de se mortale redditur veniale. Regula hæc paucis verbis comprehensa est generalissima, nihilominùs illam fortè quilibet non facilè percipiet absque subsidio exemplorum particularium. Igitur primò loquamur de peccatis, quæ ex genere suo, & ab intrinseco sunt mortalia. Cap. 34. n. 5. audisti quatuordecim virtutes ibi enumeratas (quas nùnc relege) obligare nos sub mortali: quare peccata illis opposita ex genere suo sunt mortalia. Ut autem videas, quæ ex illis peccatis non admittant parvitatem materię, applicà prędictam regulam. Prima Virtus est Fides innixa summæ veracitati Dei loquentis Ecclesiæ Catholicæ, & per hanc nobis. Peccata interna fidei opposita non admittunt parvitatem materiæ: si enim discredis canem Tobiæ movisse caudam, jàm tollis summam veracitatem Dei, & consequentèr totum Deum, qui non potest esse Deus, nisi in omnibus, & summè sit verax. Eodem modo nõ datur parvitas materiæ in peccatis contrà Spẽ, & Charitatem Dei. Omnia ferè peccata contrà charitatem proximi admittunt parvitatem materiæ. Possum v. g. per odium velle malum proximi, aut tristari de levi ejus bono. In hoc levi odio non reperitur tota deformitas, ac in odio gravi; nàm amicitia, quam intendit charitas, non rumpitur, per hoc, quòd levitèr contristem amicum. Aliqua peccata religioni opposita admittunt, alia non admittunt parvitatem materiæ. Peccata con-

trà quamcumque juſtitiam admittunt parvitatem materiæ, ſicut etiam peccata oppoſita Pietati, Obedientiæ, Obſervantiæ, Sobrietati, & Humilitati. Peccata autem oppoſita Caſtitati non admittunt parvitatem materiæ, ſi ſint plenè deliberata: Poſſum quidèm intenſiùs, vel remiſſiùs delectari: cæterùm in actu intenſo, & remiſſo eſt tota delectatio, quam prohibet Caſtitas. Quòd ſi hæc ratio generalis non tibi plenè ſatisfaciat, memento me jàm dixiſſe in hoc magis me adhæſurum communi ſenſui, quàm rationi, & pro communi ſenſu negante parvitatem materiæ in peccatis contrà Caſtitatem, ſufficiat tibi, quòd inclyta Societas Jeſu ferax virorum ſummè excellentium, & in doctrinà, & in praxi audiendi confeſſiones, ſub excommunicatione prohibuit omnibus ſuis docere parvitatem materiæ in hujuſmodi peccatis, vel ad praxim reducere opinionem, quæ admittit.

7. D. Si enumerares ſingula peccata, quæ non admittunt materiæ parvitatem, ego illa memoritèr addiſcerem, ad quæ reflectens in Confeſſionali, ſtatìm judicare poſſem de gravitate peccati?

M. Commodior locus id explicandi erit, cùm agemus in particulari de ſingulis peccatis: quare ubi, explicatis virtutibus, enumerabimus ſingula peccata illis oppoſita, dicetur etiam, quæ admittant, vel non admittant parvitatem materiæ.

8. D. Dixiſti de peccatis, quæ ex genere ſuo, & ab intrinſeco ſunt mortalia, quæro nùnc, an admittant parvitatem materiæ omnia peccata, quæ

quæ sunt talia proptèr prohibitionem Ecclesiæ.

M. Præceptum Ecclesię affirmativum ordinariè admittit parvitatem materiæ, si non sit in significationem, vel si ejus transgressio non involvat contemptum præcepti, quod involvitur, quando res præcepta debet poni per virtutem Obedientiæ. Ecclesia præcipit Sacerdoti apponere aquam in Calice ob significationem adductam in *Instructione pro ordinandis* c. 39. n. 38., & quanquàm debeat apponi aquæ gutta, peccatur mortaliter transgrediendo præceptum, quia perit tota significatio non apponendo. Vide n. 6. Paritèr sumere, vel semèl tabachum in Ecclesia S. Petri est mortale peccatum, quia prohibitum sub excommunicatione, quæ ex dictis c. 17. n. 14. infertur solùm per contumacià, & contemptu. Præcepta negativa Ecclesiæ sunt pauciſſima. Extat præceptum negativum jejunii naturalis quòad communionem. In hoc omnes conveniunt non dari parvitatem materiæ. Igitur estò biberis unam aquæ guttam, peccas mortalitèr, si communices. Extat præceptum negativum circà cibos Paschales in jejuniis. Authores dissident, an hoc admittat parvitatem materiæ, ita ut à mortali excusetur, qui comederet advertentèr sine ullà necessitate, aut utilitate filum carnis. In hoc dissidio tu juxtà nostrum principium, si quis comedisset, curà suavitèr, ut subiiciat clavibus hoc peccatum qualecunque sit; & quòad futurum, hortare, ut neque illud filum comedat.

9. D. Quę

9. D. Quæ dicetur materiæ parvitas, ratione cujus excusabitur quis à peccato mortali?

M. Sacra Congregatio Interpres Tridentini, referente Fagnano in cap. Nulli, de reb. Eccl. non alien. n. 24. respondit non esse tutum definire, quę sint res parvæ; quòd si non est tutum respectu Congregationis habentis authoritatem Apostolicam, multò minus erit tutum respectu simplicis Theologi proferentis non authoritativum, sed tantùm doctrinale judicium, quod in omnibus debet sequi authoritativum Sedis Apostolicę, maximè in hoc loco, ubi generalitèr loquimur; cum materiæ quantitas esse possit parva in uno genere, quæ magna erit respectu alterius.

CAPUT XXXVII.

An peccatum de se veniale, reddi possit mortale.

1. EX dictis c. 36. n. 1. Confessor constituitur Arbiter inter Deum, & homines, ut honori divino, & animarum saluti consulat; & quidèm saluti animarum consulit, si non aggravet pœnitentes constituendo reos peccati mortalis eos, qui vel nihil, vel tantùm venialitèr peccarunt; è contrà consulit honori divino, si declaret reos peccati mortalis, qui credunt se tantùm venialitèr peccasse, cum re verà peccaverint mortalitèr, quod multotiès potest contingere consi-

deranti

deranti peccatum in se, & absque ullà ratione circumstantiarum annexarum; videatur S. Thomas 1.2.q.73.a.7.8.& 9.& q.88.a.4.& 5.

2. D. Ex quot capitibus peccatum aliàs de se veniale, potest reddi, & fieri mortale?

M. Ex pluribus, ratione illarum, circunstantiarum.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

per circumstantiam *quis* offendens: primò: si ex conscientià erroneà, operans credat esse mortale, quod est veniale: secundò: si ex conscientià dubià dubitet esse mortale, quod est veniale tantùm: tertiò: per circumstantiam *quis* offensus, si ratione personæ offensę, injuria de se levis reddatur gravis: quartò: si per circumstantiam *quid*, sequatur grave nocumentum ex tali actione: quintò: per circumstantiam *Ubi*, si talis actio de se levitèr peccaminosa, fiat grave peccatum ratione loci: sextò: per circumstantiam, *quibus auxiliis*, si utamur mediis sub mortali prohibitis: septimò: per circunstantiam *Cur*, si operemur illud ex fine gravitèr prohibito: octavò: ex circumstantià *quomodo* si fiat modo gravitèr prohibito: nonò: ex circumstantià *quando*, si fieret in tempore; quo gravitèr prohiberetur; quæ prohibitio non extat nùnc.

3. D. Explicà mihi magis in particulari singula capita; & primò quidèm conscientiam erroneam?

M. Peccaret mortalitèr, qui committeret aliquod

quod peccatum veniale, certò ſibi perſuadens illud eſſe mortale; nàm opus tale redditur, quale judicatur ab intellectu operantis: quæ ratio eſt univerſaliſſima, quare peccaret etiam mortalitèr, ſi id crederet de actione indifferenti, vel ampliùs de actione, quæ aliàs de ſe eſſet bona,

4. D. Explicà mihi ſecundum caput, nempè conſcientiam dubiam?

M. Eodem modo, & ob eandem rationem univerſalem, peccaret mortalitèr, ſi dubitaret, nùm actio illa prohibeatur ſub mortali; nàm *qui amat periculum, peribit in illo* Eccl. 3. Et ob hanc rationem peccaret mortalitèr, ſi dubitaret id de actione indifferenti, vel aliàs bonà.

5. D. Explicà tertium caput, vi cujus veniale reddi pot eſt mortale, ratione perſonæ offenſæ?

M. Perſona offenſa poteſt eſſe tantæ dignitatis, ut injuria, quæ reſpectu alliorum eſſet venialis, reſpectu illius ſit mortalis. Maledicentià, quæ ſine interno deſiderio illius mali jacta in alium quemcumque, de ſe eſt venialis, ſi à filio jaciatur in patrem, eſt irreverentia gravis, & contrà pietatem:

6. D. Explicà quartum caput ex circumſtantià *quid* ratione nocumenti?

M. Hoc eſt clarum in furto, v. g. acus, quod ratione parvitatis materiæ eſt veniale; pecco tamen mortaliter, ſi furor prævidens ex illius uſu, ſuſtentandam hodiè familiam integram. Ita peccat mortalitèr Religioſus, qui ſuorum collegarum leves defectus revelat, quando prævidet, vel prævi-

dere

dere poteſt ex tali revelatione proventura gravia, & longa diſſidia in totà communitate.

7. D. Explicà quintum caput ex circumſtantià *Ubi*.

M. Communitèr dicunt, quòd actus matrimonialis exercitus abſque urgenti neceſſitate in Eccleſiâ, ſit peccatum mortale, quia ſub mortali Eccleſia præcepit hunc actum religionis ergà loca ſacra, ut, ſcilicet, fideles in illis abſtinerent à tali actu.

8. D. Explicà ſextum caput ex circumſtantià *quibus auxiliis?*

M. Exemplum non eſt ita obvium: finge tamen ſub mortali prohibitum FratribusMinoribus vehi rheda, ſi ego velim cum illis vehi abſque neceſſitate, hæc actio mihi indifferens, redditur peccatum mortale ob media, quibus utor, ut cooperans alieno mortali peccato.

9. D. Explicà mihi ſeptimum caput, quando ex circumſtantià *Cur* veniale reddatur mortale?

M. Omne peccatum veniale, & quælibet actio de ſe indifferens, imò bona ex naturà ſuà, erit peccatum mortale, ſi operans in eà conſtituat finem ultimum, qui conſtituendus eſt ſolùm in actibus patriæ tanquam illi, quibus conſequimur (quilibet ex illis ſuo modo, & ordine) Deum finem ultimum omnium.

10. D. Explicà octavum caput, quando ex circumſtantià *quomodo* veniale reddatur mortale?

M. Peccatum veniale, ſicut & alia quælibet actio,

actio, si fiat ex contemptu, redditur mortale peccatum, in quo contemptu non datur parvitas materiæ. Porrò S. Thomas 2. 2. q. 186. a. 9. ad 3. explicat, quid sit peccare ex contemptu, inquiens: *Tùnc transgreditur ex contemptu, quando voluntas renuit subjici ordinationi legis; & ex hoc procedit ad faciendum contrà legem: quando autem propter particularem causam, putà, concupiscentiam, vel iram, inducitur ad aliquid faciendum contrà legem, non peccat ex contemptu, etiamsi frequentèr ex eâdem causà, vel simili peccatum iteret: sicut & Augustinus dicit..... Frequentia tamen peccati dispositivè inducit ad contemptum.* Ex prioribus verbis agnosce, quando peccatum sit ex contemptu: ex ultimis sume argumentum, ut absterreas pœnitentem à frequentatione peccati.

11. Quæ omnia sunt particulariter explicata in gratiam Confessoris ordinarii; nàm Theologo sufficiebat innuere generalitèr, quòd veniale, & mortale, utpotè summo genere diversa, nunquam possunt convenire, sed dicitur mortale reddi veniale, vel è contrà veniale reddi mortale, quatenùs illa actio, quæ secundùm se considerata est venialis, per aliquam causam, vel circumstantiam constituitur sub aliquà specie, cujus actus nobis prohibentur sub mortali, & è contrà loquere, quando ex capite præcedenti mortale redditur veniale.

CA-

CAPUT XXXVIII.

De Legibus in generali.

1. SAnctus Thomas postquam consideravit actus humanos, bonos, & malos, in se, & secundum omnia sua principia intrinseca, ordine scientifico procedit ad considerandа bonorum principia extrinseca, quorum aliud est conjunctum ipsi voluntati, nempè, intellectus per leges regulans, & dirigens voluntatem: aliud est omninò separatum, nempè, Deus per suam gratiam intrinsecè movens ipsam voluntatem, non modò faciens opera bona cùm ipsà voluntate, sed faciens illam facere, juxtà illud Ezech. 36. *faciam, ut in præceptis meis ambuletis*. Circà secundum hoc principium delibavimus aliquid c. 33. n. 4. quantum erat necessarium præparanti se ad confessiones, ut sciret gratiam Dei: nèc plura judicavimus addenda: nàm cętera spectant ad Theologum, qui cùm hæreticis congrediatur, non ad Confessorem ordinarium. Super primo principio extrinseco, seù super intellectu voluntatem dirigente per leges, dèbet magis informari Confessor ex duplici capite: primò: quia Deus quotidiè Confessori dicit, quod olim c. 1. dixit Jeremiæ: *Ecce constitui te supèr Gentes, ut evellas, & destruas, ædifices, & plantes.* Debet ergo plantare virtutes, quas nunquam plantabit, nisi sciat leges, ex quarum directione homo

lecta sub his terminis est verissima, concludit mortem inimici, sub aliis terminis, nempè, ut inferendam à se ipso, atque ita ex malà operatione rationis dirigitur ad malam operationem voluntatis. Quæ notata sunt (clarè, quantùm fieri potuit) pro plenà instructione præparantis se ad confessiones: etenim sciens ordinem, & processum actuum interiorum, omnemque motum voluntatis dirigi per syllogismum, agnoscet principale suum munus esse, ut rectificet intellectum pœnitentis, curando, ut percipiat præmissas, in suis terminis, & restrictionibus, non ampliando &c., quod continget in dato casu, si ostendat, quid competat justitiæ Vindicativæ, quà Virtus est, & quà talis virtus est, scilicet, non exercere proprium actum externum per se ipsum.

3. Sed hæc sunt dicta ratione particularis exempli propositi, reducendo ad generalia; cùm duplex præmissa constituat syllogismum, quo voluntas dirigitur ad operandum; altera universalis, & altera particularis: præparans se ad confessiones videt operantem indigere duplici cognitione practicà, quarum altera sit universalis, & altera particularis. Prima dicitur actus Syndereſis, & secunda dicitur Conscientia. Majoris claritatis gratià, de utràque differendum est distinctè, & in præsenti quidem capite differetur de Syndereſi; in sequenti verò de ipsà Conscientià, & ita præparans se ad confessiones habebit quidquid ex parte intellectus est necessarium, ut voluntas dirigatur ad operà-

tiones bonas; & præterea facilè cognoſcet, quando pœnitens peccet non ſequendo directionem intellectus.

4. De Syndereſi agit S. Thomas 1.p.q. 79 a. 12. & illam vocat habitum naturalem primorum principiorum practicabilium. Intellectus hominis eſt multùm diverſus ab Angelico: Deus creavit Angelos, & illis indidit ſpecies rerum. Intellectus autem hominis eſt in ſui creatione tanquàm tabula raſa, nec ullas tùnc habet ſpecies à Deo, quibus poſſit cognoſcere aliquid; ſed, ubi cognoſcit ſucceſſivè ſenſibilia per ſenſus, tùnc utitur ſpeciebus materialibus, ſeù phantaſmatibus relictis ab objecto ſenſibili, & ſimùl cum his per intellectum agentem efformat ſpecies ſpirituales, adjutorio quarum informatur intellectus, qui dicitur poſſibilis, ut valeat elicere cognitionem ſpiritualem, etiam de objectis inſenſibilibus, & ſpiritualibus, etiam de Deo: quare infans primò videt matrem: ſecundò eam cognoſcit per ſenſus internos: tertiò intellectus agens infantis cum illis ſpeciebus ſenſibilibus efformat ſpecies ſpirituales de matre; ut eſt homo: quartò intellectus poſſibilis cognoſcit hominem. Porrò aliqua ſunt, quæ ex ſolà apprehenſione terminorum cognoſcit ſtatìm eſſe talia; alia verò ut talia eſſe cognoſcat, indiget edoceri magìs vel minùs, ſecundùm quod ſunt magìs, vel minùs obſcura: longo tempore addiſcit ſcientias: At hoc ptincipium: *omne totum eſt majus ſuà parte* cognoſcit eſſe verum ſtatìm, ac explicantur termi-

ni

ni *totum*, & *pars*, & frequentando actus, quibus affirmet totum esse majus suâ parte, acquirit facilitatem, seù habitum ad actus similes. Hic autem habitus judicandi de principiis universalibus speculativis naturalitèr notis ex solà apprehensione terminorum vocatur *Intellectus* eodem nomine, quo ipsa potentia intellectiva. Sicut homo cognoscit ex solâ apprehensione terminorum principia uuiversalia speculativa, ita naturalitèr ex solâ apprehensione terminorum, cognoscit, & judicat de hoc principio universali practico *Non occides*, & de reliquis Decalogi præceptis, quæ in operabili sunt principia universalia, & frequentando hujusmodi actus, acquirit facilitatem, seù habitum ad eliciendos similes actus; qui habitus vocatur *Synderesis*.

5. Ex legibus aliæ sunt naturales, aliæ divinæ, & aliæ humanæ. Ex quàlibet harum formari potest prima universalis præmissà. Ex naturali formatur in hoc syllogismo: *Non est occidendum, sed hæc actio esset occisio, ergo* &c. Ex divinà in hoc: *In articulo mortis est mihi communicandum, sed nùnc mihi imminet articulus mortis, ergo* &c. Ex humanà in hoc: *Pro impetrandà gratiâ, vel justitiâ à Sede Apostolicâ, nihil est conferendum Mediatoribus, sed hìc est Mediator, ergo nihil huic est conferendum*. Sicut ergo sunt plures leges, ita plures habitus inclinantes ad cognitionem talium legum. Habitus inclinans ad leges naturales dicitur Synderesis, illiusque actus est prima præmissa. Habitus inclinans

nans ad leges divinas, est secundum donum Spiritus Sancti, qui dicitur *Intellectus*, habens simùl judicare de mysteriis Fidei speculativis, & de legibus divinis practicis. S. Thomas 2. 2. quæst. 8. a. 3. Habitus autem inclinans ad leges humanas, dicitur Jurisprudentia, & aliqui eorum actus imperfecti, ut est actus de unà vel alterà lege, potest haberi sine ipsis habitibus, juxtà dicta c. 33. n. 2. Præparans se ad confessiones, ut ritè possit efformare has præmissas universales, debet scire saltèm in confuso leges ipsas principaliores, quarum notitiam nullatenùs deserat, estò sibi videatur difficile, imò impossibile penetrare decursum nostrorum syllogismorum in operando, qui sanè non ita facile percipietur, tùm quia est de actibus internis, tùm quia nec per umbram attingitur vel in scholis, vel in libris, sed quàsi marcescit inter opera S. Thomæ.

Quando igitur sibi videatur imperceptibilis iste decursus, eo omisso, percipiat, quantum potest, sequentia de legibus.

6. D. Quia habitus, & actus ultimò specificantur ab objectis, ideò præparans se ad confessiones, debet optimè scire, quid sit lex, cujus cognitio requiritur ad formandum illum syllogismum: benè enim voluntas operabitur, si benè syllogizet?

M. Lex à S. Thomà 1. 2. q. 90. art. 4. dicitur: *Ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo, qui curam habet communitatis, promulgata*. Singulas autem definitionis particulas vide mirabilitèr explicatas

catas in articulis præcedentibus. Legem naturalem promulgat Deus in corde hominum juxtà dicta cap. 35. n. 10. Legem divinam Christus promulgavit in Evangelio, & per Prædicatores deducitur in cognitionem gentium, adeò ut non obligentur, qui ejus notitiam habere non possunt juxtà dicta cap. 35. n. 8. legem humanam promulgant Principes, servatà per quemlibet formà promulgandi, quam leges antiquæ, vel consuetudo, vel ipsa voluntas Principis sanxerunt; Summus Pontifex persæpè declarat, suas leges promulgari sufficientèr ex hoc, quòd sint affixæ in locis consuetis Urbis, estò non publicentur in singulis Provinciis. Alias vult, ut obligent, promulgari in singulis Provinciis. Hoc secundum consuevere Principes temporales. Ubi Pœnitens excuset transgressionem legis ex defectu promulgationis, examinet ante omnia, ipsius legis verba: nàm ex ejus tenore discernet, quæ promulgatio requiratur; ubi rem clarè non exprimit lex, consulat intelligentiam illi datam per Doctores, & alios Judices, præsertìm in Judiciis, & in ipsà Metropoli Principis, in cujus facie lex uno modo intellecta censetur esse juxtà mentem Principis. Ubi verò his omnibus consideratis, res est dubia, Confessor ex se nihil decidat, quia ejus est legem interprætari, cujus est condere. Confessor circà promulgationem sæpè consulitur de casu sequenti, vel simili. Mercator scit à Principe diminuendum esse pretium tritici v. g. (Idem dic de valore pecu-

niæ &c.) per legem cràs promulgandam ſuper diminutione pretii. Quà determinatione cognità Mercator petit, nùm ante promulgationem poſſit vendere triticum pretio currenti. Confeſſor autem reſpondeat non peccare contrà juſtitiam, licet in aliquo caſu poſſit peccare contrà charitatem. Hæc pro praxi videntur ſcienda Confeſſori ordinario circà particulas in definitione legis adductas. De reliquis nihil eſt ſpeciale pro hujuſmodi Confeſſario.

7. D. Sunt nè idem omninò lex, & præceptum?

M. Ex S. Thomâ 1. 2. q. 90. art. 1. ad 1. non ſunt idem omninò; nàm lex fit communitèr pluribus: præceptum verò applicat legem communem huic ſingulari, & ideò præceptum imponi poteſt etiam uni, ita tamen, quòd huic uni detur ad bonum commune. Igitur nec ipſa præcepta imponi poſſunt particularibus, niſi per ordinem ad bonum commune; quia imponuntur per authoritatem Superioris, & Superior eſt quis, ut ſervet bonum commune. Si aliquid ordinetur pluribus, ita ut in poſterum ſinguli debeant dirigi per illud, talis ordinatio tùnc erit ſimùl lex, & præceptum. Hoc modo ſe habet Decalogus, lex divina de Baptiſmo, Euchariſtiâ, & Pœnitentiâ, nec non quinque præcepta Eccleſiæ.

8. D. Habent nè leges vim obligandi in conſcientiâ?

M. Super hac queſtione implentur volumnia, diſtin-

diſtinguuntque Authores legem in realem, quæ aliquid ordinat: pœnalem, quæ conſtituit: *fiat hoc ſub tali pœnâ:* & mixtam, quæ conſtituit: *fiat hoc, & qui non fecerit, mulctetur tali pœnâ.* Præparans ſe ad confeſſiones ſciat omnem legem Principis juſtam poſſe in conſcientiâ obligare ſubditos: Ità deducitur ex propoſitione 28. damnatâ per Alexandrum VII.; & ex S. Thomâ q. 96 art. 4. etiam legem pœnalem: Cùm id Princeps poſſit, videndum eſt, an hìc, & nùnc voluerit: etenim aliquandò ſufficit Principibus per legem realem obligare nos quoad externam politiam, vel per mixtam, aut pœnalem, obligare ſolum ad talem pœnam; & hoc modo procedere legem, ſeù Regulam Patrum Prædicatorum expreſsè docet Sanctus Thomas 2. 2. q. 186. a. 9. ad 1., & ferè omnes Congregationes in Eccleſiâ natę poſt Dominicanos. Dari igitur nequit regula generalis, ſed Confeſſor in facti contingentiâ ſemper conſulat verba legis in particulari, ex quarum attentâ lectione (ſæpiùs, ſi eſt neceſſe, repetità) colliget ſenſum proprium, & obvium: quòd ſi ex ſe non poſſit, conſulet Doctores, præſertìm inſigniores, qui ſuper illà ſcripſerunt, ut dictum eſt n. 6. adhibens præ cæteris aſſiduas ad Deum preces juxtà Rituale adductum c. 7. n. 7.

9. D. Suppoſito, quòd importetur obligatio in conſcientiâ, vel ex verbis legis, vel ex conſuetudine optimâ Interprete legis, vel ex alio capite obligabitnè lex ſub mortali?

M. S. Thomas 2. 2. quęſt. 186. art. 9. ad 2. ait: *Non omnia, quæ continentur in lege, traduntur per modum prȩcepti, ſed quædam proponuntur per modum ordinationis cujuſdam, vel ſtatuti obligantis ad certã pȩnam... ita nèc in lege Eccleſiȩ omnes ordinationes, vel publica ſtatuta obligant ad mortale.* In quibus verbis ſtabilit concluſionem, & affert rationem. Concluſio eſt, quòd non omnia Edcleſiæ ſtatuta obligant ad mortale. Ut cognoſcas autem, quæ obligent ad mortale, ponit rationem univerſalem, diſtinguendo præceptum à ſtatuto, & præcepta quidèm obligant ſub mortali; ſed hæc pro totà univerſitate fidelium ſunt pauciſſima. Quòad credenda, extat obligatio tantùm credendi ſymbolum: quòad operabilia, quinque ſunt Eccleſiæ præcepta. Cætera, quæ traduntur per modum ſtatuti, non per hoc, quòd ſint ordinata, obligant ſub mortali, ſed juxtà materiæ gravitatem.

10. D. Quomodò diſtinguemus ea, quæ traduntur per modum præcepti ab iis, quæ traduntur per modum ſtatuti.

M. In Clem. *Exivi de Paradiſo* dantur plures regulæ ad dignoſcendum id, ſed quia longior eſt, nequit adduci in hoc compendio, nec eſt omninò neceſſaria Confeſſori ordinario, qui tamen optimè faciet, ſi eam ſæpius attentè relegat, petito priùs frequentèr Dei adjutorio, ut intelligat: prȩcipuè autem conſiderabit, quando conſulitur ſuper lege particulari, conferens utramque, ut videat, nùm in lege ſit particula, quæ in illà Clem.

ſit

sit declarata obtinere vim præcepti; quare nunquam in Confessionali decidet momento temporis prò unà, vel alterà parte: Memor erit, quòd Bartholus, Archivium legum omnium, *consultus in manè respondebat in vesperi, & consultus in vesperi respondebat in manè:* quòd si Pœnitens debeat accedere ad Eucharistiam, Confessor illum excitet ad intimum dolorem de offensà Dei, casu, quo violans legem peccasset mortaliièr: confortet ad propositum non ampliùs violandi, casu quo, vel alii doctiores Theologi, post diligens studium, ferventesque ad Deum orationes, judicarent peccari mortalitèr in hujusmodi violatione; assiguet tempus, quo debeat redire pro certà decisione, & ita absolvat.

11. D. Peregrini tenentur nè legibus locorum, per quos transeunt?

M. Authores plura congerunt circà hunc articulum. In universali dicendum, non posse dari regulam generalem. Est certum quòd quædam leges obligant etiam peregrinos, & certum est, quòd aliæ quædam non obligant. Ex c. 9. num. 5. peregrinus tenetur lege reservationis. Commisit peccatum in Diœcesi, in quà non erat reservatam; transit per diœcesim, in quà est reservatum: in hac non potest absolvi: Committit homicidium, vel furtum, subjacet legibus pœnalibus loci, per quem transiens peccavit, contrà homicidas, & fures. Tenetur emere pretio per leges in tali loco statutas &c. E contrà non tenetur Sa-

cerdos

cerdos recitare officium Eccleſiæ, per quam tranſit. Ideò erit optimum, ſi nihil Confeſſor in generali determinet, ſed omnia in particulari conſideret juxtà obſervationem traditam numero præcedenti: Solum illud notet in genere, quòd ex n. 6. lex eſt *ordinatio rationis in bonum commune*. Nemo tenetur velle ſemper bonum alterius privatum, tenetur tamen ſemper nihil agere contrà bonum alterius privatū;& ita nemo tenetur velle ſemper bonum alterius commune, ſed tamē tenetur ſemper nihil agere contrà bonum commune alterius corporis myſtici, ſeù Reipublicæ. Igitur erunt diſtinguendæ leges, quarū obſervantia promovet bonum commune,ſed tamen earum inobſervantia nihil dicit poſitivè contrà bonum commune. Tales ſunt leges officii, jejuniorum, feſtorum &c. quibus promovetur bonum commune talis Reipublicæ, tenenturque membra invicèm conformari, ita ut participantes fructum boni operis, habeant etiam onus illud operandi; hæc tamen omittere eſt privari bono, non facere malum bono communi; &, quod non eſt membrum talis Reipublicæ, non tenetur de ſe illius bonum promovere. Aliæ ſunt leges, quarum inobſervantia infert damnum poſitivum bono communi; ut ſi homicida non puniatur ita ſeverè,prout exigunt leges iſtius Reipublicæ. Reſervatio ex Tridentino ſeſs. 14. c. 7. fit, ut ex difficultate abſolutionis coerceantur graviora crimina;quare ſi peregrinus non ſubjaceret legibus loci, delicta jàm eſſent

sent impunita eo rigore, quo merentur, & crimina atrociora essent magis frequentia; Igitur ex hac ratione leges secundi generis videntur obligare peregrinos magis, quàm leges primi generis; Tutius erit nihilominùs habere semper ante oculos intentionem legislatoris per verba expressam cum praxi communi timoratorum, & semper tenere certum, dimittere incertum.

12. D. Tollinè possunt leges per consuetudinem contrariam?

M. Utique lex aliqua potest tolli, sed non omnis. Lex naturalis nequit mutari. Videatur S. Th. 1.2. q.94. a.4.5. & 6. ubi ponit rationes universales ad decidendos mille casus. Neque lex divina potest mutari. Idem q.96.a.4 quare quidquid contrà utramque inducunt homines, est abusus, non usus. q.97. a. 3. ad 1. Lex humana potest abrogari per consuetudinem contrariam; quando autem dicatur usus, non abusus, ita explicat S. Thomas q.97. a. 3. ad 2. *Si adhùc maneat ratio eadem, propter quam prima lex utilis erat, non consuetudo legem, sed lex consuetudinem vincit.* Exemplificando in particulari; Consuetudo collationis serotinæ in die jejunii potuit tollere præceptum unicæ comestionis; etenim non durat eadem ratio, propter quàm utilis erat unica comestio. Hæc præcipiebatur ad exercendum actum virtutis Abstinentiæ, qui ut verè sit virtuosus, esse debet ordinatus, & moderatè, non nimis affligere. Quæ tempore S. Thomæ afligebat moderatè unica

ca

ca comestio, nunc, debilitatà hominis complexione, nimis affligeret. Ideò serotina collatio non dicitur abusus. E contrà dicitur abusus consuetudo recitandi officium divinum contrà Canones præcipientes recitari *attentè*, *ac devotè*, quia durat idem finis, ob quem præcepta fuit attentio, & devotio. Tamen præparans se ad Confessiones notet, quòd superior ex pluribus finibus, unius tantùm meminit in promulgatione legis; imò aliquando nullum memorat, quià ita convenit Superiori: Non ergo judicet legem illegitimè promulgatam, ubi finis non exprimitur, vel cessasse omnem finem, quando cessat, qui exprimitur; sed consulat praxim approbatam, Doctores de illà scribentes &c. juxtà dicta n. 6.

13. Secundò notet verba ad 3. *Multitudo, in quà consuetudo introducitur, duplicis conditionis esse potest. Si enim sit libera, quæ possit sibi legem facere, plus est consensus totius multitudinis ad aliquid observandum, quod consuetudo manifestat, quàm authoritas Principis.. Si multitudo non habeat liberam potestatem condendi sibi legem, tamen ipsa consuetudo in multitudine prævalens obtinet vim legis, in quantum per eos toleratur, ad quos pertinet multitudini legem imponere: hoc enim ipso videntur approbare, quod consuetudo introduxit.* Ex his habes consuetudinem derogare legi Pontificiæ, quamquam immediatè à Christo Pontifex habeat jurisdictionem. Quià tamen tunc derogat, quando Pontifex *videtur approbare* consuetudinem contrariam,

riam, propterea primò requiritur, ut sciat consuetudinem contrariam : quod enim ignoratur, non approbatur: secundò, quod talem consuetudinem toleret, non tolerantiâ tantùm permissivâ, sed approbativâ : dicitur tolerare permissivè, quando permittit inobservantiam suæ legis, quando si vellet coercere, sequerentur plura mala, & ideò permittit minus malum, ne sequatur majus. Ubi autem in suâ lege Pontifex exprimit, quòd non censeatur derogata per quancunque tolerantiam, exprimit jam se nolle approbare. Igitur in facti contingentiâ Confessor ante omnia considerabit attentè legem; in quâ si extet talis aperta declaratio, nihil valebit usus quicunque contrarius, sed erit abusus: Ubi non extet illa declaratio, quidquid asserat Pœnitens, considerabit, an Pontifex verosimilitèr sciat usum contrarium; & si nesciat, erit abusus; tertiò si sciat, videbit, an toleret ad vitandum majus malum &c.

14. D. Audivi, quòd consuetudo distinguatur in plures species, vellem scire illas?

M. Consuetudo alia legitimè inducitur per decem annos: alia per trigintâ : quædam consuetudo dicitur immemorabilis : Ut ista legitimetur, requiritur usus excedens memoriam hominum, scilicèt, ascendens ad annos sexagintà. Alia est consuetudo centenaria; & hanc voluit Urbanus Octavus, ut posset dici toleratus approbativè cultus eorum Dei Servorum, quos non

cano-

canonizaverat Apoſtolica Sedes; Alia eſt ducentenaria; & hanc requiſivit Pius Quintus, ut legitimus diceretur uſus non recitandi officium divinum juxtà Breviarium Romanum. quæ ex his ſufficiat ad abrogandam legem, non poteſt generalitèr definiri; ſed benè conſiderandum, quid cuilibet legi in particulari ſit congruum, ſive ex gravitate materiæ, circà quam eſt lex, ſive ex intentione legis latoris &c. Quia autem cognoſcere hæc omnia munus eſt Juriſtarum, caveat Theologus Confeſſor, ne falcem mittat in meſſem alienam, ex ſe, ſive cum auxilio alicujus liberculi Caſuiſtarum definiendo, quòd in tali caſu ſufficiat decennalis conſuetudo, & non requiratur tricennalis &c.

15. D. Poteſtnè conſuetudo aliqua obligare ſubditos, ut illam ſequantur ſub peccato mortali?

M. Quia conſuetudo habet vim legis, ideò in iis terminis, in quibus n. 9. dictum eſt legem nos obligare, dicendum erit, quòd etiam obliget ipſa conſuetudo.

16. D. Audivi, quòd ex legibus, & conſuetudinibus aliæ nos per ſe obligant; aliæ per accidens. Vellem ſcire, an hæc diſtinctio relinquenda ſit Scholaſticis, vel potius, quià conferat aliqualitèr ad praxim, ſit etiam, imperfectè ſaltèm, agnoſcenda Confeſſori.

M. Ita utique diſtinguuntur: diciturque lex obligare per ſe, quando tenemur ad aliquid ratione

tione ipsius præcepti, vel legis, de faciendo tali actu virtutis: dicitur autem obligare per accidens, quando obligat ratione alterius præcepti. Res exemplo fiet clarior. Præceptum, seù lex eliciendi actum fidei juxtà dicta in *Instructione pro ordinandis* c. 8. n. 18. per se nos obligat: primò, cum pervenimus ad usum rationis: secundò, cum sumus in articulo mortis: tertiò, quinquies vel sexiès in anno. Per accidens verò nos obligat in multis aliis casibus, v.g. cum tentamur ad aliquod peccatum, ita quod sine actu fidei non possemus resistere tentationi: tùnc per se non obligat, sed ratione alterius præcepti, nè succumbamus tali tentationi: Paritèr in die festo tenemur per accidens ad actum fidei, ratione præcepti Ecclesiastici audiendi sacrum; cui non possumus obtemperare, nisi credamus Christum verum Deum esse sub hostiâ, quàm, audientes missam adoramus. Hæc autem distinctio est maximè notanda Confessori ad dignoscenda quot peccata sæpè committat pœnitens: etenim fidelis omittens in die festo audire sacrum, & elicere actum fidei circà Eucharistiam, quia ad hunc per accidens obligatur, committit unicum peccatum, & sufficit, si se accuset in confessione, quòd omiserit sacrum, non accusando, quòd omiserit actum fidei. At supponamus, quòd per bimestre omiserit audire sacrum, & elicere actum fidei, ad quem per se tenetur in quolibet bimestri, tùnc in ultimâ Dominicâ omittens sacrum, & actum fidei,

non

non ſufficit, ſi ſe accuſet in confeſſione, quòd per octo Dominicas omiſerit factum, ſed inſupèr debet explicare, quòd in ultimà Dominicà, in quà tenebatur per ſe, omiſerit actum fidei, quia tùnc duo peccata commiſit. Confeſſor igitur debet ſcire hanc diſtinctionem, ut, quando opus eſt, imponat tale onus pænitenti: debet ſcire etiam ex alio capite, ut non aggravet pœnitentem, quando opus non eſt: etenim elicientes actum, quando obligamur per accidens, etiam ſatisfacimus obligationi per ſe, v.g. per bimeſtre omiſi audire ſacrum, & omnem actum fidei: in die ultimà ſecundi menſis audio ſacrum, & elicio unicum actum fidei, ad quem obligor ratione ſacri: per hunc actum fidei ſatisfactio obligationi per ſe provenienti ex virtute fidei pro quolibet bimeſtri: quare in confeſſione accuſabo me, quòd ſepties omiſerim ſacrum; & quia per illum unicum fidei actum ſatisfeci obligationi, quæ mihi proveniebat ex præcepto fidei, quia contrà hoc non peccavi, non teneor me accuſare. Hæc omnia probè ſciat Confeſſor, ut neminem obliget ſuprà quàm per eſt: neminem deobliget minus, quàm par eſt. Et iſtam regulam obſervet in præceptis quarumlibet virtutum.

17. D. Noſtris temporibus plurimæ ſunt leges, quas certè non omnes tenetur obligatione ſtrictiſſimà ſcire Confeſſor ordinarius, indicà igitur mihi, quas teneatur ſcire principaliter; etenim in iis habendis ponam meum principale ſtudium,

dium, nec unquam audebo me examini audiendarum confessionum exponere, nisi probè sim super illis instructus?

M. Confessor, utpotè exercens munus, Judicis, Doctoris, & Medici, animadvertat, ad hujusmodi officia, in Republicà civili non admitti indifferentèr omnes, levitèr instructos de prædictis muniis, sed eos tantùm, qui possint insuper commnnicare aliis, quæ ipsi sciunt. In naturalibus, non omne calidum calefacit, sed major calor requiritur, ut calefaciat, quàm ut caleat. S. Bernardus conchæ assimilat Confessores, quæ, ut in alios aquam refundat, debet esse in se super plena. Confessor igitur debet ita scire aliquas leges, ut, ex redundantiâ scientię in se, possit alios edocere. Hujusmodi est primò lex naturalis contenta in præceptis Decalogi: secundò lex divina, ut præcipit actus internos Fidei, Spei, & Charitatis, secundum tempus, circumcircà, quo obligant juxtà dicta n. 16., & ut præcipit sumptionem trium sacramentorum suo tempore, scilicet, Baptismi, Eucharistiæ, ac Pœnitentiæ: tertiò quinque præcepta Ecclesiæ, ita quòd interrogatus de illis possit respondere, quæ contingunt ordinariè. Hæc debet scire ut Doctor: quartò ut Judex debet scire casus reservatos (præsertìm in Bullà Cœnę) ut præcipit Rituale adductum cap. 7. num. 8. quintò caput *Omnis utriusque* adductum c. 8. ubi explicantur qualitates bonæ confessionis: quintò Bullam Gregorii XV. *contrà sollicitantes*

diſtinguens quoſcunque caſus in eà contentos: ſextò edictum Sanctæ Inquiſitionis: ſeptimò doctrinam Tridentini de ſacramento Pœnitentiæ: octavò Ritualis Romani Inſtructionem de hoc ſacramento, ſimùl cum ordine illud adminiſtrandi: nonò leges ſibi præcipuè ſtabilitas ab Epiſcopo in litteris patentibus pro audiendis confeſſionibus: decimò ut Medicus debet ſcire, quæ pro excidendis occaſionibus proximis ex Sancto Carolo tradita ſunt c. 11. à n. 19.

18. Hæc generalitèr debet maximè ſcire quilibet Confeſſor ordinarius. Prudens autem Confeſſor ulteriùs notet vitia, quæ magis regnant in ſuà Diœceſi, & leges ſpeciales ſuper illis: etenim ex Sancto Thomà 2. 2. quæſt. 2. articul. 7. cætera debet ſcire *magìs, vel minùs, ſecundum quod competit ſtatui, & officio uniuſcujuſque*; propterea prudens Confeſſor notabit, an ad ſuum Confeſſionale ſoleant, ut in pluribus, accedere Nobiles, Negotiatores, Artifices, Ruſtici, Clerici, Judices, Potentes &c. Si in Parochià ruſticanà accedat pœnitens nobilis, id omninò poteſt eſſe per accidens, nèc imputabitur Parocho, ſi ignoret leges, ex quarum cognitione poterit ſtatìm judicare, nùm peccaverit in caſu non ita obvio. At qui ſolet audire negotiatores v. g. tenetur ſcire leges communes, quæ conpetunt negotiatoribus. In Urbe præſertìm neceſſe eſt, ut ſemper ante oculos habeant Bullam, quæ dicitur *de Datis, & acceptis ob impetrandam gratiam, vel juſtitiam à*

Sede

Sede Apostolicâ; ob frequentissimum periculum violandi illam. Idem dic de reliquis statibus, & officiis. Vide S. Carolum c. 11. à n. 31.

19. Ulteriùs Confessor ordinarius habeat præ oculis illud Eccl. 7. *Noli quærere fieri Judex, nisi virtute valeas irrumpere iniquitates: ne fortè extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tuâ.* Confessario, qui est verè Judex, non prohibet Spiritus Sanctus exercere ministerium, sed quærere divites, aut nobiles, ut exerceat hoc ministerium: experientia enim docet, quòd quærens hujusmodi pœnitentes, extimescit faciem eorum, nec fortis est in redarguendo peccata, in excidendà occasione proximà &c. sed imò quærit *excusationes in peccatis*, opiniones, quas, ut illis placeat, judicat probabiles &c. Qui se agnoscit sufficientèr instructum, modestè quidèm potest petere, ut admittatur ad confessiones pro illis, quibus absolvendis cognoscit se sufficientèr instructum, sed non pro aliis. Illud avidiùs quærendum, quod ait Sanctus Augustinus lib. 10. de Civ. Dei: *Otium sanctum quærit charitas veritatis: negotium justum suscipit necessitas charitatis: quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ, atque intuendæ vacandum est veritati: si autem imponitur, sustinenda est propter charitatis necessitatem.* Verbum *quæro*, & apud Sapientem, & apud Augustinum importat avidiùs affectare. Vide c. 11. n. 5.

CAPUT XXXIX.

De Conſcientiâ

1. DIximus c. præcedenti, quæ neceſſaria ſunt ad intelligentiam legum in genere, pro efformandâ primâ univerſali præmiſsâ ſyllogiſmi operativi, & apparet, quòd ſit actus ſyndereſis, ſi ſit circà leges naturales, actus doni Intellectus, ſi ſit circà leges divinas; actus verò Jurisprudentiæ; ſi ſit circà leges humanas; dicendum reſtat de ſecundâ præmiſsâ, & de concluſione. Concluſio eſt actus illius virtutis, quam infero eſſe operandam. Sanctus Thomas 2. 2. quæſt. 60. art. 1. præſertim ad 1. & 2. Igitur agemus de concluſione, dùm agemus de quàlibet virtute in particulari. Reſtat igitur agere de ſecundâ præmiſsâ particulari v. g. *hæc actio eſt occiſio*. Vides ad eliciendam hanc præmiſſam concurrere multos habitus; Sanctus Thomas 1. p. q. 79. a. 13. ad 3. In primis concurrit habitus Syndereſis: nàm illa particularis præmiſſa, utpotè contenta in univerſali, debet etiam dependere ab habitu præmiſſæ univerſalis. Concurrit etiam habitus Theologiæ Moralis, qui tractat de juſtitiâ, & alii partiales habitus ejuſdem Theologiæ, ſi ſit circà alias virtutes. Porrò hæc ſecunda præmiſsâ dicitur haberi per conſcientiam; quæ ut rectè inſtituatur, præparans ſe ad confeſſiones primò

ſciet,

ſciet, quid in ſe ſit conſcientia; ſecundò, quia jàm ex cap 36. præcedenti ſcivit habitum ſyndereſis, à quo principalitèr informatur, ſciet etiam alias virtutes in particulari, à quibus informatur, & de his differemus in ſubſequentibus, nùnc de ipſo actu, qui dicitur Conſcientia, eſt differendum.

2. Circà conſcientiam vide Sanctum Thomam 1. part. quæſt. 79. a. 3. ex quo habes, quòd ſit actus procedens à ſyndereſi, ſeù habitu primorum principiorum, & propterea unum quandoque ponitur pro alio, quia ſæpè nomen proprium cauſæ tribuimus effectui, & nomen proprium effectus tribuimus cauſæ. Cum diverſimodè apud Patres, & Doctores nomen conſcientiæ accipiatur, in preſenti ſumitur, ut conſciētia *eſt dictamen rationis practicum*, ſeù *dictans aliquid hic, & nùnc, eſſe faciendum, vel fugiendum:* dictat enim, quòd talis actio in particulari conſiderata ſit v.g. homicidum.

3. D. Quotuplex eſt Conſcientià.

M. Eſt quintuplex, Recta, Erronea, Dubia, Probabilis, & Scrupuloſa. Recta eſt, quæ dictat hìc, & nùnc id eſſe bonum, vel malum, faciendum, vel fugiendum, quod ita eſt in rei veritate. Erronea eſt, quæ dictat hìc, & nùnc eſſe faciendum, quod in rei veritate eſt fugiendum, vel è contrà. Dubia eſt, quando remaneo ſuſpenſus, circà utranque partem contradictorii, quia non poſſum me determinare, an talis actio ſit bona, vel mala, facienda, vel fugienda. Probabilis eſt, quando judico eſſe bonam, vel malam, faciendam,

vel fugiendam, sed ex fundamentis, quæ ex se relinquunt formidinem oppositi. Scrupulosa est, quando judico aliquid malum, vel bonum, fugiendum, vel faciendum ex levibus omninò fundamentis.

4. D. Conscientia recta est nè regula sufficiens humanorum actuum, seù, quod idem est, possum nè sequi conscientiam rectam?

M. Utique possum sequi: imò quilibet curare debet, ut in agendis agat, quod in rei veritate est agendum, & fugiat, quod in rei veritate est fugiendum.

5. D. Conscientia erronea potest nè esse regula sufficiens humanorum actuum, seù, quod idem est, possum nè sequi conscientiam erroneam?

M. Differentia inter ignorantiam, & errorem tradita est cap. 35. num. 1. quòad reliqua, differendum est de utroque pariformitèr: quare possum sequi conscientiam erroneam invincibilitèr; imò teneor aliquando sequi, v. g. credo invincibilitèr hodie esse diem festum, teneor audire sacrum. Idem dic in reliquis casibus: tùnc enim est error materialitèr, & in se, sed formalitèr, & mihi est recta; quando autem dicenda sit vincibilitèr, vel invincibilitèr erronea, vide dicta cap. 35. num. 8. de ignorantiâ vincibili, & invincibili. S. Thomas 1. 2. q. 59. a. 5.

6. D. Conscientia dubia est nè regula sufficiens humanorum actuum, seù, possum nè sequi conscientiam dubiam?

M. In

M. In nullo casu possum sequi conscientiam dubiam: nèc enim me possum exponere periculo peccandi; & si sequerer conscientiam dubiam, peccarem eo genere, seù specie peccati, cujus periculo me expono: v. g. si dubitans, an talis actio sit peccatum veniale, illam operor, pecco venialitèr: si dubitans, an talis actio sit contrà castitatem, illam operor, pecco contrà castitatem: Idem dic de reliquis: quare si pœnitens se accuset aliquid feciſſe cum conscientiâ dubiâ, Confessor sit sollicitus, ut, pro integritate confessionis, explicet omnia, quę forent explicanda, si certò peccasset contrà Castitatem &c. (Idem dic quòad hoc de sequente conscientiam erroneam. Sanctus Thomas 1.2. quæst. 19. art. 5. ad 3.) Dubitans ergo, nùm actio aliqua sit peccatum, debet, antequam operetur, adhibere diligentias debitas ad indagandam veritatem; quòd si, diligentiis adhibitis, veritas non appareat, juxtà commune proloquium, *In dubiis tutior pars est eligenda* (quod est tenendum pro regulà generali) eliget id, quod apparet non esse peccatum. Dubitat, nùm sit dies festus, audiat sacrum, quia in hoc certum est nullum esse peccatum.

7. D. Dubitat, quòd utraque pars contradictorii sit peccatum, v. g. nùm sit dies jejunii, & quòd obligetur: ex aliâ parte dubitat, nùm sibi jejunare sit peccatum, quid agat in tali casu?

M. Hoc idem potest contingere per conscientiam erroneam; & in utroque casu pars tutior

eſt eligenda. Dictum eſt cap. 14. num. 4. quòd de duobus malis minus eſt eligendum: quare tutius eſt eligere minus. Ergo videat in tali dubio, ſeù errore, an minus malum ſit jejunare, vel non jejunare, & eligat minus; ſi non poſſit abſtinere ab utroque.

8. D. Si deberemus eligere tutiorem, quia tutius eſt ad ſalutem ſequi conſilia Evangelica, deberemus omnes profiteri Religionem, obligantes nos ad tria vota?

M. Hoc argumentum magni faciunt, & amplificant, qui impugnant aſſerentes nos debere ſequi opiniouem probabiliorem in conſpectu minùs probabilis; Coacervant alia exempla, dicunt quòd dubitans, nùm in collatione ſerotinà octo unciæ violent jejunium, deberet nihil omninò comedere in veſperi, quia tutiùs eſt obſervari jejunium nihil comedendo, quàm comedendo aliquid: nihilominùs dicendum eſt, nos debere ſequi tutiorem ex illis partibus, de quibus dubitatur: v. g. dubito, nùm poſſim attingere octo uncias, ſi certum eſt mora litèr, quòd ſufficiant ſex, non teneor ad quinque, vel nullam, ſed teneor non excedere ſex: cumque certò ſufficiat ad ſalutem obſervantia præceptorum, non teneor ad conſilia.

9. D. Extat etiam aliud proloquium: *In dubiis melior eſt conditio poſſidentis*; cum tamen tutius eſſet reſtituere?

M. Poſſeſſor bonæ fidei (de quo loquitur hæc regula

regula juris, non de possessore malæ fidei) etiam ipse, retinens in dubio rem, eligit partem tutiorem: estò enim utrinque dubitet æquè, nùm res sit sua, vel Petri v. g. ex rationibus intrinsecis, tamen juvatur ad illam retinendam ex principio extrinseco, nempè, ex authoritate Superiorum, qui potuerunt statuere, & de facto statuerunt, ut res remaneret pœnès possessorem bonæ fidei factà sufficienti diligentià (bona enim exteriora fortunę, de quibus loquitur tale proloquium subjacent ordinationi Principis) cujus *melior*, idest, tutior est conditio ob dictam legem. Si verò simus extrà materiam justitię, sempèr eligi debet pars tutior. Id adeò est verum, ut insigniores Theologi, & Canonistę, imò commnnitèr Doctores doceant, si dubitem me occidisse, debere me gerere tanquam irregularem, sed Judicem non posse me ut irregularem damnare: debeo me gerere ut Irregularem, ahstinendo ab exercitio Ordinum, & petendo dispensationem, sed Judex non potest me damnare, quia in Judicio, quod est actus justitię, stat possessio pro meà indemnitate. Confessor, qui conscientiarum curam habet, semper consulat tutiorem ex partibus hinc inde controversis.

10. Conscientia probabilis est nè regula sufficiens humanorum actuum, seù possum nè sequi conscientiam, & opinionem probabilem, præsertìm relictà probabiliore?

M. Quæstio hæc nostris temporibus maximè agi-

agitatur inter celebriores Theologos, & volumina edita super illà implerent vastam Bibliothecam, quare non potest compendio redigi pro Confessore ordinario. Porrò hujus directioni sufficiet, si proponantur, quæ jam Sedes Apostolica super hàc materià definivit ab omnibus tenenda: quare primò ex primâ propositione Innocentii XI. relegenda cap. 26. ubi agitur de valore sacramentorum, si offerantur duæ opiniones probabiles, Confessor, seù quicunque alius, nihil curans de probabilitate, debet examinare, quænàm illarum opinionum sit tutior, & illam sequi in conferendo sacramento. Fac probabilitèr sustineri, quòd aquâ rosacea sit materia sufficiens baptismi, quia agitur de valore sacramenti, tu in baptizando non debes examinare probabilitatem; sed videndo, quòd tutius sit uti aquà naturali, debes illà uti, si habes, vel potes habere, antequam moriatur infans; quòd si desit aqua naturalis, tùnc non es in conflictu opinionum quòad praxim, sed uteris omni medio tibi possibili pro æternà salute infantis; quòd si convalesceret, iterùm esset sub couditione baptizandus aquà naturali: secundò ex secundà ejusdem, Judex non potest judicare juxtà sententiam minùs probabilem. Tu considera, nùm hæc damnatio afficiat etiam Confessores, qui non possint judicare absolvendo pœnitentem, quem probabilitèr opinantur dispositum, sed magìs probabilitèr opinantur indispositum: tertiò ex tertià ejusdem,

dem, qui aliquid judicat qualitercumque probabile, non propterea prudenter agit, operans illud, innixus tali utcunque probabilitati; ex quartâ infidelitas non excusatur, si sequar opinionem, quæ est verè probabilis, sed minùs probabilis: quintò ex 21. Assensus fidei supernaturalis non stat cum notitiâ solùm probabili revelationis, tu considera, nùm id proveniat, quia supernaturalis est, vel ex aliâ causâ: sextò ex 27. Alex. VII. non est censenda probabilis opinio ex hoc, quòd impressa est in libro moderno, nondùm rejecto quòad illam ab Apostolicâ Sede: septimò ex tertiâ Alexandri VIII. licet sequi opinionem inter probabiles probabilissimam. Hæc circà probabilismum sufficiunt Confessori ordinario. In reliquis casibus, qui sanè pauci erunt, procedat cum his cautelis: primò, non proponat probabilismum, ut damnatum ab Ecclesiâ, quandò solùm damnavit illum in casibus prædictis: secundò, ex regulâ Augustini epist. 19. non credat verum, aut probabile, quia id alii tale dicunt, sed credat verum, & probabile, quod sibi per Scripturas sacras, vel rationes persuadetur tale: locus enim ab authoritate Casuistarum, præcipuè Modernorum infirmissimus est, nisi fundent se in ratione: Cum his observationibus crediderim, quòd poterit ritè exercere suum triplex munus Judicis, Doctoris, & Medici, absque eo quòd tempus insumat in illâ, hodiè ob tot libros reddità difficillimà quæstione, implexà

aliis

aliis mille queſtionibus, an poſſim ſequi opinionem minùs probabilem, relictà probabiliore, & tutiore.

11. D Conſcientia ſcrupuloſa eſt nè ſufficiens regula humanorum actuum, ſeù pecconè, aliquid operans, de quo habeo ſcrupulum, quòd ſit peccatum mortale?

M. Si non ſit error, ſed merus ſcrupulus, non peccabo mortalitèr; levia enim indicia, ex quibus, ut dictum eſt num. 3. movetur ſcrupuloſus ad timendum, ne aliquid ſit peccatum mortale; non cogunt prudentem, ut ab opere illo abſtineat; imò dicitur Eccl. 19. *Qui citò credit, levis corde eſt*, ſcilicèt, levitas eſt animi, *citò*, hoc eſt, ex levibus indiciis credere aliquid eſſe peccatum mortale?

12. D. Quomodò Confeſſor agnoſcet eſſe ſcrupulum, non errorem?

M. Agnoſcet primò ex levitate indiciorum, quibus movetur, & per hoc diſtinguitur etiam à conſcientià dubià: ſecundò formidat, & titubat etiam, poſtquam viri prudentes, ut alius Confeſſor, teſtati ſunt, nullum in actione illà eſſe periculum peccati: tertiò agnoſcet conferens, nùm aliàs ille pœnitens timoratæ ſit conſcientiæ, qui fugiat in reliquis vel umbram peccati mortalis.

13. D. Quomodò Confeſſor exercebit ſuum officium ergà hujuſmodi verè ſcrupuloſos?

M. Nonnulli ſunt, qui à multo tempore vitam

tam liberiorem agentes, dùm redeunt ad cor, maximis anguntur ſcrupulis, timentes, nùm aliquod vitæ præteritæ peccatum præterierint, vel circumſtantiam explicatu neceſſariam. Ergà hos officium Judicis præcipuè Confeſſor exercebit. Juxtà monitum Sancti Caroli adductum cap. 11. num. 15. invitabit ad confeſſionem generalem ab eo tempore ſaltèm, quo cæperunt liberiùs vivere; ad quam præparabuntur maturo, ac diligenti examine conſcientiæ. Porrò Confeſſor illos patientiſſimè audiens, ad ſingula peccatorum genera, quæ accuſant, interrogabit non modò ſpecies, numerum, atque circumſtantias; verùm, & illa peccata, quæ ut plurimùm, licèt non ſemper, conjungi ſolent accuſatis, ut, ſi peccavit contrà caſtitatem, explicatà ſpecie, numero, ac circumſtantiis actuum externorum, quæ quilibet ſolet explicare, interrogetur, nùm ergà eandem, vel alias fœminas habuerit deſideria merè interna, nùm ſimplices delectationes moroſas, ſi accuſet confeſſiones ſacrilegas, inducat, ut non modò repetat peccata in illis confeſſa, ſed numerum confeſſionum ſacrilegarum, ſi fuerint in confeſſione annuà ex præcepto Eccleſiæ: tùnc enim ſunt duo peccata: ſi poſt confeſſionem, communicavit ſacrilegè: quod ordinariè ſolet contingere, ut intelligat etiam in hoc numerum ſacrilegiorum, & duplex peccatum in communione Paſchali, &c. (quæ omnia præſertìm meminerit petere in examine Romano,

ubi

ubi ſuper ſimilibus examinetur approbandus) Hac generali confeſſione talitèr factà, Confeſſor præcipiat ſcrupuloſò non ampliùs inquirere in particulari vitam præteritam, etiam ut confiteatur aliquam ſpeciem, vel circumſtantiam: debet enim præſumere omnia ritè narrata, ſèd ſolùm, ſi aliquod peccatum meminerit omninò intactum, tùnc petat conſilium Confeſſoris, nùm ſuper illo debeat inquirere. Alii Scrupuloſi ſunt, qui timent peccare mortalitèr in omni opere (circà hos exercebit præcipuè officium Doctoris, oſtendens peccatum mortale, non eſſe, niſi ſit omninò voluntarium, clara eſſe ex Decalogo, lege divinà, & præceptis Eccleſiæ peccata mortalia, quæ committi poſſunt frequentèr &c. Sunt alii tertiò, qui, opere peracto, timent peccaſſe. Circà hos exercebit præcipuè officium Medici. Ut eos ſanet, inducet contemnere ſcupulos, operari contrà ſcrupulum, nec in confeſſione accuſare actionem ullam, in quà non poſſit jurare ſe mortalitèr peccaſſe, reſpectu aliquorum Pœnitentium. Præ omnibus utatur oratione, ſtudio Authorum, & conſilio Doctiorum juxtà Rituale adductum c. 7. n. 7.

14. Hæc in univerſali propoſita, meo videri, ſufficere poſſunt, Confeſſori ordinario, ut abſque peccato exerceat ſuum triplex munus Judicis, Doctoris, & Medici: nàm primò inſtructus de damnis mali, ac utilitatibus boni Confeſſoris curabit evellere vitia, & plantare in Pœnitente virtutem: ſecundò inſtructus de ipſo Pœnitentiæ ſa-

cra-

cramento, ex Doctrinà Ecclesiæ in Tridentino, Rituali, Catechismo, ex S. Carolo, probatisque Authoribus, quales præcipuè sunt S. Thomas, & Magister Sententiarum, si quod hi docent, opere curet implere, nunquam porriget pro pane venenum: tertiò, quia principalitèr debet insistere, ut Pœnitentes forment rectum judicium de suis actionibus; quod judicium efformatur per syllogismum operabilem, habet primò cognitionem sufficientem, ut illum possit dirigere in primà universali præmissà prædicti syllogismi, quæ procedit ex syndéresi, quando versatur circà operabile notum naturæ lumine; à Dono Intellectus, quando versatur circà operabile notum lumine fidei; à Jurisprudentià verò, quando versatur circà operabile inductum lege humanà; de quibus omnibus ut instrueretur præparans se ad confessiones, data est omnis doctrina magis necessaria Morali Theologo, quam S. Thomas inserit in suà 1. 2. Insinuatum est etiam aliquid circà efformandam secundam præmissam particularem prædicti syllogismi operabilis, quæ efformatur per actum Conscientiæ.

15. Restat agere de ipsà conclusione, quæ præmittitur ab intellectu, ut excitet voluntatem, quæ numquam vellet hoc particulare, nisi priùs illud cognosceret: nàm nihil volitum, quin præcognitum; sed ista conclusio, ex S. Thomà adducto, est actus illius virtutis, cujus est ipsa operatio. Et cùm circà omnes Virtutes Pœnitens sit dirigendus,

dus, & in omnibus vitiis poſſit peccare, Virtutum, ac Vitiorum ſingulorum notio debet conſtare præparanti ſe ad Confeſſiones. Igitur nùnc eſt differendum de his. Attamèn hìc finit prima pars hujus operis: & remitto ad ſecundam tractatum de Virtutibus, & Vitiis, ex duplici capite: primò ne nimis creſcat moles Tomi: ſecundò, & principalitèr, ne in minimo deflectam ab aureà Methodo mei Præceptoris Angelici, qui etiam diviſit Theologiam Moralem in duas partes, agens in primà de iis, quæ ſpectant ad efformandas præmiſſas ſyllogiſmi operabilis; & in ſecundà de ipsà concluſione, in omni materià, tractans Angelicè virtutes omnes, Dona Spiritus Sancti correſpondentia, & Vitia oppoſita. Adſit ſuà gratià Deus, & ſuà prece S. Præceptor, ut, quæ docenda ſunt, conſpiciam, & quæ agenda ſunt, ipſe omnium primus opere compleam.

Inſtructionis pro Præparantibus ſe ad Confeſſiones, Partis Primæ.

FINIS.

INDEX

INDEX
Rerum Memorabilium
PRIMÆ PARTIS.

A

ABſolutionis Sacerdotalis virtus 26. 14. *qui ſint illius capaces.* 64. 26. *illi preces adjunctæ qualitèr recitandæ. Epiſcopus punit deficientem in illis* 65.30. *Invalida eſt abſolutio approbati, ſed nondùm habentis juriſdictionem, uti; & injuſtè reprobati.* 81.12. *A venialibus abſolvere priùs licebat cuilibet Sacerdoti; nùnc non licet.* 80.3. *quibus in caſibus differenda ſit Abſolutio ex S. Carolo.* 95. *à n.* 19. *ubi uſque ad n.* 41. *habes multos caſus inparticulari elucidatos. Ut ſit valida, ex parte Miniſtri requiruntur quatuor, quòd ſit Sacerdos, habeat juriſdictionem, intentionem, & proferat formam.* 110. 4. *Vide verbo* Confeſſor, *&* Pœnitentia. *Propoſitiones probibitæ circà Abſolutionem.* 145. 6. *nunquam poteſt ſimulari.* 144.5.

Actus interni Animæ noſtræ dantur. 392. 1. *& ſeqq. principaliter ſunt quatuor, Simplex Complacentia, Deſiderium, Intentio, & Electio.* 393.3. *eorum duplex principium, intrinſecum, & extrinſecum: utriuſque differentia* 407. 1. *Actuum virtuoſorum alii*

*perfecti, & alii imperfecti.*409.2. *etiã in lineâ Donorum* 409.3. *Hi sunt præambula(nè litigatur de nomine) ad actus perfectos donorum; & esse possunt in peccatore ibid. Actuum bonorum extrinsecum principium Deus per suam gratiam.*410.4.

Amare est velle bonum, & Odire velle malum. 393.2. *Amare, & Odire sunt genera; quare quid ulteriùs faciat Pœnitens, ut peccati speciem explicet in confessione.* 393.2.

Annus discretionis quando incipiat. 68.5. *Deus in illo amandus ibid. & ideò etiam credendum tùnc, & sperandum in Deum, sine quâ fide, & spe nequit amari.*

Appetitus hominis dulpex: Intellectivus, qui dicitur Voluntas, & sensitivus. 400.2. *Hujus duæ Potentiæ Irascibilis, & Concupiscibilis; objectum utriusque.*401 3. *Utriusque actus vocantur Passiones, & quare? ibid.*

In Articulo mortis, multa retrahunt ab amore Dei, sine quo nequit esse vera pœnitentia. 30. 17. *quomodo conferenda tùnc absolutio* 64.27. *seqq.*

2. *Attritionem pro sacramentis mortuorum volui semper ego conjunctam initiali amori Dei.* 122.2. *Vide* Dolor, Confessio *&c.*

1. Attentè perlegas, & accuratè observes; *hæc verba quid importent.*82.13.

*Ab Authoritate locus infirmissimus.*490.10.

RERUM MEMORABILIUM

B

Bartoli cautela in reſpondendo, quam debeat imitari Confeſſor. 473.10.
Beatitudines ſunt actus perfecti Donorum. 410.3.
Benedictio, ſeù Abſolutio Generalis, quæ datur Confratribus SS. Trinitatis importat participationem ſuffragiorum Ordinis, & dari poteſt in Anno Sancto. 313.24.
Bullæ Cœnæ Canònes. 213. *& ſeqq. in quarto non comprehenditur ſurripiens bona Hæreticorum.* 215.11. *in ſeptimo comprehenditur mittens ad Hæreticos, quæ dicuntur* Avviſi *ordinariè plena mendaciis, in damnum Religionis Chriſtianæ.* 217.17. *qui Princeps non includatur in octavo.* 218.19. *in decimo includitur vexans accedentem ad Urbem, ſi ad id vexet: ſecùs ſi caſu.* 218.24. *Hæc Bulla tollit facultatem Epiſcopi à Tridentino conceſſam.* 226.43. *excommunicatur abſolvens à cenſuris in illâ contentis ibid.* 44. *quæ ignorantia excuſet.* 227.45. *ab omnibus debet haberi, legi, & percipi.* 227.45.

C

Canones antiqui Pœnitentiales dantur. 145. *& ſeq. non ſemper juxtà eos regulandus Pœnitens.* 181.1. *ſæpiùs enunciandi, non injungendi.* 183.5. *quare zelaverit notitiam illorum S. Carolus.* 183.6.
Cardinalis Caſanate affectus in doctrinam litteralem S. Thomæ. 389.2.

Ex Charitate tenemur proximo in ejus verâ neceſſitate, non quando voluntariè in illâ perſeverat; & explicatur exemplis. 141. 3.

S. Caroli monita recepta in Diœceſi Romanâ 88. 1. *illa redegit in Rituale Romanum Paulus V.* 89. 1. *datur eorum ſumma.ibid.& ſeqq. S. Caroli oratio pro Confeſſoribus* 92.11.

*Caſtitas non admittit parvitatem materiæ.*456.6.

Caſus, quos in Italiâ, extrà Urbem, Privilegiati non poſſunt abſolvere. 78. 6. *Papales reſervantur ratione cenſuræ: duo ratione ſui, & quæ hæc ſint.*79.7. *quid importet reſervari ratione cenſuræ* 80: 7. *Caſuum Conferentiæ ſunt conſilium Peritorum.*82.14.

*Catechiſmus Romanus ſæpè legendus.*44.1.

*Cauſa univerſalis influit in particularem motum, ut actu hæc cauſet.*410.4. *etiam in particularem contingentem, cui propterea non tollit potentialitatem ad utrumlibet.*411. 5. *quod probatur ex illo principio,* Concluſio ſequitur debiliorem partem.412.5.

Cautio quid ſit. 60.12.

Cenſurarum, Irregularitatum, & aliarum pœnarum Eccleſiaſticarum Catalogus, à pag. 228.& ſeqq.

Circumſtantiæ peccati conſiderandæ à Pœnitente. 21. 7. *circumſtantia notabilitèr aggravans in furto, ex Catechiſmo aperienda in confeſſione.* 50. 10. *quæ ex ſui ratione opponuntur alteri virtuti, aut eidem per exceſſum, vel defectum, transferunt in aliam ſpeciem.*424. 10. *quas in peccatis conſiderabit Confeſſor, & dantur p.*425. 11. *diſſeriturque particulariter de illis in ſeqq. Notabilitèr aggravantes aperien-*

riendæ in confessione, si variant notabiliter judicium Confessoris. 432.30.

Claves duæ: altera scientiæ: altera ligandi, & solvendi. 23.11. *& seqq Prima confert potestatem judicandi.* 28. 16.

Collatio serotina in jejunio introducta, ex consuetudine. 475.12.

Complacentia: : Vide Delectatio.

Conditio de futuro invalidat sacramentum; non ita conditio de præsenti, & præterito. 139 3. *Hæ ultimæ conditiones, etiam licitè apponuntur ad evitandum majus malum; explicatur, quòd nàm sit hoc malum.* 140. 4.

1. *In Concionatoribus quid exigendum ab Episcopis.* 5. 4.

De Confessione decretum Lateranense. 66.1. *& seqq. quare non satisfacimus præcepto Ecclesiæ per confessionem voluntariè nullam.* 68.7 *de consilio Sacerdotis differri potest ultrà tempus Paschale.* 69. 10. *nequit fieri in domo privatâ.* 77. 3. *confessiones audiendi licentiâ quisque debet uti juxtà limitationem Ordinarii.* 90. 3. *ad confessionem generalem qui inducendi.* 94.15. *& quomodo in illa tractandi.* 494. 13. *Confessionis sexdecim conditiones.* 124.4. *duplex illius integritas materialis, & formalis explicatur.* 125 5. *Vide* Sacramentum Pœnitentiæ; Sigillum.

Confessor quomodo dignoscatur moveri stipendio. 2.1. *peccata, quibus se exponit, si insufficiens vellit audire confessiones.* 2. 2. *ejus scientia debet esse Theori-*

ca, & practica. 3. 4. universalis; at quæ magis scienda sint in Urbe. 5. 4. debet esse, qualis Juristarum. 6. 6. qui sit malus sibi, non aliis. 9. 1. damna mali Confessoris. 10. 2. utilitates boni. 11. 3. habeat bonitatem, & scientiam, sed præcipuè bonitatem. 15. 12. 90. 6. indoctus quando absolvat invalidè quando illicitè, quando licitè. 29. 16. qualitèr peccet nolens audire pœnitentem. 58. 10. ubi, & qualitèr debeat audire. 58. 11. & seqq. 91. 9. quid inculcet pœnitenti. 59. 17. de quibus illum interroget. 61. 19. sit cautus in interrogando juniores. 61. 20. sibi non applicet pœnitentias pecuniarias. 63. 24. pro peccatis occultis non det pœnitentias publicas. 63. 25. quando præcipuè adsistet Confessionali. 91. 7. Regularis ad infirmos vocatus conveniat cum Parocho. 91. 8. præparet se oratione. 92. 11. Confessor stabilis est consulendus. 92. 12. Exercet officium Judicis, Medici, & Doctoris. 108. 2. adaptet se capacitati Pœnitentium. 109. 4. ut licitè absolvat, esse debet in gratiâ. 112. 8. Confessor excommunicatus, & vitandus, ut carens jurisdictione, omninò invalidè absolvit, etiamsi pœnitens invincibilitèr ignoret excomunicationem. Toleratus in necessitate absolvit validè Pœnitentem, estò sciat excommunicationm —, extrà necessitatem invalidè absolvit ex defectu Pœnitentis cooperantis peccato Confessoris. 112. 9. Vide: Absolutio: Sacramentum Pœnitentiæ *&c.*

Conjugalis actus in Ecclesiâ exercitus est peccatum mortale. 461. 7.

Ex Conscientiâ erroneâ, vel dubiâ operãs, quòd de se

non

non eſt mortale, peccat mortaliter. 460.4. *qui habitus illi efformandæ concurrant.* 484. 1. *quid ſit, & quotuplex.* 485.2.3 *quam ex illis poſſim ſequi vide in ſeqq.*

Conſenſus communis timoratorum magni faciendus. 454. 5.

Conſilium eſt inquiſitio mediorum ad finem. 397.10.

Conſolatio ſpiritus quid importet. 12.6.

Conſtitutiones Prædicatorum, uti, & Regularium aliæ complures de ſe non obligant ad culpam. 471.8.

Conſuetudinarius eſt, qui peccat ex habitu. 300.2. *an explicare debeat conſuetudinem, vide* 301. 4. *ordinariè debet probari. ibid.*

Conſuetudo poteſt eſſe voluntaria directè, & indirectè, qui termini explicantur. 301.4. *an idem ſit cum exercitio, videndum apud Canoniſtas.* 304 8. *nequit tollere legem divinam, & naturalem.* 475.12. *quando tollat humanam, & datur regula dignoſcendi, an ſit uſus, an abuſus. ibid. recitare officium diſtractè eſt abuſus. ibid. quas leges humanas tollere poſſit.* 476.13. *quotuplex.* 477.14.

Ex Contemptu peccans peccat mortaliter, nèc excuſatur ob parvitatem materiæ; & quando dicatur quis operari ex contemptu. Regula S. Thomæ. 462. 10.

Contractus illicitos exercenti abſolutio neganda, niſi priùs reſcindat. 102.39.

Contritio duplex, perfecta, & imperfecta: illa juſtificat ante abſolutionem, ſed cum voto abſolutionis. 23. 10. *Vis hujus explicanda populo, ut poſſit ſemper elicere:*

cere.47.8.ut ſit perfectiſſima, debet eſſe ſuper omnia appretiativè, & intenſivè, ſed eſt vera, & efficax, eſtò non ſit ſuper omnia intenſivè; tamen debemus eniti ad hanc intenſionem.47.8.non poteſt reprobari à Deo.49.8.includit dolorem, & propoſitum; utrumque ſuper omnia ſaltèm appretiativè: ſenſibilis, & per quid reddatur talis: univerſalis, & per quid talis: ſupernaturalis; & quomodo talis dignoſcatur. 121.3.ſerotina ſufficit ad confeſſionem ſequentis dici, ſi hæc procedit in virtute illius.123.3.

Credere actu, & ſcire ſunt duo diverſa: ad illud tenemur præcepto affirmativo Fidei, ad hoc negativo doni ſcientiæ.436.4.

Crudelitas eſt peccatum.

Crudelitas eſt peccatum oppoſitum dono Spiritus Sancti, ſcilicèt, Pietati.421.8.ubi ex errore citatur Sanctus Thom.a.12.cum ſit a.2.

D

DAmna, quę Peccator incurrit, enumerantur 23.11.quæ reparentur per gratiam ſanctificantem, & quæ per ſacramentalem.24.12.

Decretalium volumen collectum ex caſibus, quos Epiſcopi verentes per ſe decidere, mittebunt ad Sedem Apoſtolicam.116.11.

Delectatio eſt ſimplex complacentia de objecto cogitato abſque ordine ad opus.394.4.ſequitur naturam actus:395.5.quare de actu conjugali eſt licita maritatis abſque periculo ulteriori, ſed illicita viduis, & ſponſis

ſponſis de futuro; & ratio: ibid. de re malà, quia prohibità, non eſt peccatum. 396.6. *unde dicatur delectatio moroſa.* 395. 5. *in delectatione morosà contrà Caſtitatem explicandæ ſunt circumſtantiæ ſubjecti, & objecti.* 396.7.

Deſiderium eſt actus tendens ad opus. 397. 8. *de re malâ tantùm, quia prohibità, eſt malum ib.*

Diſcretio quid ſit 70.12.

Doctor, qui ex profeſſo, & diffusè rem tractat, pluris faciendus. 388.1. *ad quid adhibendi, qui Moralem compendio redegerunt. ibid.*

Dolor peccatorum debet eſſe univerſalis in motivo saltèm. 21.7 *convenit dolere particularitèr de ſingulis. ibid.* 48. 8. 103. 42. *erit motivum univerſale, ſi doleat ob metum gebennæ: ſed particulare, ſi doleat ob turpitudinem peccati contrà determinatam virtutem. Ratio.* 121. 2. *Doloris motivum pro ſacramento nequit eſſe pœna temporalis. ibid. Doloris efficaciam interrumpens novo peccato, ut abſolvatur validè, novum dolorem debet elicere.* 122.3 *Vide:* Contritio, Sacramentum Pœnitentiæ *&c.*

Dona Spiritus Sancti ſeptem. 408.2.

In Dubiis melior eſt conditio poſſidentis, & in Dubiis tutior pars eſt eligenda, *quomodo intelligatur.* 488.9.

E

Electio, eſt mediorum in finem. 397. 10. *eligere parato duo mala, poſſum ſuadere minus: non ita, ſi non*

non eſt paratus ad utrumque. 141.3.
Eleemoſina qualis eſſe debeat, ut proſit. 20.6. *eleemoſinis Deo ſatisfaciendum.* 21.8.
Emendare futura quid importet. 20.6. *Emendatus eſt notabilitèr, qui prius peccans quadrageſiès in menſe, nùnc peccat quatèr tantùm.* 301.4.
Epiſcopi à quibus cenſuris, & quos abſolvere poſſint, & à quâ Irregularitate diſpenſare. 293. *ut Doctores à Deo Eccleſiæ dati, maximè ſunt conſulendi Confeſſario.* 451.2.
Epiſtola Eminentiſ. Cardinalis de Carpineo Confeſſoribus Urbis. 83.17. *ſeqq.*
Erubeſcentia in confitendo diminuit aliquid pœnæ temporalis. 31.19.
Examinatorum Urbis methodus. 3.3 *eorum prudentia.* 107.1.
2. *Examen conſcientiæ ad confeſſionem præexigitur, & quare* 50. 10. *Confeſſio erit ſacrilega, ſi ſit nimis remiſſum. ibid. quantum in eo temporis ponendum.* 94. 15 *præmittendum, ne quis ſe exponat periculo omittendi peccata.* 124.4.
Euchariſtiam aliqui dicunt non poſſe probiberi ob venialia, ſed convincuntur. 187. 4.
Excommunicationis effectus. duplex, major, & minor: hęc incurritur ob veniale peccatum, & quãdo. 185.3. *major infligitur ob mortale peccatum contumaciæ, quid ſuper hoc dicant Tridentinũ, & Angelicus.* 196. 14. *differentia inter excommunicationem nullam, & injuſtam.* 194. 12. *quando incurratur ſtatìm commiſſo delicto.* 196. 13. *propoſitiones circà illam*

lam prohibitæ. 198.16.*probibitæ circà illius absolutionem.* 212.23.*pœnæ absolventis absque legitimâ facultate.* 212.24.299.7. *excommunicatio à jure, nisi reservetur, potest absolvi per quemcunque Confessorem.*294.1. *nulla reservatur pro articulo mortis.* 295.2. *quid præmittendum ab eo, qui petit absolvi.* 295. 2. *Occultam, si grave scandalum immineat, absolvet Confessor; sed indirectè pœnitens remanebit absolutus.*295.3. *& quomodo tùnc procedet Confessor. ibid.*

Excommunicati post Martinum V. jurisdictione non privantur, nisi sint vitandi. 188. 5.*administrantes sacramenta committunt duplex peccatum explicandum in confessione.*189.5. *quando cum illo communicans incurrat majorem excommunicationem.* 191.7. 8 *quando nullam.*192.9.*qualitèr in uno loco possimus communicare cum excommunicato in alio.*193.10.

F

*Fidelitas pertinet ad veracitatem.*68.7.

Fides confessionis relinquenda infirmo, etiam si confiteatur sacrilegè, dummodò non simulet confessionem. 80. 8.

Finis prævalere semper debet mediis. 142.4.5.*finem ultimum constituens in creaturis peccat mortaliter; nèc in hoc excusat materiæ parvitas.*461.9.

Flagellat Deus quinque modis. 19.5.

Fœminæ honoratiores cum quanto periculo se accusant de peccatis contrà Castitatem; nisi subveniat

Con-

Confessoris prudentia . 399. 3.
Forma naturaliter introducitur mediantibus dispositionibus. 25. 13.
Fructus Spiritus Sancti sunt actus perfecti Donorum. 410. 4.

G

Gratiæ necessitas ex Catechismo. 410. 4. *major post peccatum primi hominis* . 412. 6. *illuminato intellectu, adhuc requiritur gratia ex parte voluntatis* . 413. 6.

H

Hæresis in Jubilæo non potest absolvi, & decretum super hoc . 297. 5.
Hæreticus ut dicatur Christianus, quid requiritur . 214. 3. *Hæretici naufragantis bona surripiens non incidit in Bullam Cœnæ* . 215. 11.

I

Ignorantia quænàm excusat ab incursu censuræ. 194. 11. *Ignorantia, Inadvertentia, & Error quomodo distinguantur.* 334. 1. *Ignorantia Juris est, si ignoro præmissam universalem syllogismi operabilis. Ignorantia facti est, si ignoro particularem.* 335. 2. *ignorantia invincibilis, quando adsit.* 439. 8. *non est peccatum, ibid. potest dari de mysteriis Fidei, sed quan-*

quando, & in quibus. 440. 8. *an dari possit invincibilis ignorantia Juris naturæ*. 441. 10 *ubi extat regula S. Th. potest dari talis circà jus divinum*. 443. 12. *& Ecclesiæ*. 444. 14.

Ignorantia facti, non Juris excusat, *hoc adagium quomodo intelligendum* · 444· 15. *Ignorans aliquid esse peccatum, quod si sciret, adhùc faceret, an admonendus à Confessore*. 446. 17· *Ignorantia vincibilis necessariorum ad salutem est peccatum contrà donum Scientiæ*. 448. 18 *peccatum bestiale* 449. 19. *ex ignorantiâ, seù inadvertentiâ semiplenâ operans peccat venialitèr*. 452. 4.

Impedimenta nonnulla referuntur, per quorum aliqua confessio adhuc est integra, & per alia non est. 126. 4.

Indulgentia delet pœnam debitam peccato jàm deleto quoad maculam. 136. 12. *Differentia inter plenariam, ad tempus, & Jubilæum*· 137. 13. *illam Papa concedit ex plenâ potestate à Christo sibi traditâ*. 305. 1. *ad Indulgentias acquirendas Confessor incitabit Pœnitentem*. 306. 2. *innuuntur concessæ Confratribus Sanct. Trinitatis recognitæ à Sede Apostolicà*· 308. 5. *& seqq quid faciendum, ut illas consequantur*. 312. 23. *quid respondeat Confessor, ubi petitur, quæ pro illâ consequendâ sint faciendæ orationes*. 313. 23. *illam lucraturus ponet opera cum ordine indicato quoad substantiam*. 314. 25. *declaratur clausula quædam apponi solita in Indulgentiis, ex S. Congregatione*. 314. 26. *ad Indulgentias pro defunctis excitandus Pœnitens*. 315. 27. *Privilegiati Altaris Indulgentia quot Missas exigat*,

exigat, & dubia ſuper hoc declarata per S. Congregationem. ibid.

Injuria de ſe venialis facta in patrem à filio, redditur peccatum mortale, ob gravem irreverentiam. 460. 5.

Injuſtè approbans, & reprobans Confeſſores, peccat contrà Juſtitiam. 82. 12.

Inſtructiones variæ à S. Carolo, traditæ quibus Confeſſor debet dirigere Pœnitentes. 104. 49. *Inſtructionum aliæ ſunt authoritativæ, aliæ doctrinales, & in quo differant.* 106. 5.

Intellectus hominis in quo differat ab Angelico. 460. 4. *Intellectus etiam vocatur habitus primorum principiorum ſpeculabilium* 467. 4. *Intellectus, Donum Spiritus Sancti, eſt habitus judicans de myſteriis Fidei, & legibus divinis.* 46. 85.

Intentio de abſolvendum eſt faciendi, quod facit Eccleſia, hoc eſt, faciendi ſacramentum, ſed non producendi effectum ſacramenti. 112. 7. *eſt voluntas circà finem.* 397. 9.

SS. JOANNIS de Matbâ, & FOELICIS Valeſii breve elogium ex Bullâ Innocentii XI. 307. 12.

P. Joſephus de Monier laudatur. 308. 3.

Ex Irâ procedens opus, v. g. blaſphemia, non eſt peccatum, ſi blaſphemans prorumpat in verba imaginata, non conſiderans eorum ſignificationem; ſecus eſt peccatum, eſtò in irâ commiſſum. 404. 7.

Jubilæi formula priùs conſideranda, ut ſciat Sacerdos, quæ poſſit abſolvere. 210. 21. *datur hæc formula.* 296. 4.

Judex

Judex debet judicare ſecundum leges, & rationes petitas è viſceribus legis. 449.1.

Judicium authoritativum, & doctrinale quomodo differant. 28.16. *triplex haberi poteſt de re, de perſona, & de remedio applicando, quomodo in quolibet procedendum* 450.2.

Juriſdictio ad abſolvendum, ordinaria, & delegata. 110.5.

Ad Juſtificationem Tridentinum, requirit treſdecim diſpoſitiones, quarum ultima eſt voluntaria ſuſceptio gratiæ, & donorum. 34.2. *& ſeqq. omnes in Pœnitente curabit Confeſſor.* 38.16.

L

Lex humana eſt imago naturalis impreſſæ in nobis à Deo. 417.5. *Legum notitia Confeſſori neceſſaria.* 468. 6. *datur legis definitio.* 468.6. *qualitèr promulgetur.* 469. 7. *illam interpretatur, qui condit. ib.* 6. *diſtinguitur à præcepto, & quomodo.* 470.7 *Tam Realis, quam Pœnalis, & Mixta poſſunt in conſcientiâ obligare: An autem obligent de facto, nequit dari regula.* 471.8. *lex, & præceptum diverſimodè obligant.* 472. 9. *legibus loci, an Peregrinus teneatur, nequit determinari generalitèr, datur regula ad dignoſcendum, quibus teneatur, & quibus non:* 473. 11. *Alia lex obligat per ſe, alia per accidens, quæ diſtinctio eſt maximè attendenda Confeſſori.* 476.16. *Confeſſor quas primariò teneatur ſcire.* 480. 17. *Vide* Conſuetudo.

Libertatis Ecclesiasticæ, violatores quid præmittere debeant, ut absolvantur. 295. 2.
Libri à Confessori legendi. 115. 11.
Luxuria contrà naturam est peccatum in Spiritum Sanctum. 421. 8.

M

EX *Magistro Sententiarum hausere Theologi.* 16. 1.
Materiæ parvitas diminuit peccatum, de illâ Theologi antiqui non tractarunt fugientes omne peccatum ex plenâ deliberatione. 453. 5. *datur regula generalis, quæ peccata excusari possint à mortali ob parvitatem materiæ.* 454 6. *quædam enumerantur, quæ non admittunt.* 455. 6 *quæ peccata contrà legem humanam admittant parvitatem materiæ.* 457. 8. *quæ sit materiæ parvitas nequit generaliter definiri.* 458. 9.
Matrimonium qui contraxit cum impedimento dirimente occulto, potius quam reddere, debet sustinere mortem, & excommunicationem. 195. 12. *etiam dum expectatur Apostolica dispensatio; & hujus ratio.* 205. 14. *quâ obtentâ, renovandus est mutuus consensus, sed, ne prodatur crimen, innuitur modus renovandi. ibid.*
Medicus debet relinquere curam infirmi, quando in tertiâ die non videt fidem confessionis. 80. 8. *Jurat hoc: quare delinquens dupliciter peccat. ibid.*
Mendacium in confessione, quando invalidet sacramentum. 31. 10.

Meritum de condigno, & de congruo, explicantur. 130. 8.

N

Nicolai Antonii Cuggiò zelus, & labòr. 197. 15.

O

Obſtinatio eſt peccatum in Spiritum Sanctum. 421. 8.

Occaſio proxima eſt, in quâ quis poſitus ſæpè peccat. 98. 29. *quando differenda in iis abſolutio.* 99. 29. *eſt duplex voluntaria, & involuntaria, & quomodo in illà conſtituti Pœnitentes tractandi.* 99. 30. *Occaſio proxima ratione particularis perſonæ quomodo tollenda.* 100. 31. & *ſeqq. occaſioni proximæ peccandi ſe exponere eſt peccatum ejuſdem ſpeciei cum illo, cui ſe exponit.* 303. 5. *ita ſe exponere eſt peccatum, eſtò non ſequatur peccatum, cui me expono ib.*

Odire eſt velle malum, quod eſt genus habens ſub ſe plures ſpecies. 392. 2.

Operans benè utitur bono ſyllogiſmo: At operans malè utitur ſyllogiſmo quatuor terminorum. 464. 2. *quilibet ad operandum movetur ſyllogiſmo cum primâ præmiſſæ univerſali, & ſecundâ particulari.* 451. 3.

Ex Opere operato qualitèr in ſacramentis conferatur gratia major uni, quàm alteri. 13. 7.

Opus mortuum, & mortificatum qualiter differant. 183. *elicitum ſine charitate, licèt bonum, non eſt ſatisfactorium.* 20. 6. *qualiter aliquod opus de ſe ſatisfactorium, debeat præcedere confeſſionem.* 58.

15. *Operis boni fructus triplex, Meritum, Impetratio, & Satisfactio: Ultimi duo fundantur in primo.* 130. 7. *Utilissimum est opus bonum à peccatore factum ibid.*

Orare qualitèr possimus, vel non possimus pro excommunicatis. 189. 6.

Ornatus vanus fœminarum quando sit peccatum mortale. 96. 24. *& seqq.*

P

Parochi obligatio ad explicandum Pœnitentiæ Sacramentum. 44. 2. 46. 5.

Passiones Animæ in iis præsertim moderandæ, qui frequentant sacramenta. 400. 1. *sunt cum immutatione corporis.* 401. 4. *sunt undecim, & referuntur.* 402. 4. *sex pertinent ad Irascibilem, quinque ad Concupiscibilem.* 403. 5. *de se non sunt peccata, sed à Deo insertæ, ut nobis auxilientur ad bonum.* 404. 6. *quando sint peccata. ibid. sunt genera; ideò ulterius in confessione perquirenda species.* 408. 8.

Remedium ad illarum moderationem. ibid.

Pax quid importet. 12. 4.

Peccator petens confessionem, & moriens ante Confessoris adventum, juvandus Ecclesiæ suffragiis. 30. 17.

Peccati mortalis reatus, quòad culpam, non dimittitur post hanc vitam, sed solùm quoad pœnam. Venialis reatus quoad culpam dimittitur etiam post hanc vitam per actus ferventis charitatis. 30. 18. *leviora venialia dimittuntur, dicendo* Confiteor, *si adjungatur*

gatur alicui displicentiæ. 31. 19. *peccati macula semèl dimissa, non amplius redit.* 32. 22. *Peccatum dubium materia necessaria, non sufficiens Sacramenti.* 118. 1. *aliquid est peccatum sub unâ circumstantiâ, quod non est sub alia, & declaratur.* 140. 3. *peccatum externum confitens fatetur & actus internos, non è contrà.* 394. 3. *ordinariè, non semper contingit, quia concupiscentia trahit voluntatem.* 401. 2. *omissionis, & commissionis distinguuntur specie; ideò particularitèr explicanda.* 416. 3. *mortale est contrà legem charitatis: veniale præter.* 417. 4. *ex quâ ratione peccata specie distinguantur.* 420. 7. *etiam peccata contrà dona Spiritus Sancti.* 421. 8. *hæc sunt, quæ Philosophus dixit bestialia. ibid. distinctio numerica peccati unde habeatur.* 422. 9. *dicitur mortale ex suo genere, quod opponitur charitati, vel mediis necessariis ad conservandam charitatem.* 418. 6. *ex genere suo mortale, quotupliciter possit reddi veniale.* 452. 4. *& seqq. de se veniale quotuplicitèr possit reddi mortale.* 459. 2. *seqq. de se veniale, si inde prævideatur grave damnum fit mortale.* 460. 6. *sicut si ad illud adhibeam media sub mortali prohibita.* 461. 8. *Peccati Philosophici in subsistentia ex ratione adducta p.* 376. 2.

Peregrini. vide Lex.

Periculum proximum explicatur. 301. 2. *illi se exponens peccat eàdem peccati specie, cui se exponit.* 303. 6. *etiamsi non sequatur peccatum. ibid.*

S. Philippi Nerii Congregationis studium in audiendis confessionibus. 14. 10. *Sanctus suis unicè voluit*

prælegi textum Doctoris Angelici. 389. 2.
Pœnitentia quid ſit. 16. 2. *duplex, interior, & exterior: hæc eſt ſacramentum: illa virtus. ibid. poſt pœnitentiam adhùc poſſumus peccare, & fundamenta opinionis contrariæ.* 17. 3. *an poſsit eſſe de uno peccato ſine alio.* 18. 4. *quæ ſit digna pœnitentia.* 19. 6. *poſt pœnitentiam non ſtatim accedendum ad communionem.* 21. 8. *Pœnitentia falſa quæ.* 22. 8. *verę pœnitentiæ ſpecies.* 22. 9. *nulli deneganda in fine vitæ, ſed non differenda tùnc.* 29. 17. *Pœnitentiæ virtus ex Catechiſmo eſt, quâ* unius Dei causà *dolemus de peccatis, &* ad Deum nos ex animo convertimus *&c.* 45. 3. *quid importet: ibid.* 4. *Ut virtus eſt habitus inclinans ad dolendum de peccato &c. elicit actus perfectos: imperfecti autem ſunt per actuale auxilium Dei ante habitum.* 117. 13.
Pœnitentiæ ſacramenti effectus. 11. 3. *cura ponenda in eo explicando.* 14. 9. *tres illius partes.* 20. 7. *remittit indirectè peccata inculpabilitèr oblita.* 31. 19. *dogmata circà illud à Tridentino ſtabilita.* 39. *& ſeq. non differendum.* 44. 2. *eſt reiterabile.* 46. 5. *illius effectus.* 46. 6. *ejus Miniſter, Sacerdos habens juriſdictionem.* 51. 11. *qualis eligendus. ibid.* humaniſſimis verbis *tractet Pœnitentem.* 52. 11. *illius cauſæ à Rituali aſsignatæ.* 55. 2. 3. 4. *Pœnitentia, & Euchariſtia qualitèr conſulenda Pœnitentibus.* 63. 23. *circà hujus adminiſtrationem decreta Clementis X.* 71. 2. *& ſeqq. Patentes Eminentiſsimi Vicarii.* 76. 2. *ſeqq. diſtinguitur à virtute, ut totum à parte.* 118. 13. *remota materia illius, peccata.*

118. 1. *materia proxima, Contritio, Confessio, & Satisfactio.* 119. 2. *De singulis vide suo loco. institutum ad sublevandam infirmitatem: quare consuetudo ut tollatur, indiget majoribus fletibus* 301. 4. *præcipitur nobis jure divino, & Ecclesiastico.* 318. 2. *& reducitur ad primum Decalogi præceptum.* 319. 3. *quando teneamur ad illud.* 319. 4. *illud uno anno omittens tenetur quàm primùm in sequenti.* 320. 5. *Violatio hujus præcepti opponitur religioni.* 321. 6. *faciens confessionem voluntariè nullam non satisfacit.* 321. 7. *Pœnæ contrà violantes.* 322. 8. *Vide* Absolutio, Confessio, Contritio, Sacramentum, *&c.*

Pœnitentia solemnis est unica. 18. 3. *sub mortali tenemur adimplere pœnitentiam nobis impositam.* 27. 15. *Vide* Satisfactio.

Præceptum de se obligat sub mortali, non ita lex. 472. 9. *paucissima sunt præcepta pro totâ Christianitate, & quæ ibid. quomodò dignoscitur à lege.* 472. 10. *Circà Probabiliſmum quomodo se gerat Confessor.* 489. 10.

Propositiones in materiâ morum probibitæ à Romanis Pontificibus dantur, cum unicâ ratione, ob quam apparent dignæ probiberi. 322. *& seqq. ordinariè damnantur in proprio verborum sensu.* 385. 2. *quomodò dicantur in praxim deduci, ut quis violet præceptum illas non reducendi.* 386. 3. *sciens ab alio sustineri propositionem probibitam, quomodò dignoscet, an teneatur illum denunciare.* 386. 4.

Pueri ante usum rationis benedicendi; & suo tempore

inſtruenda ad ſacramenta Pœnitentiæ, & Eucha-riſtiæ. 93. 14.

R

RAtioni adductæ, ob quam innuitur propoſitiones probibitas potuiſſe damnari, non eſt fidendum, quia Pontifex magis movetur à Spiritu Sancto, quam à ratione. 324. 2. *ratione utuntur aliqui, ſicut pelle Sutores.* 454. 5.

Recidivus eſt, qui relabitur in eadem ex infirmitate. 200 2. *quæ huic applicanda remedia.* 201. 3.

Regularium integridas teſtanda à Superioribus Epiſcopo juxtà Conſtitutiones cujuſque Ordinis. 81. 11. *Privilegiati, quos in particulari caſus non poſſint abſolvere.* 208. 20. & ſeqq. *privilegiis uti non poſſunt, quæ ante decretum Clementis non erant in uſu.* 209. 20. *nec ab iis, à quibus non poteſt abſolvere Major Pœnitentiarius; & aſſignantur. ibid. neque caſus dubiè contentos in Bullâ Cœnæ.* 299. 7.

Reſervatio caſuum quàm ſit conveniens. 198. 1. *eſt reſtrictio juriſdictionis &c.* 199. 2. *Inſtructio Sacræ Pœnitentiariæ, pro Sacerdote, ad quem accedit Pœnitens cum caſu reſervato.* 200. 4. & ſeqq. *inferior Sacerdos, ad quem Pœnitens accedit cum reſervatis, ubi ſcandalum immineat, audiat omnia peccata, & abſolvat: unde remaneat directè abſolutus à non reſervatis, & indirectè à reſervatis.* 204. 14. *confitens invalidè reſervata Superiori non ampliùs tenetur comparere, ſed confitens invalidè cum delegatis, iterum tenetur comparere,*

ſi vult

ſi vult abſolvi. 205. 15. *dubitans de reſervatione an poſſit abſolvere.* 206. 16. *reſervatus caſus ratione cenſuræ, ſi extrà ſacramentum tollatur cenſura, potèſt abſolvi à quocunque.* 207. 17. *reſervatum committens in unâ Diœceſi, utrùm in aliâ poſſit abſolvi. ibid. reſervata non eſt excommunicatio Papalis, niſi exprimatur.* 208. 19. *Vide:* Caſus.

Rituale Romanum ſummi faciendum. 55. 1.

Romana Eccleſia tenax dogmatum; non ita diſciplinæ: Græca è contrà, & propterea à erravit. 182. 4.

S

Sacerdos ligat primò ad pœnitentiam: ſecundò per excommunicationem. 27. 15.

Sacramentorum formis, quæ verba poſſint addi, quæ detrabi. 137. 2. *Proferendæ graviter. ibid.*

Sanctificatio noſtra non eſt ſine diſpoſitione præviâ. 25. 13. *ultima diſpoſitio ad illam voluntaria ſuſceptio gratiæ.* 26. 13.

Satisfaciendum Deo per remiſſionem injuriarum proximo. 22. 9. *quid veniat nomine Satisfactionis.* 52. 12. *ſacramentalis nequit expleri per alium.* 53. 12. *non poſſumus illam recuſare, prætextu ſatisfaciendi Deo in Purgatorio.* 128. 6. *remittit pœnam ex opere operato.* 129. 6. *ordinariè Pœnitens non eſt audiendus, niſi præcedentem adimpleverit, commodè potens adimplere. ibid. facta in peccato mortali ſatisfacit obligationi contractæ à Pœnitente cum Confeſſore, ſed non remittit pœnam Purgatorii debitam peccato, pro quo fuerat impoſita.* 129. 7. *tria ſatisfactio-*

factionis opera, Jejunium, Oratio, Eleemosina: primum includit secundum, & tertium utrumque: 131. 9. *illam prudenter injungat Confessor.* 131. 10. *recensentur aliquæ omninò imponendæ.* 132. 10. 11. *Hortandi, non obligandi fideles à Confessore privato ad antiquas pœnitentias.* 133. 11. *publicam pro peccato publico in secretam solus mutare potest Episcopus.* 133. 10. *non imponenda levis pro peccatis gravibus.* 180. 1. *aptanda ut medicina, cujus tantùm sumitur, quantùm confert.* 181. 2. *ut prudenter injungatur, extat similitudo S. Aug.* 182. 4. *hodiè pro occultis peccatis non est injungenda publica.* 182. 5. *ubi excommunicatus absolvitur, imponenda, quam præcipiunt Canones.* 211. 22.

Sauli dispositiones, ut fieret Paulus: credidit tria prima mysteria, virtutem baptismi, & voluntariè suscepit gratiam. 26. 13.

Scandalo qualiter obviandum, ubi communicaturus peccator occultus accedit cum reservatis; examinantur plures casus. 203. 14.

Scientia quædam requiritur in Confessore, ut validè absolvat: quædam, ut licitè: quædam ut perfectius: non potest determinari, quæ sit præcisè necessaria; studendum habere quam maximam. 113. 10. *tria illam acquirendi media.* 115. 11. *cum gravamine pœnitentis non possumus uti scientiâ in confessione habitâ, estò non revelaretur persona.* 128. 5.

Scire tenetur Christianus, quæ sunt Fidei, & universalia Juris præcepta. 436. 4. *Orationem Dominicam.* 437. 4. *virtutem Pœnitentiæ.* 438. 6. *Sacramentum Eu-*

Eucharistiæ. 429. 7. *Decalogum*. 440. 9 *præcepta Juris divini*. 443. 11. & *Ecclesiæ*. *Decretum super hoc S. Cong*. 443. 13. *Confessor debet scire, an hic, & nùnc actio ex genere suo sit peccatum*. 451. 3.

Scriptura Sacra est verbum Dei. 25. 13.

Scrupulum quomodo agnoscat Confessor. 492. 12. *quomodò medebitur scrupulosis*. 492. 13.

Serenum quid sit. 12. 5.

Sigillum confessionis quid importet. 126. 5. *obligat, estò sacrilega sit confessio, non tamen si confessio simuletur*. *ibid*. *pœna violantis sigillum*. 67. 4.

Signatria conjectandi, quando Pœnitens sit imparatus. 93. 13.

Simulare dicimur, quando cum eo, quem loquimur, utimur aliis signis ab usitatis, ut non intelligat. 144. 5.

Societas Jesu sub excommunicatione prohibuit docere opinionem admittentem materiæ parvitatem in peccatis contrà Castitatem, & illam deducere in praxim; quanti sit faciendum hoc judicium. 456. 6.

Status quatuor maximè considerandi in Pœnitente, Recidivi, Consuetudinarii, Constituti in occasione proximà, & Constituti in periculo proximo: & *qui sint bi*. 300. 1. & *seqq*. *propositiones prohibitæ circà hujusmodi status*. 304. 8.

Studendum nobis hoc ordine, ut primò discamus doctrinam Ecclesiæ: secundò: Doctorum ab Ecclesiâ approbatorum positivè: tertiò: permissorum. 388. 1.

Superior sit indulgentior in concedendo subditis, quòd alteri confiteantur. 69. 11.

Su-

Supernaturalis: dicitur actus, si dirigatur lumine fidei. 121. 3.

Synderesis dirigit præmissam universalem syllogismi operabilis. 465. 3. *est habitus primorum principiorum practicorum.* 466. 4.

T

S Ancti Thomæ operibus qualiter studendum. 77. *ejus rationes, principia plurium conclusionum.* 8. 9. *Ecclesia orat intelligere, quod docuit.* 116. 11. *ejus doctrinam sequendam præceperunt plures Academiæ.* 389. 2. *illum in Theologiâ Morali sequitur etiam schola Scoti.* 389. 3. *quid faciat, qui non percipit ejus textum.* 390. 3.

Timorem gehennæ, sine respectu ad Deum plures jam Ecclesiæ damnarunt, ut insufficientem sacramento Pœnitentiæ. 122. 2.

Tolerantia duplex, permissiva, & approbativa: hæc requiritur in Principe, ut tollat vim legis. 477. 13.

Tridentinum ostendit necessitatem motionis in voluntate, post excitationem intellectus. 413. 6. *collectum ad damnandos errores Hæreticorum, non opiniones Catholicorum.* 431. 20.

V

V Endens rem pretio currenti, quod scit cras ex lege diminuendum an peccet. 470. 6.

Verecundia est justa causa, ut Superior concedat subdito licentiam confitendi alteri. 69. 11.

Eminentiss. Vicarius, in suis Patentibus Confessionum

num, non tollit privilegia Regularium. 78.6.
Virtutes invicem ſunt connexæ, & cum charitate: in peccatore nulla eſt plenè perfecta. 408. 3. *Enumerantur quatuordecim, quæ nos obligant ſub mortali.* 418.6.
Univoca prius definiuntur, deinde dividuntur: Analoga è contrà 41. 1.
Voluntas, & movet ſe, & movetur à Deo. 408.2.
Volitum nihil, quin præcognitum. 491.15.
Vota qualitèr commutanda. 94. 17. *quæ in vim Bullæ Siſtinæ commutare non poſſunt Regulares Privilegiati.* 209. 20.
Uſurpare & furari quomodo differant.

FINIS.

MA 6 2006768


VITTORIO EMANUELE
BIBLIOTECA
NAZIONALE
ROMA